UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


# Medvlla Theologiæ Moralis

**Busenbaum, Hermann**

**Monasterii Westphaliæ**

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40957**

Visual Library




UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 2209.


9 XI
2

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN






UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



# MEDVLLA THEOLOGIÆ MORALIS,

*Facili ac perſpicua methodo reſolvens*

CASUS CONSCIENTIÆ,
EX VARIIS PROBATISQUE AUTHORIBUS CONCINNATA, ET JAM DENUO REVISA

à

R. P. HERMANNO BUſenbaum è Societate Jeſu, SS. Theologiæ Licentiato,

*Pœnitentibus æque ac Confeſſariis perquam utilis ac neceſſaria.*

Editio quadrageſima denuò recognita, & ab omnibus prohibitis ſententiis expurgata, cum triplice Indice Dubiorum, Rerum & Verborum atque Authorum, præſertim recentiorum, ordine alphabetico operi præfixorum.

*Ex ſpeciali & generali Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Privilegio.*

Collegii (o) S. I. Paderborn.

MONASTERII WESTPHALIÆ,
*Typis THEODORI RAESFELDI.*
ANNO M DC LXX.

*CELSISSIMO AC REVEREN-dissimo Principi & Domino,*

# D. CHRISTO-PHORO BERNARDO,

Electo & Confirmato Episcopo MONASTERIENSI, Administratori Corbejensi, Burggravio Strombergensi, S. R. Imp. Principi, & Domino in Borckelo, &c.

Principi meo clementissimo.

*Celsissime Princeps, Domine Clementissime, &c.*

AMbiunt quidem hactenus Typographorum præla, & officinæ in vulgandâ toti orbi rerum à *Celsitudine Vestra* hactenus præclarè gestarum gloriâ aliquando occupa-

ri, & Celsissimum Nomen, tot hactenus illustratum heroicis facinoribus, velut ingentem hujus sæculi paginam cum eo, quo possunt, humanæ immortalitatis dono, ad posteros latè omnes transmittere; sed cum id fieri hucusque *Celsitudinis Vestræ* modestia non sinat, dabit saltem id veniæ, ut liceat alienis operibus ab ejusdem gratiosissimi nominis umbrâ lucem accersere, & splendorem mutuari. Ego sanè modò id audeo, & *Medullam Theologiæ moralis* novis denuo typis excusam, orbi penè toti jam notam & gratam, à *Celsitudinis Vestræ* notissimo, gratiosissimoque nomine, notiorem & gratiorem reddere enitor, ut liber ille, in quo recudendo certant omnes propè hactenus Europæ provinciæ, & typi complures teruntur, tantò magis inclarescat, quò clarius est nomen, sub cujus auspi-

ſpiciis prodit in lucem. Et verò cujus ego clementiſſimo favori, & patrocinio malim hunc librum committere, quam *Celſitudinis Veſtræ*? quæ ita doctrinam hujus *Medullæ* fovet ac promovet, ut in eâ, quam gerit capaciſſimo pectore, & ampliſſimo animo, cum S. Paulo Apoſtolo, *ſollicitudine omnium Eccleſiarum, præter ea, quæ extrinſecus ſunt inſtantia ſua quotidiana*, 2. Cor. 11 v. 28. hoc unum ſatagat, ut hujus doctrinæ peritus, & *Medullam Theologiæ moralis* accuratè complexos animorum curæ præficiat, hoc unum ſuis demandet quod proponebat Chriſtianorum ſynodo Jeroſolymis olim Petrus Act. 6. v. 3. *Conſiderate fratres viros ex vobis boni teſtimonii, plenos Spiritu Sancto & ſapientiâ, quos conſtituamus ſuper hoc opus.* Plenos ſapientiâ qui probè didicerint & ſciant, quæ pertinent ad implendam tan-

ti officii mensuram. Atque in hunc finem *Celsitudo Vestra* tempus publicis patriæ negotiis haud gravatè subducit iis horis, quibus ii Theologiæ moralis dant specimen, qui prensant sacrorum ordinum ministeria, ut coram arbitretur quid sciant, magno Dei obsequio, majori patriæ commodo, maximo Candidatorum ad sedulum Theologiæ studium incitamento. Facit mihi sanè hoc animos, ut sperem recusam novis typis meditationem tanto benignius & clementius, à *Celsitudine Vestra* approbandam & acceptandam, quò plurimum illa usibus, ad hanc Celsitudinis Vestræ intentionem, adminiculante exiguâ meâ opellâ in posterum deserviet. Faxit DEUS, ut cedat, qui à me impensus est labor, in magnam ejus gloriam & plurium animarum salu-

lutem. Idem Opt. Max. Celsitudinem Vestram diu servet patriæ bono superstitem.

*Ita voveo ac opto*

Monasterii Westphaliæ, die 4. Aprilis 1670.

Reverendissimæ Celsitudinis Vestræ

*Obsequentissimus Servus*

Theodorus Raesfeldt
Typographus.

# APPROBATIO
## R. P. PROVINCIALIS pro iteratâ Editione

EGo Infrascriptus Societatis JESU per Rheni Provinciam inferiorem Præpositus Provincialis, potestate mihi factâ à Nostro Joanne Paulo Oliva, Societatis Nostræ Præposito Generali, concedo Theodoro Raesfeldio Typographo Monasterienſi facultatem recudendi librum, cui Titulus est, Medulla Theologiæ Moralis, à Patre Hermanno Busenbaum Societatis ejusdem Sacerdote concinnatum, recognitum & auctum, legitimè antehac censum ac probatum; eidemque Jus Cæsarei Privilegii usurpandi, eatenus indulgeo, ut ipso invito librum hunc nemo deinceps recudere, nemo intra Sacri Rom. Imperii fines, & hæreditarias S. Cæsareæ Majestatis provincias importare, aut venum exponere audeat. In cujus rei fidem has litteras manu meâ subscriptas, & officii sigillo munitas dedi Coloniæ, die vigesima quinta Martii, Anno millesimo sexcentesimo septuagesimo.

Matthias Merrhem.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# SUMMA PRIVILEGII CÆSAREI.

LEOPOLDUS Romanorum Imperator semper Augustus: Diplomate publico sanxit, ne quisquam Librum, qui inscribitur Medulla Theologiæ Moralis, Auctore P. Hermanno Busenbaum è Societate Jesu, à Theodoro Raesfeldt recusum, ad decennium, ab hac nova recusione computandum, intra Romani Imperii, Regnorum, Provinciarum, ac Ditionum suarum hæreditariarum fines vel recudere, vel alio recudendum dare, vel alibi etiam impressum importare, adducere, vendere, aut distrahere clam vel palam citra voluntatem ac consensum prædicti Theodori Raesfeldt ejusvè hæredum audeat, præsumatvè. Qui secus faxit, confiscatione librorum, & alia gravi pœna mulctabitur, uti latius patet in litteris datis Posonii die 15. Septembris, Anno 1662.

Leopoldus.

*Ut Wildericus Baro de Wallerdo ff.*

Ad Mandatum Sac. Cæs. Majest. proprium

*J. Walderode.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# PRÆFATIO
## AD
## *Lectorem Benevolum.*

ANni sunt complures, amice Lector, quando jussus fui Coloniæ, eam scientiam in compendium redactam tradere, quæ novis Sacerdotibus, in tanto munere dignius exequendo (præsertim quoties in conscientiæ tribunali Judices sederent) præsidio foret. Duo hic facilè videbam maximè à me postulari, ut & optima quæque seligerem, & in ordinem, usui cujusque aptissimum, dispertirer, itaque apiculas imitarer, quæ ex optimis floribus utilissima colligunt, & in alveari disponunt in ordinem. Inde effecta est hæc *Medulla Casuum Conscientiæ*, (ut ajunt) seu *Theologiæ moralis* summa, Enchiridio huic inclusa. Quæ cùm in manus, & oculos plurium perveniſſet, visa est non improbari; iis præsertim, qui privato calamo eandem, non sine labore, molestiâ, & temporis jacturâ descripserunt. Hinc evenit (cujus aliàs consilii ne cogitatio quidem unquam inciderat) ut plurium me preces identidem urgerent, & viri maximi authoritas dignitasque impelleret, ac denique etiam superiorum juberet voluntas, ut publici juris facerem. Limâ hic aliquâ opus fuit, à qua perfectior prodiret in lucem, quæque Authorum nomina, ante desiderata, quotquot in prõptu essent adjũgeret, (adjũcta sunt autẽ hac altera editione quamplurima.) Nunc consilium tu meum; & ordinem accipe.

pe. Noto nomine, Casus Conscientiæ appello, varias species factorum, de quibus in foro conscientiæ, Judex Sacerdos sententiam edicat oportet, atque velut honesta approbet, vel ut turpia condemnet Medio tutissimus iturus, extrema plus æquo, vel laxa, vel angusta declinare sum conatus Quòd si quando declarem, ubi Doctores nonnulli benignius senserint, non ideò probo, vel suadeo; sed illud adfero, unde nonnunquam prudente judicio, conscientiæ Rector, vel Consultor dispiciat, an esse usui possit. In sexto quidem præcepto, (uti & matrimonii Sacramento) animus fuerat, per viam adeò lutulentam celerius incedere, sed tamen plurium judicio, & hîc immorandum nonnhil fuit, ne quid praxis requireret.

Pauculos porrò errores, qui in editione prima irrepserant, licèt hac secunda speremus emendatos; si quos tamen, amice Lector, præterea lectione accuratiori deprehenderis, eosdem Mihi, aut Typographo liberrimè indicare dignaberis, hic enim commodis tuis omninò servire studens, tertiam etiam minori typo, & formâ editionem, brevi ex officina eadem subsecuturam promittit Cæterum nihil asserui, nisi vel ex communi Doctorum sententia deductum, vel desumptum ex probatissimorum Authorum libris, scriptisve, eorum inprimis, qui hic eximia cum laude versati sunt. Inter quos principes extitere, laudatissimi hujus scientiæ Magistri, P. *Hermannus Nunning, &* P. *Fridericus Spe, uterque è Societate nostra Sacerdos*, & in diversis Academiis Theologiæ Moralis Professor, quibus me debere plurimum libens profiteor: uterque e-

nim casuum summam confecit, & mirificè passim probatam, & publica luce dignam, quibus proinde liberaliter sum usus, ut & ipsi similiter antè fecerant: prior enim ex P. *Maximiliani Buchier*; alter ex utriusq; viridario, manu solerti flores quamplurimos decerpserant. Unde hos omnes æquissimo animo & jure, in fructus & laudis, quæcunq; est, societatem admitto: ita quidem, ut minimam ejus partem mihi vindicem. Quinam omnium fontes præcipui extiterint, authores identidem allati indicabunt.

Methodus illa & optima visa fuit, & facillima, ut in quavis materia, seu dubio inprimis ex communi Doctorum sententia respondeatur; quæ responsio ceu regula quæpiam sit, ex qua deinde (quoties id fieri potest) aut certè circa eam, casus aliquot particulares resolvantur, ut secundum illos, & responsionem dictam alii similes, cùm inciderint, resolvi possunt.

Quia verò doctrina hæc ferè omnis versatur in cognoscenda bonitate, vel malitia actuum humanorum sive moralium, (unde & *moralis Theologia* dicitur) illa verò cognosci non potest sine regula, ad quam vel actus isti rectè accedant, vel à qua pravè recedant, agitur.

*Lib. I.* De actuum moralium regula, tum interna, hoc est, conscientia, tum externa, hoc est, præceptis in genere.

*Lib. II.* De Præceptis Fidei, Spei, Charitatis: quæ sunt quasi præambula Decalogi.

*Lib. III.* De Præceptis Decalogi, & Ecclesiæ.

*Lib. IV.* De Præceptis certorum hominum statui propriis.

*Lib. V.*

*Lib. V.* De modo discernendi naturam, & gravitatem peccatorum, quæ contra dicta præcepta committuntur.

*Lib VI.* De Sacramentis novæ legis.

*Lib VII.* De Censuris Ecclesiasticis, & Irregularitatibus.

# INDEX CAPITUM ET DUBIORUM.

## *LIBER I.*

### *De Regula actuum humanorum.*

### Tractatus Primus, *De Regula interna, sive Conscientia.*

*Cap. I. Quid conscientia, & an sequenda sit?* p. 1.
*Cap. II. De conscientia dubia.* 4
*Dub. I. Quid sit conscientia practicè dubia, & quid in ea agendum?* ibid.
*Dub. II. Quid agendum cum conscientia speculativè dubia?* 7
*Dub. III. An in dubio tutior pars eligenda?* 11
*Cap. III. Quid conscientia scrupulosa, & quid in ea agendum?* 14

### Tractatus Secundus. *De regula externa actuum humanorum, scilicet à Lege.*

*Cap. I. De natura & obligatione Legis in genere* 17
*Dub. I. Quid sit Lex sive præceptum?* ibid.

*Dub.*

*Dub. II. Quotuplex sit Præceptum?* 19
*Dub. III. An vis & substantia legis positivæ dependeat ab acceptatione communitatis?* 20
*Dub. IV. An Præcepta etiam humana obligent sub peccato, & quali?* 22
*Cap. II. De subjecto cui datur præceptum?* 23
*Dub. I. Quæ personæ Præceptis obligentur?* ibid.
*Dub. II. An peregrini teneantur legibus sui domicilii, dum ab eo absunt?* 25
*Dub. III. An peregrini & vagi teneantur præceptis locorum, in quibus morantur?* 28
*Dub. IV. An peregrini teneantur præceptis juris communis, si non sint in usu, in loco ubi morantur?* 29
*Cap. III. De modo, quo observanda sunt præcepta.* 30
*Dub. I. An debeant impleri ex charitate?* ibid.
*Dub. II. An ad impletionem præceptorum, requiratur intentio iis satisfaciendi?* 31
*Dub. III. An satisfaciat præcepto, qui faciens opus expressè intendit per illud non satisfacere?* 32
*Dub. IV. An ad impletionem præceptorum, requiratur intentio, seu voluntas faciendi id, quod præceptum est?* 33
*Dub. V. An duplici præcepto, uno actu, vel diversis actibus, eodem tempore possit satisfieri?* 35
*Dub. VI. An, qui uno actu violat plura præcepta, committat plura peccata?* 36
*Cap. IV. Quæ excusent à transgressione præcepti?* 37
*Dub I. An ignorantia excuset?* 37
*Dub. II. An metus excuset?* 38
*Dub. III. An excuset dispensatio totius vel partis?* 39
*Dub IV. An excuset dispensatio?* 41
*Appendix de Dispensationibus S. Pœnitentiariæ.* 45

LIB.

Et Dubiorum.

# LIBER SECUNDUS.

## *De Præceptis virtutum Theologicarum.*

### Tractatus Primus.

### *De Præceptis Fidei.*


*Cap. I. Quæ misteria fidei necessario credenda sint.* 53
*Cap. II. Quando obliget præceptum fidei.* 56
*Cap. III. An aliquando liceat exterius fidem veram negare, aut falsam profiteri* 59
*Cap IV. De infidelitate, & vitiis fidei oppositis.* 64.
*Dub I. Quid, & quotuplex sit infidelitas?* ibid.
*Dub. II De Iudaismo.* 65
*Dub. III. Quid sit hæresis?* 66


### Tractatus Secundus.


*De præcepto Spei.* p. 68. 69.


### Tractatus Tertius.

### *De præceptis Charitatis.*


*Cap I. An, quando, & quomodo obliget præceptum Charitatis Dei?* 70.71.72
*Cap. II. De præceptis Charitatis erga proximum.* 73
*Dub. I. Quis ordo servandus inter personas quæ diliguntur?* ibid.
*Dub. II. De odio, & dilectione inimicorum.* 75
*Dub. III. De præcepto Eleemosynæ, seu misericordiæ temporalis.* 79
*Dub. IV. De misericordia spirituali, seu præcepto correptionis fraternæ.* 84
*Dub. V. De Scandalo.* 88
*Art. I. Quid, quotuplex sit & quale peccatum?* ibid.


*Artic.*

*Artic. II. An, & quando scandalum passivum permitti possit, aut ob illud vitandum, aliquid omitti debeat?* 91
*Artic. III. An liceat alterius peccato materialiter cooperari?* 96

# LIBER TERTIUS.

## *De præceptis Decalogi, & Ecclesiæ.*

### Tractatus Primus.

### *De I. Præcepto Decalogi.*

*Cap. I. De Superstitione, & speciebus ejus* 102
*Dub. I. Quid sit & quotuplex?*
*Dub. II. De divinatione. Quid & quotuplex sit?* 104
*Dub. III. Quid, & quotuplex sit Idololatria?* 110
*Dub. IV. Quid & quotuplex sit vana observantia, & unde colligatur?*
*Dub. V. Quid maleficium, & quomodo possit tolli?* 115
*Cap. II. De irreligiositate.* 118
*Dub I. Quid sit tentatio Dei?* *ibid.*
*Dub II. Quid & quotuplex sit Sacrilegium?* 120
*Dub III. De Simonia* 123
*Artic. I. Quid sit & quotuplex?* *ibid.*
*Artic. II. Quæ sit pœna Simoniæ?* 128
*Artic. III. An & cui restituendum, quod simoniacè acceptum?* 129

### Tractatus Secundus.

### *De II. Præcepto Decalogi.*

*Cap. I Quid, & quotuplex Blasphemia?* 131
*Cap. II. De Iuramento?* 135

*Dub. I.*

*Dub. I. Quid sit Iuramentum?* 135
*Dub. II. Quotuplex sit juramentum?* 139
*Dub. III. An & quando sit licitum jurare?* 140
*Dub. IV. An in juramento liceat uti aquivocatione?* 142
*Dub. V. Qua & quanta sit obligatio juramenti promissorii.* 144
*Dub VI. Quibus casibus excusetur ob impletione, qui in promissorio juramento obligationem contraxit.* 148
*Dub. VII Quomodo obligatio juramenti tollatur per irritationem, dispensationem, commutationem, & remissionem.* 149
*Cap. II. De Voto* 151
*Dub. I. Quid sit votum, & quotuplex?* ibid.
*Dub. II Qua requiratur voti deliberatio, & intentio?* 152
*Dub. III. Qua requiratur materia voti?* 156
*Dub. IV. Qua & quanta obligatio voti* 158
*Dub. V. Quot modis tollatur obligatio voti?* 163
*Dub. VI. De voti irritatione.* 164
*Artic I. An & quomodo tollatur obligatio voti per directam irritationem?*
*Artic. II. Quis vota indirectè possit irritare?* 166
*Dub. VII. Quis sit commutatio voti?* 168
*Dub. VIII. Quid sit dispensatio, & qui possint dispensare in votis?* 170

## Tractatus Tertius.

### *De III. & IV. Præcepto.*

*Cap. I. Quid tertium præceptum:* Memento, *&c.* 172
*Dub. I. Qua opera, tum hoc præcepto, tum ab Ecclesia*

ſa prohibeantur? 172
Dub. II. Quæ cauſæ excuſent ab obſervatione feſtorum, ob quas opera prohibita liceant? 175
Dub. III. Quæ opera feſtis præcipiantur? 177
Dub IV. An ſit obligatio audiendi Miſſam in Parochia, Dominicis & feſtis majoribus? 181
Dub. V. Quæ excuſent ab auditione Sacri? 187
Cap. II. De IV. Præcepto: Honora Patrem, &c. 189
Dub. I. Ad quid teneantur liberi erga parentes? ib.
Dub. II. Ad quid teneantur parentes erga filios? 191
Dub III. Ad quid teneantur tutores, & Curatores, qui parentum ſunt loco? 195
Dub. IV. Quæ obligatio dominorum & famulorum, aliorumque ſuperiorum, & inferiorum erga ſe invicem? 196
Dub. V. Quid teneantur conjuges erga ſe mutuò, vi hujus præcepti? 199
Dub. VI. Quæ obligatio Parochorum erga ſuos? 200
Dub. III. Quæ obligatio Præceptorum & diſcip.? 201

## Tractatus Quartus.

### De V. & VI. Præcepto.

Cap I Quid V. Præcepto prohibeatur? Non occides. 203
Dub. I. An aliquando liceat occidere, vel mutilare ſemetipſum? ibid.
Dub. II. An, & quomodo liceat occidere malefactorem? 207
Dub. III. An, & quomodo liceat occidere privata authoritate iniquum aggreſſorem? 208
Dub IV. An aliquando liceat occidere innocentem? 211
Dub. V. De duello & bello 214

Ar-

*Artic.I Quid sit, & an liceat duellum?* ibid.
*Artic.II. An & quousque liceat bellum?* 215
*Artic.III. Quid in bello justo liceat?* 216
*Cap.II. De VI. Præcepto & IX. Non mœchaberis, &c. Non concupiſces, &c.* 222
*Dub.I. An, & quanta peccata ſint oſcula, amplexus, tactus, verba obſcœna, & ſimilia extra matrimonium?* 223
*Dub.II. Quæ ſint ſpecies Luxuriæ conſummatæ naturales?* 227
*Dub.III. Quæ ſint ſpecies Luxuriæ conſummatæ contra naturam?* 230
*Dub.IV. An aliquando liceat procurare pollutionem?* 232

## Tractatus Quintus.

*De VII. Præcepto: Non furtum facies.* 236
*Cap.I. De furto.* ibid.
*Dub.I. Quid ſit furtum, & quale peccatum?* ibid.
*Dub.II. Quid ſit quantitas notabilis ad mortale peccatum?* 237
*Dub.III Quàm graviter peccet, qui multa minuta furta committit?* 238
*Dub.IV Quid ſentiendum de furtis domeſticorum, vel amicorum?* 240
*Cap.II. De reſtitutione.* 243
*Dub.I. Quid ſit reſtitutio, & qui teneãtur ad eã?* ib.
*Dub.II. An qui cooperantur ad damnum alterius, teneantur ad reſtitutionem?* 245
*Dub.III An ſupradicti teneantur ſinguli reſtituere in ſolidum, & quo ordine?* 249
*Dub.IV. An teneatur reſtituere, qui alium impedivit à conſecutione alicujus boni?* 251

*Dub.*

*Dub. V. Cui, vel quibus restituendum?* 252
*Dub. VI. De rebus, quæ debent restitui.* 257
*Art. I. Quid debeat restitui ab inferente injuriam materialem tantùm, sive à possessore bonæ fidei?* ibid.
*Artic. II. Quid debeat restitui ab inferente injuriam formalem, seu malæ fidei damnificatore, seu possessore?* 261
*Artic. III. An, & quid debeat restitui pro injuria illata corpori, v. g. per mutilationem, occisionem? &c.* 264
*Artic. IV. Quid debeat restitui pro illato stupro?* 267
*Art. V Quid debeat restitui pro adulterio?* 268
*Art. VI. Quid debeat restitui pro fama, & bonis spiritualibus, ut inductione ad peccatum, avocatione à religione?* 269
*Dub VII. De circumstantiis restitutionis.* 271
*Artic. I Quo tempore, loco, & modo debeat restitui?* ibid.
*Artic. II. Quo ordine restitui debeat?* 272
*Artic. III. Quæ à restitutione excusent?* 274
*Cap. III. De Contractibus.* 278
*Dub. I. Quid in genere sit contractus?* ibid.
*Dub II. Quid in specie de promissione, & donatione?* 280
*Dub. III. Quibus casibus donatio possit revocari?* 285
*Dub. IV. Quid sit donatio mortis causa, & an possit revocari quomodo, & quibus competat?* 287
*Dub. V. Quid sit commodatum, precarium, & depositum?* 289
*Dub. VI. Quid sit mutuum?* 292

*Dub.*

*Dub.VII. Quid sit usura?* 293
*Dub.VIII. De Emptione & Venditione.* 299
*Art.I. Quid sit Emptio & Venditio?* ibid.
*Art.II. Quid sit negotiatio, & quibus illicita?* 307
*Dub.IX. Quid sit contractus census, & an licitus?* 308
*Dub.X. Quid sit cambium?* 311
*Dub.XI. Quid locatio & conductio?* 313
*Dub.XII. De contractu Emphyteusis, Feudi, & Libelli.* 316
*Dub.XIII. Quid sit sponsio & Ludus?* 317
*Dub.XIV. Quid contractus societatis?* 322
*Dub.XV. Quid sit assecuratio, & fidejussio?* 324
*Dub.XVI. Quid sit pignus, & hypotheca?* 326.
*Cap.IV. De tutela & testamentis.* 328
*Dub.I. Quid sit tutela, & curatela?* ibid.
*Dub.II. Quid & quotuplex sit testamentum?* 331
*Dub.III. De renunciatione hareditatum.* 337
*Dub.IV. Qui possint, & debeant esse executores testamenti?* 341
*Dub.V. De iis, qui testari & haeredes instituì possint?* 348

## Tractatus Sextus.

### *De Præcepto VIII. IX. X.*

*Cap.I. De Præcepto VIII.* 355
*Dub.I. Quid sit suspicio, judicium temerarium, & dubitatio: & quale peccatum?* ibid.
*Dub.II. Quid sit, & quàm grave peccatum Detractio.* 358
*Dub.III. An & quomodo famare stituenda?* 367
*Cap.II. Quid de Præcepto IX, & X.* 370

Cap.

Cap. III. Quid de præceptis Ecclesiæ? 371
Dub. I. Quid requiratur ad jejunium Ecclesiasticum, & quanta ejus obligatio? ibid.
Dub. II. Quæ causa excusent à jejunio? 376

# LIBER QUARTUS.

## De Præceptis particularibus, certo hominum statui propriis.

Cap. I. De statu religiosi. 381
Dub. I. Quæ sit natura status religiosi? ib.
Dub. II. Quæ requirantur ad valorem professionis religiosæ? 584
Dub. III. Ad quid teneatur Religiosus vi suæ professionis? 386
Dub. IV. Ad quid Relig. obligetur vi votorum? 389
Dub. V. Qui possint, vel teneantur ingredi Religionem? 397
Dub. VI. Ad quid teneantur religiosi ejecti, & fugitivi? 400
Cap. II. De statu Clericorum. 403
Dub. I De Beneficiis Ecclesiasticis ibid.
Artic. I. Quid, & quotuplex beneficium Ecclesiasticum? ibid.
Artic. II. Quomodo acquirantur & conferantur beneficia? 405
Artic. III. Quæ intentio, & qualitates requirantur ad beneficium accipiendum? 408
Art. IV. An liceat habere plura beneficia? 410
Art. V. Quibus modis beneficia amittantur? 413
Art. VI. Quid & quotuplex sit pensio? 417
Dub. II. De Horis Canonicis. 418

Art.

*Art. I. Qui obligentur ad horas?* 418
*Artic. II. Quanta sit hæc obligatio?* 425
*Art. III Quæ excusent à recitatione horarum?* 427
*Art. IV. Quomodo recitandæ sint horæ?* 430
*Dub. III. Quid Clerici possint circa dispositionem fructuum suorum beneficiorum?* 439
*Dub. IV. Quis sit habitus Clericorum, quæ artes, officia, actiones iis prohibeantur?* 444
*Cap. III. De statu, officio personarum secularium quarundam, præsertim judicialium.* 446
*Dub. I. Quæ requirantur ad legitimum judicium?* ibid.
*Dub. II. De potestate & officio judicis.* 448
*Art. I. Quid requiratur in judice?* ibid.
*Art. II. Quid judici servandum circa inquisitionem?* 450
*Art. III. Quid liceat judici circa quæstiones, sive torturam?* 452
*Art. IV. Quid servandum judici circa sententiam & pœnam?* 455
*Dub. III. Quod sit officium Advocati?* 461
*Dub. IV. Quæ sit obligatio Referentis, Secretarii, Notarii, & Procuratoris?* 466
*Dub. V. Quod sit officium accusatoris?* 469
*Dub. VI. De Testibus.* 471
*Dub. VII. De Reo.* 474
*Art. I. An, & qn. Reus teneatur fateri veritatem?* ibid.
*Art. II. Quid liceat reo circa fugam pœnæ?* 478
*Dub. VIII. Quomodo confessario agendum cum reo?* 480
*Dub. IX. Quæ obligatio Medicorum, Pharmacopœorum, & Chirurgorum?* 483
*Dub. X. Quæ obligationes mercatorum, opificum, & caterorum secularium?* 485

## LIBER QUINTUS.

### *De ratione cognoscendi, & discernendi peccata.*

*Cap. I. De peccato in genere.* 487
*Dub. I. Quid sit peccatum?* ibid.
*Dub. II. An, & quando desideria, & delectationes sint peccata?* 490
*Art. I. Quale peccatum sit desiderium malum?* 490

*Art. II. An delectatio morosa semper sit peccatum?* 49
*Dub. III. De distinctione peccatorum.* 497
*Art. I. Quæ peccata distinguantur specie?* ibid.
*Art. II. Quæ peccata distinguantur numero?* 49
*Cap. II. De peccatis in specie, mortali & veniali.* 501
*Dub. I. Quid sit peccatum mortale & veniale?* ibid.
*Dub. II. Quibus ex causis peccatum ex genere suo mortale fiat per accidens veniale?* 503
*Dub. III. Quibus modis peccatum, ex genere suo veniale, aut actus indifferens, transeat per accidens in mortale?* 506
*Cap. III. De peccatis capitalibus in specie.* 508
*Dub. I. Quid sit superbia, & quale peccatum?* ib.
*Dub. II. Quid Avaritia?* 512
*Dub. III. Quid Luxuria?* 517
*Dub. IV. Quid Invidia?* 518
*Dub. V. De Gula.* 521
*Art. I. Quid sit Gula?* ibid.
*Art. II. Quid sit Ebrietas?* 523
*Dub. VI. Quid sit Ira?* 525
*Dub. VII. Quid sit Acedia?* 528

# LIBER SEXTUS.

## *De Sacramentis.*

### Tractatus Primus.

### *De Sacramentis in genere.*

*Cap. I. De natura Sacramenti novæ legis.* 531
*Dub. I. Quid sit Sacramentum?* ibid.
*Dub. II. Quid circa materiam & formam Sacramentorum servandum?* 535
*Cap. II. De ministro Sacramentorum.* 536
*Dubium I. Quid requiratur, ut minister det validè Sacramentum?* ibid.
*Dub. II. Quid requiratur in ministro, ut licitè ministret?* 539
*Cap. III. De suscipiente Sacramentum.* 542
*Dub. I. Quæ dispositio requiratur ad valorem Sacramenti in suscipiente?* ibid.
*Dub. II. Quid requiratur, ut licitè, & cum fructu suscipiatur?*

tur? 544
Cap. IV. Quid sint Sacramentalia, & quid officiant? 545

## Tractatus Secundus.

### De Baptismo & Confirmatione.

Cap. I. De Baptismo. 547
Dub. I. Quæ materia Baptismi? ibid.
Dub. II. Quæ sit forma Baptismi? 551
Dub. III. De Ministro Baptismi. 553
Artic. I. Quis sit Minister Baptismi? ibid.
Art. II. An duo possint simul unum baptizare? 555
Dub. IV. Quod sit subjectum Baptismi? 556
Dub. V. De Cæremoniis Baptismi. 560
Artic. I. Quæ servanda circa Cæremonias baptizandi? ibid.
Artic. II. Qui patrini, & quod eorum officium? 562
Cap. II. De Confirmatione. 565
Dub. I. Quid sit, & quæ ejus materia & forma? ib.
Dub. II. Quis minister, & quod subjectum? 567
Dub. III. Quæ confirmationis necessitas, & cæremoniæ? 568

## Tractatus Tertius.

### De Eucharistia.

Cap. I. De essentia Eucharistiæ. 571
Dub. I. Quid sit Eucharistia? ib.
Dub. II. Quæ materia Eucharistiæ? 573
Dub. III. Qualis debeat esse panis in materia Eucharistiæ? 574
Dub. IV. Quale vinum sit materia Eucharistiæ? 577
Dub. V. Quæ conditiones ad materiæ consecrationem requirantur? 581
Dub. VI. Quæ forma consecrationis Eucharistiæ? 586
Dub. VII. Quamdiu Christus maneat in Eucharistia? 588
Cap. II. De causis & subjecto Eucharistiæ? 590
Dub. I. De causis. ibid.
Art. I. Ad quem spectet dispensatio Eucharistiæ? ib.
Art. II. Quid requiratur in ministro ad licitam administrationem Eucharistiæ? 595
Dub. II. De subjecto, seu suscipiente Eucharistiam. 600
Art. I. Quæ requiratur in eo dispositio animæ? ibid.

*Art.II. Quæ requiratur dispositio corporis?* 604
*Art. III. Quæ & quanta sit obligatio sumendi Eucharistiam?* 611
Cap.III. *De Eucharistia, ut est sacrificium,* 616
*Dub.I. Quid sit Missa. & quæ obligatio Sacerdotum circa illam?* ibid.
*Dub.II. Cujus sit applicare fructum sacrificii?* 621
*Dub.III. Quando & quoties liceat celebrare?* 621
*Dub.IV. Quo loco celebrandum sit?* 621
*Dub.V. Quæ sint requisita ad Missam?* 624

## Tractatus Quartus.
### *De Sacramento Pœnitentiæ.*

Cap.I. *De essentia hujus Sacramenti.* 644
*Dub.I. Quæ sit ejus materia & forma?* ibid.
*Dub.II. Qualis contritio requiratur?* 647
*Dub.III. Qualis confessio requiratur?* 651
*Art.I. An debeat esse integra materialiter?* ibid.
*Art.II. Quando sufficiat confessio integra formaliter?* 657
*Art.III Quæ sint reliquæ conditiones confessionis?* 661
*Art.IV. Quando confessio sit invalida, & quomodo iteranda?* 665
*Dub.IV. De Satisfactione.* 668
*Art.I Quæ ejus necessitas, & quantitas?* ib.
*Art.II. De satisfactione per indulgentias.* 675
§.1. *Quid sit indulgentia, & quid ad eam requiratur?* ib.
§.2. *Quotuplex indulgentia, & quomodo differat à Jubilæo?* 682
Cap.II. *De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ.* 685
*Dub.I. Quis sit Minister?* ibid.
*Dub.III. Quid, & quotuplex jurisdictio confessarii, & unde eam habeat?* 689 & seq.
*Dub.IV. Quid reservatio casuum, & quis habeat potestatem reservandi, & absolvendi ab iis?* 695
*Dub.V. Quod sit officium & obligatio confessarii?* 701
*Dub. IV. Quæ scientia, & prudentia requiratur in Confessario?* 708
Cap. III. *De adjunctis Pœnitentiæ.* 712
*Dub.I. Quid sit sigillum confessionis, & qui ad illud teneantur.*

antur? ibid.
Dub. II. Quale sit præceptum, & quæ obligatio confessionis? 722

## Tractatus Quintus.

### De extrema Vnctione & Ordine.

Cap. I. Quid sit extrema Vnctio, & quæ circa eam observanda? 725
Cap. II. De Sacramento Ordinis. 733
Dub. I. Quid Ordo, quotuplex, & quæ ejus materia? ibid.
Dub. II. Quæ requirantur in ordinando? 737

## Tractatus Sextus.

### De Matrimonio.

Cap. I. De Sponsalibus. 548
Dub. I. Quid sint sponsalia? ib.
Dub. II. Quæ & quanta obligatio sponsalium? 747
Dub. III. Quomodo dissolvantur sponsalia? 749
Cap. II. De matrimonio secundum se. 753
Dub. I. Quid sit, quæ ejus materia, forma, & minister? ibid.
Dub. II. De usu matrimonii. 757 & seq.
Artic. I. An usus matrimonii, sive actus conjugalis sit licitus? ibid.
Art. II. An actus conjugalis sit præceptus & debitus? 761. seq.
Dub. III. An, & quibus ex causis possit fieri divortium? 765
Cap. III. De impedimentis matrimonii. 768
Dub. I. Quæ sint impedimenta impedientia tantum? 769
Dub. II. Quæ impedimenta dirimentia matrimonium? 774
Dub. III. Quomodo matrimonium invalidum sit revalidandum? 789
Dub. IV. A quo, & ob quam causam possit dispensari in impedimentis matrimonii? 791

# LIBER SEPTIMUS.

### De Censuris Ecclesiasticis, & irregularitatibus.

Cap. I. De censuris in genere. 794
Dub. I. Quid censura Ecclesiastica? ibid.

*Dub.II Quotuplex censura?* 796
*Dub.III. Qui possint ferre censuram, & in quos?* 797
*Dub.IV. Ob quam causam possit ferri censura?* 799
*Dub.V. Qui possint absolvre a censuris?* 803
*Dub.VI. Quomodo danda sit absolutio a censura?* 806
*Cap.II. De Excommunicatione.* 808
*Dub.I. Quid sit, & quotuplex?* ibid.
*Dub.II. Ob quam causam incurratur, & quem effectum habeat excommunicatio minor?* 810
*Dub.II Quos effectus habeat excommunicatio major?* 811
*Dub.IV. Ob quas causas incurratur excommunicatio major?* 818
*Art.I. Quæ sint excommunicationes non reservatæ?* ibid.
*Art. II. Quæ sint excommunicationes reservatæ Episcopis?* 820
*Art.III Quæ sint Papæ reservatæ extra Bullam Cœnæ?* 821
*Art.IV. Quomodo intelligenda excommunicatio percussoris clericorum?* 823
*Art.V. Quæ sint excommunicationes Papæ reservatæ per Bullam Cœnæ?* 827
*Cap.III. De Suspensione & Degradatione.* 829
*Dub.I. Quid sit suspensio. quotuplex, & unde cognoscendum, qualis & quanta sit?* ibid.
*Dub.II. Quæ sint suspensiones in particulari, & quis ab eis possit absolvere?* 833
*Dub.III. Quid sit dispositio, & degradatio, à quo, & ob quam causam fieri possit?* 835
*Cap.IV. De Interdicto* 836
*Dub.I Quid sit, & quotuplex?* ibid.
*Dub II. Qui sint effectus interdicti?* 839
*Dub.III. Quis censuram interdicti ferre, & quis tollere possit?* 839
*Cap.V. De irregularitate.* 840
*Dub.I. Quid, & quotuplex sit irregularitas?* ib.
*Dub. II. Quinam effectus irregularitatis?* 841
*Dub.III. Quomodo incurratur, & tollatur irregularitas?* 842
*Dub. IV. Quæ sint irregularitates ex delicto?* 842
*Dub.V. Quæ irregularitates ex defectu?* 846

INDEX

# INDEX AUTHORUM, qui in indice rerum suis locis additi fuerunt.

## A


Adami Burckhaber Soc. I. selectorum casuum conscientiæ Centuriæ tres: Monachii 12

Adamus Opatovius de sacramentis: Cracoviæ 1642. 8.

Alphonsus Escobar de Pontif. & Reg. potestate in studiis generalibus: Matrid. 1643.

Alphonsus de Leone de Censuris: Neap. 1644.

Andreas Gerunda: S. I. de Episcopo 2. tom. Neap. 1638. & 1653.

Andreas Mendo S. I. de Bulla Cruciatæ. Matrid. 1651.

Andreas Saussay Panoplia clericalis: Paris 1643. Episcopalis. 1646. Sacerdotalis. 1653.

Andreas Vallensis de Beneficiis: Mechliniæ. 1646

Angeli Mariæ Verricelli Quæstiones morales, Venet. 1653.

Antonii Escobar. S. I. Emblema Theol. mor. Lugd. 1653.

Antonius Merenda de Cambio: Papiæ. 1645.

Anton. de Quintana dvennas S. I. singularia Theol. Moral. de 7. Sacram. Hispali. 1645. & Venet. 1648.

Idem in præcepta Ecclesiæ Matrid.

Anton Rieciullus de personis, quæ statu reprobo versantur: Neap. 1641. 4.

Augustinus Barbosa od offic. & potest. Parochi, Lugd. 1647.

Augustinus Barnal. S. I. de sacram. Lugd. 1651.


## B


Baptista Fragosius S. I. de regim. Christian. Reip. 3. tomis: Lugd. 1641. 1648. 1652.

Bartholom. Amici S. I. Cursus Theol. de act. hum. tom. 3. de just & jur. to 5. de sacram. tom. 7. 8. Antuerp. 1650.

Basilius Pontius de Confirmatione: Salmant. 1630. 4.

Bernardinus Benedictus de Iubilæo extraordinario: Arimini 1648. 4.

Brunus Cassingh de privilegiis regularium Paris 1653.

C

Cæsar Carena de offic. S. Inquis. Lugd. 1649.
Carlous Antonellus de regim. Eccles. Episcop. 2. tomis. 4. Velitris. 1650.
Carolus Anton. Thesaurus. S. I. de pœnis Ecclesiastici. 4. Roma 1640.
Caroli de Bancio selecta casuum conscient. Neap. 1652.
Idem de exorcism. & malefic. 1643.

D

Didaci Antonii Frances formm conscientia, sive pastorale internum, Cæsaraug. 1651.
Didaci Garzia stimulus Fidei. 4. Panormi. 1642.

E

Eligii Bassai Flores Theol. prac. Antuerp. 1643. 4.

F

Fabritius Serianus de sacramentis, Neap. 1646.
Francisci Ant. Glianes summa censurarum & irregul. 2. Roma 1640.
Franciscus Aravio in Sum. S. Thom. pluribus tomis Salmant. 1646.
Franciscus Bardi S. I. de conscientia, Panorm. 1650.
Idem in Bullam Cruciata. 1646.
Ejusdem selecta moralia. 1653.
Francisci Bordoni sacrum Tribunal contra haretic. Roma. 1648.
Ejusdem consilia regularia, 2. tomis. Venet. 1641. Parma. 1648.
Franciscus Cespedes de exemptione regularium 4. Venet. 1647.
Franciscus Hallier de sacra electione, Paris 1646.
Ejusdem Hierarchia Ecclesiast. 1636.
Franciscus de Lugo S. I. de sacra. Granata, 1644. 4.
Ejusdem decursus pravius Theol. moral. mant. Carpent. 1643. 4.
Idem de sacram. in particulari, Venetiis. 1652. 4.
Franciscus de Oviedo S. I. inprim. 2. S. Thom. Lugd. 1646.
Idem in 2. 2.
Francisci Mariæ Samuellii praxis de sepulturis Ecclesiast. Luca 1650.
Francise. Pellizarii S. I. de Monialibus 4. Bon. 1644.

Ejus-

*Ejusdem manule regularium, 2. tomis. Lugd. 1651.*
*Franciscus Pintherau S. I. de sufficientia attritionis in sacram. 8. Paris. 1614.*
*Franciſci Torreblanca juris ſpiritualis practibalium quæſt. Cordubæ 1635.*
*Franciſcus Zipæus de juriſdictione Leodii. 1649.*
*Fulgentius de Oviedo de Repnb regularium Matrid. 1639.*

G.

*Gaſparis Loarte S.I. inſtitutio Confeſſariorum. 12. Pariſ. 1653.*
*Geſuald de Bononiu de ſacrament. Venet. 1649.*
*Idem de indulgent. Cenſur.*
*Idem in præcepta Decalogi & Eccleſiæ.*
*Gregorius Caraſa de Monomachia, ſeu Duello, Romæ 1647.*
*Guilielmus Mercerus in 3. p. S. Thom. Lovanii 1630.*

H

*Hiacynthi Donati rerum regularium praxis 2. tomis Neap. 1652.*
*Hieronymi Gerrantini S. I. Theoreticæ & practicæ diſput. de ſcandalo, & Correp. fraterna. Romæ 1653.*
*Hieronymi Verneri praxis Epiſcoporum, & aliorum, qui ſacrament. adminiſtrant. Venet 1645.*
*Honoratus Leotardus de uſuris: Lugd. 1649.*

I

*Jacobi Mancini praxis viſitandi infirmos: Mercuriani, 1642. & Venet.*
*Jacobus Raggius, de Regim. regular. Genuæ 1653.*
*Ignatii Lupi commentaria in edict. S. Inquiſit. Bergomi 1648*
*Illuminati Moroni centum reſponſa: Venet. 1645.*
*Joannes Ægidius Trullench. de ſacrament. Venet. 1648. Operum moralium tom 3.*
*Jo. Angeli Boſſii operum Moral. tomi 3. Lugd. 1651.*
*Idem de Jubilæi privilegi. Piſis 1635.*
*Jo. Baptiſtæ Lezzanæ Quæſtiones regulares, & conſulta varia: Venet. 1654. fol.*
*Ejuſdem exercitationes Eccleſiaſticæ: ibid.*
*Joannis Caramuelis Theologia moralis ad prima principia redacta*

dacta Lovanii 1645. Theol. fundamentalis: Francofurt 1652. Regularis Venet 1651. 4. In summa S. Thom. Francof. 1654.
Jo. de Dicastillo S. I. de just. & jur. 2. tomis. ibid. 1650. & 1652.
Jo. de Lugo S. I. Card. Responsa moral. Lugd. 1651.
Jo. de S. Thoma cursus Theologicus 4. tomis.
Jo. Escobar à Cotro opera moralia 2. tomis. Cordubæ 1642.
Jo. Franciscus de Cuenca: de sui, personalique defensione: Cæsaraug. 1645. 4.
Jo Franciscus Giracus de Regim Regularium 4 Lugd. 1646.
Jo. Maria de Castilento Seraphica Theologiæ moralis Polyanthea: Venet 1652.
Joannes Martinon S. I. de sacramentis tomo 4. & 5. Burdegale 1647.
Jo. Nicolaus Lucidorve de illegitimis clericorum & regularium juxta Bullam Pii V. Perusiæ Augustæ 1648.
Jo. Paulus Xammar de officio Judicis, & Advocati. Barcinone 1639.
Joannis Roccaful praxis Theol. moralis 2 tomis. Valentiæ 1648.
Joannis Vvamesii responsa Canonica, 2. tomis Lovanii 1643.
Josephi de Januario Resolutiones selectæ 2. tom. Neap 1645. 1651.
Josephus Gibalinus S. I. de irregularitate Lugd. 1652. 4.
Idem de clausura Monialium: Lugduni 1648. 4.

## L

Laurentius de Peyrinis de privilegiis Regularium 2. tomis Venet. 1643.
Leander à S. Sacramento. de sacramentis Matrid.
Idem de præcept. Eccles. & Censur. Compluri.
Leonardus Duardus de Societatibus Neapol. 1644.
Idem in Bullam Cœnæ, ibid.

## M

Marcus Serio de offic. & potest. Paroch. tom. 1. In Bullam Cruciatatom 2. In Decal. & Prac. Eccl. to. 3. Panormi 1647. 1650. 1651.
Marius Italia de Immunit. Eccles. Panormi 1646.
Martinus Bresserus S. I. de conscientia 4. Antuerpiæ 1638.

Marti-

Martinus Perez. S. I. de Pœnitentia: Lugd. 1653.
Idem de matrimonio: ibid. 1646.
Matthæus Homem Leitomius de conscientia 12. Paris. 1653.
Mauritii de Gregorio Expositio paraphrastica omnium Bullarum, Conciliorum, Decretorum, &c. Neap. 1649.

N

Nicolaus Isambertus in 3. partem S. Thomæ tom. 2. & 3. Paris. 1639. 1642.

P

Pacis Jordani Elucubrat. 3. tomis Patavei 1650.
Parochianus obediens de auditione Verbi Dei: Duaci 1613. 8.
Pauli Piasecii praxis Episcopalis: Venet. 1647.
Paulus Squillant. de oblig. & privil. Episcop. Neap. 1649. 4.
Petrus Anellus Persicus S. I. de præcipuo Sacerd. officio Neap. 1649.
Idem de Horis Canonicis 4.
Petrus de Ochagavia Navarrus de sacramentis: Salmanticæ 1619.
Petrus de Onnate S. I. de Contractibus 3. tomis. Romæ 1646. 1647. 1654.
Petri Marchant. Tribunal. sacramentorum, 2. tom. Gandavi 1613. & 3. Antuerp. 1650. Ejusdem Baculus pastoritis de potest. Episc. in regulares: Brugis 1630.
Petri Pauli Guazzini tractatus moralis ad defensam animarum Advocatorum, judicium, & reorum: Venet. 1650.
Philibertus Marchinus de sacramento Ordinis: Lugd. 1638.
Idem de quibusdam occurrentibus tempore pestis 16. 1633.

R

Raphael Aversa de sacramentis 3. tomis 4. Bononiæ 1640. 1642.
Roderici de Arriaga S. I. de Legibus cursus Theologiæ pluribus tomis, Lugd. & Antuerp.

S

Sanctorii à Melsi pœnalium distinctionum Examen circa Regulares, Romæ 1649.
Sebastianus Sabellus S. I. de materiis Tribunalis inquisit. 3. tomis, Romæ 1651. 1654.

Sfortiæ Pallavicini S. I. Assertion. Theol. 7. tomis. 12. Romæ. Idemde Act. human. Lugd. 1653. fol.
Simonis Starovolscii Epitome Conciliorum Romæ 1653.
Stephanus à S. Gregorio de Restitutione, & Contractibus, Ferrariæ 1652.
Stephanus Baunii S. I. de sacram. Censur. Benefic. & Contract. 4. tomis Paris.
Stephanus Michael Tarreda de Beneficiis Paris. 1645.

T

Theophili Alarii Canones conscientiæ, Liburni 1651.
Theophili Raunandi, Soc. I. de Æquivocis. 8. Lugd. de Calumnia 4. ibid. 1650. Erotemata de confixione librorum 1653. Ex bonis Ecclesiæ lucubratio ibidem. 1653.
Thomæ del Bene de immunit. Ecclesiast. Lugd. 1650.
Thomæ Hurtado resolutiones morales, 2. tomis, Lugd. 1651.
Thomæ Pelliccioni illustr. quæstion. utriusque jur. Neap. 1648.
Thomæ Tamburinus S. I. in Decalogum. Venet. 1654.

V

Vincentii Tancredi S. I. de religionis virtute, Monteregalis 1651. De Matrimonio 2. tomis Quæstiones morales, Panormi 1654.
Vrbani à conceptione Theolog. moralis de triplici munere Confessarii, Augustoriti. 1649.

Z

Zachariæ Pasqualigi praxis jejunii, Romæ 1644. praxis magni Iubilæi, Romæ 1650.

LIBER

# LIBER PRIMVS,

## *De Regula actuum humanorum,*

## Tractatus Primus:

### *De Regula interna, sive Conscientia.*

### CAPUT I.

*Quid Conscientia, & an sequenda sit?*

REspondeo I. Conscientia est dictamen rationis, seu actus intellectus, quo judicamus aliquid hic & nunc agendum, vel omittendum esse, vel fuisse, tanquam bonum vel malum, idque vel per modum præcepti, vel consilii. Hæc communiter est recta, dictans quod verum est: aliquando tamen non est recta, dictans aliquid aliter quàm sit v. g. esse bonum, quod est malum; diciturque Erronea, quia contingit cum errore: idque vel vincibiliter, seu culpabiliter, quando scilicet error vitari potuit, ac debuit: vel invincibiliter, quando error moraliter vitari non potuit; ideoque nec voluntarius est, & consequen-

ter non imputatur ad culpam : & hæc dicitur Conſcientia Recta ſecundùm quid, ſive in ordine ad nos. Ex *D. Thom. Lay. l. 1. tr. 1. c. 2. n. 1. & cap. 3.*

Reſp. II. Non tantùm Conſcientia recta, ſed etiam inculpabiliter erronea, dictans aliquid per modum præcepti, obligat ut eam ſequaris, & ſi contra facis, peccas; & quidem peccatum ejus ſpeciei, contra cujus virtutis ſpeciem intellectus peccare judicat. Ratio prioris eſt, quia Conſcientia recta eſt regula proxima voluntatis, derivata à prima & principali regula omnium actionum humanarum, ſcilicet lege divina & æterna. *S. Thom. 1. 2. qu. 19. art. 3.* Ratio poſterioris eſt, tum, quia ſi intellectus voluntati proponit malum, eſto malum non ſit, ſi tamen putans eſſe malum, vult illud facere, jam voluntas verè conſentit in malum, habetque ſufficientem affectum ad peccatum illud, quod apprehendit: tum, quia *omne quod non eſt ex fide*, hoc eſt (ut à Sanctis Patribus communiter explicatur) quod non eſt ſecundùm conſcientiam, *peccatum eſt*, ut dicitur ad *Rom. 14.* Par eſt ratio, ſi intellectus proponat aliquid ut bonum & præceptum, eſto non ita ſit, ſed malum; voluntas tamen illud liberè reſpuendo vel omittendo, conſentit in tranſgreſſionem præcepti, & peccat. Cujus ulterior ratio eſt, quia objectum tribuit actui ſpeciem, prout hic & nunc ab intellectu proponitur. *S. Thom. loc. c. a. 5.*

*Ex dictis reſolvuntur ſequentes Caſus, & ſimiles.*

I. Putans eſſe jejunium, quando non eſt, pec-

ca-

cat contra temperantiam, ſi non jejunet. *S. Thom. loc. cit.*

II. Si quis mentiatur ad liberandum proximum ex periculo vitæ, putans ſe ex miſericordia ad id teneri, actum bonum facit; & ſi non mentiatur, peccat contra miſericordiam, *Laym. lib. 1. tr. 1. c. 4.*

III. Scrupuloſus, licet putet involuntarias diſtractiones eſſe peccata, non tamen peccat, quia non ſunt liberæ. *Becan. in primam ſecundæ, tr. 1. c. 4. q. 7. Laym. l. c.*

Reſp. III. Si ſit Conſcientia culpabiliter erronea, judicans ex ignorantia vincibili aliquid prohibitum eſſe, aut præceptum, quod non eſt, peccat: & peccas, ſi contra eam, & ſi ſecundum eam opereris; gravius tamen (cæteris paribus) ſi contra. *Breſſer. Bardi. d. 3. c. 5.* Ratio prioris eſt, tum, quia non agis ſecundum regulam humanorum actuum: tum, quia voluntas cum per ſe ſit cœca, debet ſequi rationis judicium: ſi enim perſeverante illo judicio appetat alteram partem, non poteſt in eam ferri ſub ratione honeſti, cum intellectus ſub ea ratione non propoſuerit. Ratio poſterioris eſt, quia ut cum *D. Thoma* docetur communiter, ignorantia vincibilis non excuſat à culpa: cum enim in noſtra poteſtate ſit, errorem vincibilem deponere, malum, quod fit ex conſcientia erronea, dictante illud eſſe faciendum, eſt indirectè voluntarium, ideoque imperatur ad culpam. *S. Thom. l. c. Bonac. tom. 2. d. 2. q. 4.*

*Unde resolvuntur Casus sequentes.*

I. Homo in tali casu constitutus, v.g. qui sibi mentiendum vel furandum putat, ut vitam proximi servet, etsi futurus sit perplexus, & ex hypothesi necessario peccaturus, necessitate consequente, eò quod stante conscientiâ erroneâ, non possit effugere peccatum, absolutè tamen & simpliciter non peccabit necessariò, quia nec sequi talem conscientiam debet, nec contra eam facere; sed potest, & debet eandem deponere (cum sit error vincibilis, & culpabilis,) & tunc operari. Vide *Lay. hic l. 1. t. 2. c. 3. & Bec, in* 1. 2 *t. 1. c. 4. q. 7.*

II. Qui peccavit ex Conscientia erronea, etsi in rigore non teneatur, rectiùs tamen addet illam circumstantiam in confessione, dicendo, feci hoc vel illud, putans me facere contra præceptum vel obligationem gravem. *Cardin. de Lug. disp. 16. n. 503.*

## CAPUT II.

## *De Conscientia Dubia.*

### DUBIUM I.

### *Quid sit Conscientia practicè dubia, & quid in ea agendum?*

Resp. I. Dubium, est suspensio assensus circa objectum apprehensum. Idque est duplex. Speculativum seu Universale, quando in genere dubitatur, v.g. an contractus usurarius sit licitus

an die feſto liceat venari, piſcari, pingere, &c. Et Practicum, ſeu Particulare, cùm dubitatur, an his circumſtantiis, v.g. hoc feſto, liceat mihi venari. Ex quo patet, quid ſit Conſcientia practicè dubia; Scilicet quæ practicè dubitat: Speculative dubia, quæ ſpeculative. Ita *Navar. Laym. Sanch. Becan. t.1.c.4 q.8.*

Reſp. II. Qui cum Conſcientia practicè dubia operatur, peccat; & quidem peccato ejuſdem rationis ac ſpeciei, cujus eſt peccatum, de quo dubitat. Ita *Sanch. Bon. t.2. d.2. q.4. p.7.* Ratio prioris eſt, tum, quia is exponit ſe periculo peccati: tum, quia quòd non eſt ex fide, eſt peccatum, id eſt, quòd non fit cum determinato judicio conſcientiæ eſſe licitum. Idq; verum eſt, etiamſi ſpeculativè non dubitet v.g. Certus ſum, abſolutè licitum eſſe die feſto docere; dubito tamen, an hic & nunc mihi liceat, pecco docendo. Ratio poſterioris patet, tum ex ratione prima data; tum ex dictis de conſcientia erronea: quia habet affectum ad peccatum ejuſdem rationis. Unde ſi dubites, an ſit mortale, peccas mortaliter: an ſit furtum, committis furtum, &c. Si dubites, ſitne peccatum, (ſive mortale, ſive veniale) ita ut malitia in confuſo proponatur, dicit *Vasq. 1.2. d.529.c.3. & alii*, eſſe mortale; quod negat *Navar. Valent. &c.* vid. *Bon. Laym. l.c.*

Reſp. III. Qui practicè dubius eſt circa aliquod opus; tenetur ſe reſolvere. Et quidem non per ſolum affectum & voluntatem: (hoc enim non ſufficere, rectè docet *Vasq. Sanch. lib.1. mor. c.9. & alii communiter*, contra *Cajet.*) quia adhuc expo-

neret se periculo peccandi : sed per motivum rationabile, quale est, 1. Ratio probabilis. 2.Exemplum bonorum virorum sine scrupulo sic operantium. *Sanch.Bec. l.c.*3. Authoritas viri alicujus docti & pii. Quod si tamen dubium sine ratione & justa causa temerè conceptum esset, posset etiam sine nova ratione deponi. Et ita explicari potest Cajetanus.

Resp.IV. Si dubium oriatur ex obligationibus & præceptis contrariis, v.g. utrum quis die festo teneatur apud ægrotum manere omisso sacro, an verò sacrum audire tenetur se resolvere, & prudenter judicare, hic & nunc alterum obligare, & alterum sibi licitum esse: alioqui enim exponet se periculo peccandi. Ut verò id rectè fiat, hæc servanda sunt. 1.Exquirat aliorum consilia,si potest. 2.Si non potest, v. g. quia solus est, vel quia ex confessione rem intellexit, consideret, quantum res & tempus fert, utrum ex duobus illis sit, vel videatur minùs malum, idque eligat, & non peccabit, v. g. in casu dicto minùs malum est, omittere sacrum, quàm deserere infirmum; quia de sacro audiendo, est præceptum affirmativum tantum, & juris humani, at de infirmo est negativũ,& juris naturalis. *Sanch.Bec. l.c.*3. Si utrumque videatur æque grave, utrum volet, absque peccato eliget, ob defectum libertatis. Quod verum est, etiamsi culpabiliter in istam perplexitatem se conjecisset,modò de culpa præterita doleat. Ratio est,quia alioqui ad impossibile obligaremur, quod nec DEUS exigit; nec fieri potest, ideoque tum cessat obligatio minor: vel si

sint

ſint, aut videantur æquales, utralibet. *vid. Laym. l.c. c.4. & 5. Fil. t.21. c.4. Bon. l.c. p.6. n. 27.*

## DUBIUM II.

### *Quid agendum cum Conſcientia ſpeculativè dubia.*

Sunt quædam in Theologia opiniones dubiæ, & in utramque partem probabiles, quæ reddunt hominem ſpeculativè dubium. Quæritur ergo hic, an, & quomodo ex talibus poſſit formari Conſcientia practicè certa?

Reſpondeo. Abſque peccato licet ſequi opinionem probabilem, etiam alienam, & minus tutam (hoc eſt, quæ minus remota videatur ab omni ſpecie peccati, quàm altera) relicta probabiliore & tutiore propria, ſeclusa tamen omni injuria, & periculo proximi, & dummodo opinio, quæ eligitur, adhuc ſit probabilis. Eſt communis Doctorum, quos citat & ſequitur *Laym. & Bonac. t.2. d.2. q.4. p.9.* Ratio eſt, tum, quia qui ſequitur ſententiam gravi authoritate, vel non levis momenti ratione nixam, (hæc enim dicitur probabilis) non agit temerè, ſed prudenter, ſequendo nimirum virorum prudentum, & artis peritorum conſilium. Tum quia eſſet onus intolerabile, multiſque ſcrupulis expoſitum, in omni re examinare quid ſit probabilius & tutius.

Dixi in reſponſione, *etiam alienam*, quia parum refert, quod oppoſita ſententia ipſi operanti videatur probabilior, ſpeculativè: ſpeculativum enim illud judicium, eo ipſo quod fortè incertum & falſum ſit, non debet eſſe regula operatio-



v. 3. Jun. XI.

nis, cum operans aliam regulam, eamque certam habeat, quam sequatur, scilicet hanc, quòd in dubiis quisq; operari possit secundum sententiam, quam viri docti ut probabilem, & in praxi tutam, defendunt. Neq; tunc agit contra propriam conscientiam, aut exponit se periculo peccandi, formaliter. *Atque hinc colligitur resolutio sequentium casuum.*

I. Confessarius, aut alius vir doctus, potest consulenti respondere secundum probabilem aliorum sententiam, si forte ei hæc sit favorabilior, prætermissa etiam propria probabiliore, & tutiore, *ita Sanch. Bonac.* Ratio patet, quia ipse Confessarius potest eam prudenter agendo sequi. Etsi ad inconstantiæ notam fugiendam, expediat respondere semper secundum eadem principia, ut monet *Sanch. l.e. 19. Becan. n. 16.*

II. Potest etiam vir talis consultus significare consulenti, opinionem à quibusdam doctis tanquam probabilem defendi, quàm proinde ipsi sequi liceat, quamvis ipse consultus eandem speculativè falsam esse judicet, & proinde in praxi ipse sequi non audeat. Ratio est, quia alter habet jus sequendi sententiam probabilem; & hoc jus suum illi indicare non prohibeor. *Lay. l.1. t. 1. c.5. Bonac. p. 9.*

III. Pœnitentem, qui secundùm probabilem opinionem operari vult, potest, imò secundum communem sententiam debet Confessarius, & quidem si proprius sit, sive Parochus, sub mortali, absolvere: licet ipse judicet doctrinam illam esse falsam: ideoq; frustrà remittet ad alium Confessarium

sarium, qui sit ejusdem sententiæ. Ratio est, quia rectè dispositò non debet negari absolutio. *Azor. Vasq. Sanch. Laym. l.1. t.1. c.5. n.10.* Additque *Diana p.2. t.13. R.11. ex Sanch. & Sancio*, peccare mortaliter, si nolit absolvere, quando de mortali confessio fit, tametsi non sit propriùs ejus Confessarius.

IV. Non sunt damnandi, qui adeunt varios Doctores, donec unum reperiant faventem sibi: dummodo is prudens ac pius, & non singularis habeatur. Ratio est, quia intendunt sequi opinionem probabilem. Ita *Sanch. l.1. c.9. n.24. Bon. & alii* contra *Navarrum.*

V. Superiori præcipienti secundum opinionem probabilem, subditus tenetur obedire, etiam contra propriam probabiliorem ac tutiorem, v.g. si paululum ægrotus, probabiliùs & tutiùs putes te teneri ad jejunium, comedere tamen debes, sequendo Superioris sententiam minùs tutam & probabilem. Ratio, quia in dubio præsumitur pro superiore. *Laym. l.1. t.1. c.5. n.11. & 12.*

VI. Potest Advocatus suscipere patrocinium causæ probabilis, etsi judicet contrariam probabiliorem. *ita Laym. Bon. q.4. p.9* Ratio, quia utraque pars habet jus proferendi suas causas in judicio. *vid. infra l.5. c.3. dub.3.*

Dixi 2. in responsione, *secluſa injuria*, quia si periculum sit, ne proximo fiat damnum aut injuria, locum habet axioma: *In dubio tutior via eligenda est.* Unde resolvuntur hi Casus.

I. In administratione Sacramentorũ non semper licet sequi sententias speculativè probabiles,

maximè circa valorem Sacramenti: sed quo ad ea, quæ à Ministro præstanda sunt, utendum est sententia securiore, & materia ac forma certa, v.g. in Baptismo. Ratio est, quia licet præcisè operationem spectando, Minister non peccaret, sequendo opinionem probabilem, nec Sacramento irrogaret irreverentiam: quia tamen effectus Sacramenti, ut remissio peccatorum, & infusio gratiæ, dependet à vera materia & forma, graviter proximo noceret, ideoque peccaret, qui pro materia certa adhiberet dubiam. Excipitur tamen casus necessitatis, in quo Sacramentum cum dubio valoris, potest præberi sub conditione, v.g. Baptismus morituro in aqua rosaceæ mixta, si naturalis desit, quia tum proximus juvari debet ut potest: & ex duobus malis minus eligendum. *vid. Laym. hic & Suar.t.4.d.26.s.6. Bec.c 4.q 9.*

II. Medicus & Chirurgus sequi debent tutiora & probabiliora: nec uti possunt, v.g. explorandi gratia, medicamento probabili, multoq, minùs dubio, si certum habeant. *Sanch. Bon. l. Bald. de conscientia dubia*, vid. infra *l.5. c.3. dub.7.*

Dixi *si adhuc sit probabilis*: quia si probabilitatem amiserit, ob aliquod decretum in contrarium, vel gravem censuram, vel rationem gravem de novo inventam, quæ difficulter refutanda videatur, non habet locum responsio. *Vnde resolvitur hic Casus.*

Non licet nunc absolvere pœnitentem absentem, etsi plures Doctores ante hac id senserint: horum enim sententia nunc est abolita, & probabilitatem, si quam habuit, amisit, præcipue accedente

dente decreto Clementis VIII. *Bon. l. c. n. 17. & alii communiter.*

## DUBIUM III.

### *An in dubio tutior pars ſit eligenda?*

Reſpondeo. Qui in dubiò conſtitutus, poſt diligens examen ſe nequit reſolvere, non tenetur ſemper eligere partem tutiorem, ſed poteſt amplecti partem faventem ſuæ libertati, (etiam minùs tutam) dummodò fit in poſſeſſione ſuæ libertatis; juxta illud axioma: *In dubio melior eſt conditio poſſidentis.* Ratio eſt, quia talis non agit temerè, cùm utatur ſuâ libertate: quod cuivis licet, quamdiu non conſtat eſſe ea privatum, cùm eam, ut cætera externa bona, poſſideat. Proindeque volenti obligationem imponere, quæ libertate privet, incumbit probatio obligationis contractæ, juxta *reg. 11. in. 6.* Neque huic reſponſioni obſtat axioma contrarium, *In dubio tutior via eſt eligenda*; quia id intelligitur, ſi ex una parte ſit dubium, ex altera certum, tunc hanc eſſe eligendam: quod ſi autem utraque pars tuta ſit, axioma univerſim non eſt præcepti, ſed conſilii, ut *Navàr. Sanch Bonac. tom. 2. d. 2. qu. 4. p. 9. n. 21. Laym. l. 1. t. 1. c. 5. §. 4. Fil. n. 157. & 160.*

Porro pro regula cognoſcendi, quis ſit poſſeſſor, attendendum eſt, pro quo ſtet præſumptio in foro externo: is enim cenſebitur poſſidere: præſumptio autem cenſetur ſtare pro ea parte, quæ onus probandi in aliam transfert. *Bard. di. 5. c. 5.* Unde cum *Sanch. Lay. l. c. & aliis, reſolvuntur Caſus ſequentes.*

I. Dubitatur post sufficientem diligentiam adhibitam, an lex sit imposita, v.g. jejunii; item, an votum, vel juramentum sit emissum: non obligatur dubitans. Ratio, quia cùm lex & votum obligent, debeant sufficienter proponi, meritò hic præsumitur non esse; ideoque dubitans manet in possessione suæ libertatis. *Suarez. Fil. Lay.* Contrà verò si voviſſe constet, & dubitetur an satisfecerit, tenetur satisfacere; quia tunc votum est in possessione. Similiter dubitans an Horas legerit, tenetur legere, quia præceptum est in possessione. Ita *Sanch. Lay. Bonac. l. c. Fil. n.* 163.

II. Qui certus est de lege & voto, dubius tamen, an & quid comprehendatur lege, aut voto; ut si sciat se voviſſe religionem, dubitat autem utrum certam, an verò in communi tantùm: Item, vovit abstinere à copula, dubitat verò an omni, an ab illicita tantùm: non tenetur voto, quoad partem, de qua dubitat.

III. Si constat de lege, dubium autem sit, an recepta vel abrogata, vel tu ab ea eximaris: teneris lege. Ratio, quia cùm constat de lege, pro ea stat præsumptio, & possessio: proindeq; alleganti eam non esse receptam, vel abrogatam, incumbit onus probandi, ideoque dum non probat, lege tenetur. *Lay. l. 1. t. 4. cap. 3. Sanch. Fil.* contra *Salas & Azor*, qui docent, si dubites, an lex sit accepta, ea te non teneri.

IV. Qui dubitat, an vigesimum primum annum expleverit, non tenetur jejunio, quia liberas est in possessione. Contrà verò res habet, si dubi-

dubites de ætate ad ordinem sacrum, vel beneficium requisita; quia præsumptio & possessio est pro præcepto: ideoque non potes recipere, donec de ætate constet. *Lay. l.c. num.35. Sanch.d. 40. & 41.*

V. Si cras sit jejunium, & post examen dubitas, an sit audita duodecima noctis, potes cœnare, & carnibus vesci; quia libertas est in possessione. Contra verò, si hodie sit jejunium, & dubitas an sit duodecima noctis, non licet; quia præceptum est in possessione, cùm constet hodiernum diem esse jejunii, & dubium sit, an transactus, *San. Laym. l.c.* Quæ omnia intellige de dubio strictè sumpto: si enim sit ratio dubium deponendi, v.g. quia aliqua horologia sonuerunt duodecimam, alia non, cessat ratio data. Cùm enim duo horologia sint quasi duo Doctores, seu opiniones probabiles, licet utrumlibet sequi, nisi sciam unum errare, *Laym. & alii communiter.*

VI. Si dubites, utrum mediam noctem cœnando excesseris, vel masticando aliquid deglutiveris, non licèt celebrare, vel Eucharistiam sumere. *Sanch. l.2. de matrimonio, d.41. n.40. Fagund. p.3. l.3. c.5. num.18.* tum, quia lex jejunè sumendi est in possessione: tum, quia gravis est irreverentia. Quanquàm contraria sententia Laymanno *l.1. t.1. c.5. n.36.* probabilis; Dianæ verò *tom. 1. tr.4. de Sacram. R.29.* tuta etiam in praxi videatur; eò quòd lex Ecclesiastica, in casu dubio, non videatur tam arctè constringere conscientias: &, in dubio factum præsumi non debeat: neque censeatur irreverens, qui juris præ-

sumptionem sequitur, vide infrà *lib. 6. tr. 3. c. 2. d. 2. a. 2. & de Lugo d. 15. n. 41.*

VII. Si post contractum bonâ fide matrimonium, dubium de valore superveniat, quod post veritatis inquisitionem depelli non possit, debitum non tantum reddi, sed etiam exigi potest: quia dubium superveniens bonæ fidei possessori obesse non debet, vide *Sanch. l. 2. de matr. disp. 41. n. 47. Bonac. l c.*

VIII. Qui certus est de debito, & dubitat, an solverit, tenetur solvere. *Suar. Vasq. Lugo, Dian. pag. 2. tom. 6. misc. R. 49.* nisi etiam creditor dubitet; tunc enim *Tan. in 1. 2. d. 2. q. 6. du. 4.* putat non teneri: quod *Laym l. 1. tr 1. c. 6.* ita limitat, ut teneatur non ad integram solutionem, sed partem ejus, pro qualitate dubii: quod *Dian. p. 4. tom. 3. R. 32.* amplectitur ut probabile.

## CAPUT III.

### *Quid Conscientia scrupulosa, & quid in eâ agendum?*

Resp. I. Scrupulus est inanis apprehensio, & hinc ortus timor & anxietas, alicubi esse peccatum, ubi non est. Ita communiter, *Navar. Azor, cæteri.*

Resp. II. Licet operari cum Conscientia scrupulosa, manente scrupulo, dummodò judicetur esse scrupulus, & ut talis contemnatur. Neque tamen opus est, ut ad singulos actus formetur hoc expressum judicium, quòd sit scrupulus; sed sufficit, quòd contra eum agat ex habituali, vel virtuali judicio, ab experientia præteritorũ actuum.

Ratio

Ratio est, quia talis nulli periculo se exponit; cum ad bene operandum sufficiat judicium probabile aliquid licere: scrupulus autem cum ex levi fundamento procedat, non tollit judicium practicum probabile. *Sanch. l. 1. c. 10. Reg. Beca. Fil. n. 176.*

Resp. III. Signa Conscientiæ scrupulosæ sunt: I. Pertinacia judicii, quâ doctorum consiliis non acquiescunt: unde varios consulunt, & fatigant, ac tandem nullius judicio stant, nisi suo. II. Ex levi apparentia frequens judiciorum mutatio: unde oritur in agendo inconstantia. Sic v. g. in Horis legendis aliquando decies mutabūt judicium, de lecto vel non lecto aliquo versiculo. III. Quod ex priore procedit, perturbatè agere, & cœco quodam modo in externis actionibus versari. IV. Habere reflexiones extra-vagantes infinitarum circumstantiarum. V. Timere in omnibus peccatum, ac contra sapientum, & proprium sæpè judicium, esse inquietum. VI. Si Confessarius judicet te esse scrupulosum. VII. In particulari signa scrupuli præsentis sunt hæc duo. 1. Si per illum experiaris te nimium angi, & turbari. 2. Si aliàs expertus sis, te similia apprehendisse sine fundamento.

Resp. IV. Remedia Conscientiæ scrupulosæ sunt. I. Scrupulos contemnere, contra illos agere, nec cogitatione fovere. II. Judicio Confessarii, vel alterius viri docti acpii, acquiescere, non recurrendo ad eum in singulis actionibus; sic enim se, & illum fatigant, cum scrupulorum incremento: sed accipiendo ab eo generalia principia

cipia, à quibus nullius scrupuli causſa, imò nullo modo, recedat. Etsi enim alterum errare contingeret: quia tamen hoc faciendo agit, quod in se est, non peccabit. III. Bonorum vitam & consuetudinem, tanquam regulam intueri. *S. Ant. Sylv.* IV. Assuefacere se ad sequendas sententias mitiores, & minùs etiam tutas, *Fil. c. 4. n. 122.* V. Non judicare quidquam esse mortale, nisi certò sciat, *Azor, l. 2. cap. 20. Vasq. Sanch. Fil. t. 2. c. 4.* VI. Nunquam otiari; quia otium implet phantasiam cogitationibus scrupulosis. VII. Destruere causſas scrupulorum; v. g. melancholicus evacuet medicamentis atram bilem: pertinax frangat suum judicium: superbus prudentiæ non confidat: rudis instructionem petat: timidus meditetur bonitatem Dei, quæ non imponit præcepta redigentia ad insaniam. VIII. Nosse scrupulosorum privilegia; ut, 1. quod non teneatur in agendo adhibere examen & diligentiam, nisi valde mediocrem; nec tantam, quantam alii: & quòd, dum angit scrupulus, nec suppetit consilium, possit liberè agere quod vult, nisi certum & evidens sit esse peccatum, vide *Vasq. in* 1. 2. *d.* 57. 2. Quòd nihil teneatur repetere ex præteritis confessionibus, nisi certò sciat illud esse mortale, & se ritè confessum non esse. Non est autem certus, quamdiu dubitat. Unde suadet *Laym.* ut scrupulosus nunquam confiteatur dubia, & scrupulos. Et *Sa. V. Dubium, Sanch. Azor, &c.* dicunt non teneri confiteri, nisi quæ jurare possit esse mortalia, & nunquam esse confessum. Ratio utriusque privilegii

legii est, qua in scrupuloso, ex nimio timore peccandi, turbatur ratio, ut non possit rectè rem examinare. Unde esto aliqua confessus non fuerit, non tenetur tamen cum tanto damno, & periculo anxietatis perpetuæ, procurare integritatem confessionis, cùm ab ea minores sæpè difficultates excusent, ut notat *Köning. Lay. Bon. Azor. Bec.* IX. Confessarius non permittat confiteri, vel proponere scrupulos, vel dubia, (maximè, si semel ad satietatem audiverit) quia alioqui nunquam fontem scrupulorum exhauriet, *vid. apud Lay. hic. c. 6. Filliuc. hic & l. 2. de matr. d. 4. Azor. t. 1. l. 2. cap. 20. Bresserum l. 6. toto. Bec. pag. 2. tom. 1. cap. 4. Bonac. d. 1. q. 4. p. 9.*

---

# TRACTATUS SECUNDUS,

## *De regula externa actuum humanorum, scilicet Lege.*

## CAPUT I.

### *De natura & obligatione Legis in genere.*

### DUBIUM I.

*Quid sit Lex, sive Præceptum?*

REspondeo. Lex, & Præceptum, prout hic indistinctè accipitur, est recta agendorum, aut omittendorum ratio. Interim, cùm à superiore non communitati, sed alicui tantùm, aut aliquibus in particulari aliquid præcipitur

tur, non appellatur Lex, sed Præceptum tantùm, *Suar. Lay. Bon. d* 1. *q.* 1. *p.* 1. Unde resolve.

I. Ad Legem, seu Præceptum quis tenetur; non ad Consilium: cum hoc tantùm dirigat, illud etiam obliget, *ibid.*

II. Cùm iniqua lex est, & contra rationem, non obligat, quia deficit à rectitudine, *ibid.*

III. Cùm dubium est de justitia, teneris lege: quia legislator possidet jus præcipiendi; idemq; regitur altiore consilio; ac potest habere rationes subditis occultas. Addit *Suarez.* etiam obligare, licet contra justitiam legis sint rationes probabiles: quia alias nimia daretur licentia legibus non parendi, cùm vix possint esse tam justæ, quin aliqua apparens ratio dubitationem movere possit. *Suar. l.* 1. *c.* 9. *Bonac. p.* 8. *n.* 11.

IV. Leges & sententiæ latæ à tyrannis, obligant, si ij pacificè regna possideant, & à Republica tolerentur. Nec obstat, quòd sententia judicis illegitimi dicatur esse nulla: id enim verum est de sententia, prout est præcisè à tyranno; non autem, prout est à voluntate, saltem interpretativa & implicita Reipublicæ, quæ dum tyrannum, & judices ab eo constitutos repellere nequit, tacitè confert iis potestatem gubernandi, eorumq; leges & acta ratificat, *Less. l.* 2. *c.* 29. *d* 9. *Salas. d.* 10. *s.* 3. *n.* 14.

V. Non tenetur quis ad legem, nisi promulgata sit, sive denunciata. *D. Tho. p.* 2. *q.* 90. *Lay. lib.* 1. *t.* 4. *c.* 3. *Molina, Salas, Suarez, & alii communiter.*

DU-

## DUBIUM II.

### *Quotuplex est Præceptum?*

Respondeo Præceptum dividitur 1. universaliter, in Affirmativum, & Negativum. Illud est, quod bonum præcipit: hoc, quod malum prohibet. Differunt inter se, quòd Affirmativum obliget quidem semper, sed non ad semper, seu, non pro omni tempore, v. g. Honorandi sunt parentes; non semper, sed suo tempore. Negativum obligat, & semper, & ad semper, *vid. Bec. in* 1.2. *t.*3. *c.*1. *q.*3.

2. In Naturale, & Positivum. Præceptum Naturale, sive juris naturę, est dictamen, seu judicium nostræ rationis, quo per lumen nobis ab authore naturæ impressum statuimus, quid agendum, & quid vitandum sit, quale est illud: Bonum est faciendum; malum fugiendum. Ex quo præcepto generali particularia, v. g. Deum esse colendum, nemini faciendam esse injuriam, imò omnia præcepta Decalogi, (excepta circumstantia *Sabbati*) multaq; alia derivantur. Præceptum Positivum, seu Juris Positivi est, quod libera Dei, vel hominum voluntate positum est, & ex eadem dependet. v. g. Præceptum de Baptismo, jejunio quadragesimali, &c.

Porrò quomodo Præcepta Positiva mutari & variari possint, ac soleant, naturalia verò semper maneant, vide *apud scholasticos, & Less. l.*2 *de Iure & Iust. c.*2. *dub.*2.

Resp. II. Præceptum Positivum dividitur in præceptum Juris divini, quod scilicet à Deo traditum

ditum est; & in Juris humani, quod ab homine. Positivum divinum dividitur in præcepta Veteris & Novæ Legis. Lex Vetus continebat præcepta moralia, cæremonialia, & judicialia, de quibus, *vid. D. Tho. 1. 2. d. 3.* Lex nova continet præcepta supernaturalia fidei, & Sacramentorum. Positivum humanum dividitur in præceptum Juris Ecclesiastici, sive Canonici, quod authoritate, Ecclesiæ scilicet, Summi Pontificis, aut Concilii statutum est: & Juris Civilis, seu Politici, quod fundatur in potestate seculari.

## DUBIUM III.

### *An vis & substantia Legis Positivæ dependeat ab acceptatione communitatis?*

Respondeo. Etsi ita sentiant Canonistæ: item *Navar. Azor. &c. citati à Laym. l. 1. tr. 4. c. 3.* eò quòd ponant, leges hac tacita conditione ferri, si à populo fuerint acceptatæ, alioqui vim, seu obligationem, non habituras. Verior tamen sententia est Theologorum, leges absoluti Magistratûs non pendere à populi acceptatione, & consensu; sed mox ut legitimè promulgatæ sunt, obligare populum ad recipiendum: præsertim in legibus Pontificis, qui suam potestatem non accepit à populo, sed Christo. *Vasq. Suar. Molina, &c.* Unde à *Laym. l. c.* resolvuntur hi Casus.

I. Episcopis ex officio incumbit, novas leges Pontificias, (ut Principibus, Imperatorias,) promulgare per suas diœceses, atque in usum deducere.

II. Si

II. Si lex in Provincia promulgata sit, sed à majore parte populi non accipiatur, nec observetur, tunc, si legislator id sciat, & taceat, censetur hoc ipso legem revocare. Si verò id sciat, & urgeat observationem, quisque tenetur eam servare; quia potiùs caput suum, quàm reliqua membra sequi debet.

III. Si Princeps nesciat non recipi, nec deduci ad usum, durat legis obligatio, donec elabatur decennium: quo elapso, præscriptum est contra eam, sive Imperatoria sit, sive Pontificia, & tunc non ampliùs obligat. Uti & Lex Ecclesiæ, etsi semel recepta sit, aboletur per præscriptionem, sed annorum plurium, nempè quadraginta. *Navar. Az. Suar.*

IV. Si tu legem promulgatam paratus sis suscipere, & datâ occasione etiam observes; sed alii plerique è communitate non recipiant, nec recepturi videantur, tunc saltem ab ea excusaberis per discretionem.

V. Etsi primi Episcopi fortè peccarint, non recipiendo legem, & in usum deducendo, successores tamen eorum, si post longum tempus videant non observatam, credere possunt esse sublatam per præscriptionem.

VI. In dubio, num lex recepta sit, nec ne, præsumendum est pro ipsa; quia factum in dubio præsumitur, si de jure faciendum erat, *vide Azor. lib. 5. c. 4. Laym. hic. c. 3. Sal. de reg. d. sp. 13. s. 3.*

DU-

## DUBIUM IV.

### *An Præcepta etiam humana obligent sub peccato, & quali?*

Reſpondeo. Cum Deus ſit Dominus noſter, atque etiam Superioribus parere nos juſſerit, non ſolum ipſe, ſed & illi nobis præcipere poſſunt, & præcipiunt, tum ſub pœna, tum etiam ſub culpa, ſive peccato; idque gravi aut levi, prout & rei præceptæ ad intentum finem neceſſitas, & materiæ quantitas, & eorum voluntas ſeſe habent, quę ex eorum verbis, circumſtantiis, aut prudentum æſtimatione ſolet colligi. *Ita Theologi communiter. S.Tho. Suar. Salas, &c.*

### *Unde reſolvuntur hi Caſus.*

I. Graviter peccat, qui deliberatè & in materia magna violat præceptum aliquod Decalogi vel Eccleſiæ.

II. Cùm res levis eſt, nòn peccat mortaliter tranſgrediens, etſi ſuperior ſub mortali præceperit; quia id eum poſſe negant, *Suar. Laym. & alii ex communi*, v. g. ne quis frangat ſilientium, ne edat uvam, ut claudat oſtium, &c. quia eſt res parva, & incapax tantæ obligationis. Nec ipſe Deus in materia parva ſub mortali obligat. *vid. Leſſ. l.2. c.4. d.9. Salas d.10. ſ.7.*

III. Aliud eſſet, ſi materia aliàs levis fieret gravis, ratione circumſtantiarum, ut, v.g. contemptus, ſcandali, magni boni communis, vel finis à legislatore intenti. Sic abſtinentia à pomo in Paradiſo in ſe quidem parva, graviſſima tamen erat

erat ex circumstantia finis, *Suarez. lib.* 3. *c.* 5.

IV. Quando materia est gravis, potest superior præcipere sub culpa tantum levi: quia sicut potest nullo modo obligare, non præcipiendo; ita etiam potest obligare sub veniali tantùm. Ita *Suar. Less. l. c.* contra *Vasq.*

V. Potissima signa, ex quibus colligi possit, an lex obliget sub gravi culpa, sunt hæc: I Si materia sit gravis, & non constet in contrarium de voluntate præcipientis. Unde *Cajet. in sum. ver. Cler.* docet, Clericos tantùm peccare venialiter, dum contra præcepta Juris positivi, aves & canes sequuntur ad venandum. II. Si verba magnam vim habent, ut, jubemus, interdicimus, in virtute S. obedientiæ, vel vi voti, aut juramenti, vel graviter mandamus, &c. III. Si pœna magna adjiciatur, ut excommunicationis, depositionis, maledictionis æternæ, exilii perpetui, mortis, &c. IV. Si ita fert usus & consuetudo, inter peritos & timoratos: quia consuetudo est optima legum interpres, ut patet in lege jejunii Ecclesiastici, & abstinentiæ à carnibus, item communionis annuæ, quas graviter obligare probat *hic Tolet. Lay. c.* 14. *n.* 4. *Bonac. p.* 7. §. 4.

## CAPUT II.

### *De subjecto, cui datur Præceptum.*

### DUBIUM I.

*Quæ personæ præceptis obligentur.*

RESP. Soli subditi ratione utentes obligantur, ita ut eorum transgressione peccent.

Quod

Quod addo, propter ebrios, & ad tempus amentes, qui etsi verè iis obligentur, eorum tamen violatione non peccant, defectu advertentiæ rationis, & consensus. Pars prior est communis, & certa. *Fil tr.21. cap.11. qu.10. Bonac.p.6.&c. Lay. l.1. tr.4. cap.10.* Posterior est eorundem. Cujus ratio est, tum, quia præceptum cum sit directivum, supponit usum rationis: tum, quia obedientia tantum est eorum, qui ratione & voluntate utuntur: Neque aliàs transgressio ad culpam imputari posset. *Vnde resolves hos Casus.*

I. Legislator non tenetur suis legibus, ut sic, quoad vim coactivam, & pœnam, sive directè: indirectè tamen, & quoad vim directivam, & ex æquitate quadam, tenetur se tanquam caput, membris conformare. Ita *S.Tho. q.96.a.5. ad 3. Syl. Suar. Bon. Laym. l.1.t.4.c.9.* contra *Az.* Tenetur etiam in contractibus, cum reliquis pari conditione uti *vid. Fill. t.21. cap.5.*

II. Infideles non baptizati, etiam catechumeni, non obligantur præceptis Ecclesiæ: obligantur tamen hæretici, & alii, qui per Baptismum Ecclesiæ semel sunt subjecti.

III. Etsi pueri ratione utentes, legibus iis Ecclesiæ, quarum materia eorum ætati est conveniens, v.g. confessionis annuæ, secundum *Navar. Henriq & Azor.* item abstinentiæ à carnibus, auditionis sacri, secundum *Sanch. &c.* obligentur, quoad culpam; non tamen quoad pœnas ordinarias, nisi sint puberes, quales sunt masculi anno decimo quarto, puellæ duodecimo, absoluto. *Ita Sotus. Vasq. de pœn. q.90. a.2. Salv. Censura.*

IV. In-

IV. Infantibus non baptizatis, & perpetuò amentibus licitè dantur carnes diebus veneris, & imponuntur opera servilia festis; non tamen ebriis, cùm legi maneant subjecti; uti nec licitè irritantur amentes ad blasphemandum, lædendum, &c. eò quòd talis actio tribueretur principali agenti, qui alterius opera uteretur, quasi instrumento, *v. Lay. l. 1. t. 4. c. 10. Bona p. 6. & San. 1. Mor. c. 12.*

V. Clerici, cùm jure divino sint exempti de potestate civili, ut docet *Bell. l. 1. d. Cleric. c. 28.* non tenentur legib. civilibus directè, & quoad vim coactivam. Unde nec à Principe Seculari puniri possunt. Cùm tamen sint membra Reipubl. & alioqui communis æquitas servari non posset, tenentur indirectè, & quoad vim directivam, legibus communibus iis, quæ ad bonum commune spectant, & eorum statui non repugnant; quales, verbi gratia, sunt leges prohibentes, vel irritantes contractum (nisi hæ sint pœnales, tunc enim quia vim coactivam obtinent, eos non ligant,) ideoque peccant contra justitiam, & ad restitutionem tenentur, si frumenta, v. g. vel alia vendant, ultra pretium è Principe statutum. *Ita Molina. Suar. Sal. Tan. vid. Laym. loc. c.* quia Jus Naturæ exigit ut vendant pretio justo: tale autem censetur, quod decernitur lege.

## DUBIUM II.

*An Peregrini teneantur legibus sui domicilii, dum ab eo absunt.*

Suppono I. Præceptum aliud esse locale, quod scilicet certo tantum loco, urbe v.g. vel Parochia obligat; aliud universale, seu juris communis, quod totam ferè Ecclesiam obligat.

Suppono II. Peregrinos propriè dici eos, qui aliquo veniunt animo non manendi, sed tantùm subsistendi ad aliquot dies, vel summum per minorem anni partem, ut mercatores, viatores: non autem studiosi, neque ancillæ, quæ veniunt ad serviendum.

Respondeo. Non obligari, *ita Navar. Sanch. Less. l.4.cap.3. dub.8.* Ratio, quia præcepta localia per se & directè respiciunt territorium, eique sunt affixa, atque adeò non obligant nisi existentes intra illud. Lex enim ita fertur; v.g. Festum illud tali loco celebretur: ideoque hic valet illud: *Si fueris Romæ, &c.* Addit *Laym. c.11.* præceptum locale exspirare etiam intra proprium territorium in loco exempto, quòd is æquiparetur loco sito extra territorium. *Ex quibus resolvet hos Casus.*

I. Si Episcopus sub pœna Excommunicationis vetet lusum aleæ, non obligantur Clerici ludentes in loco exempto à jurisdictione Episcopi. *Bon. p.6. Lay. cap. 11. n.5.*

II. Si quis die jejunii, aut festo, sit in loco alio, non sui territorii, aut exempto, ubi tunc non est jejunium, aut festum, potest ibi comedere, exercere servilia, *Laym. l.c. cap.11.n. Bon.*

III. Id etiam habet locum in præceptis juris communis, si in loco isto sint usu abrogata, vel non recepta, vel habeatur privilegium. Quare

potes

potes v.g. Mediolani primis quatuor diebus quadrageſimæ veſci carnibus, cùm id ibi liceat. Item in Belgio, ſabbathis intra Nativitatem & Purificationem, veſci carnibus: item in loco, ubi Tridentinum non eſt receptum, validè (etſi non licitè) inire matrimonium clandeſtinum, *Suarez. Sanch. l.1 cap.12. Leſſ. &c.*

IV. Poteſt quis diſcedens manè ex oppido, ubi non eſt jejunium, veſci carnibus, etſi meridiè rediturus ſit domum, ubi eſt jejunium; nec tunc ubi domum venerit, tenebitur ad ſervandum jejunium iſta die, cùm illud jam violaverit, ideoque ſervare non poſſit: tenebitur tamen domi ad abſtinentiam à carnibus, cum illa adhuc poſſit ibi ſervari, eò quòd ſit dividua. *vid. Sanch. l.c. Leſſ. c.12. d.8.*

V. Si quis abiturus eſt loco, ubi eſt jejunium, ſciatque ſe certò perventurum veſperi ad locum, ubi non ſit jejunium, tunc etſi non poſſit ibi veſci carnibus, unde abit; (cum iſta abſtinentia ſit dividua) poteſt tamen ibi manè jentare, & meridiè prandere, ut contra quosdam docet, *Leſſ. & San.* ſuprà.

VI. Probabile etiam eſt, & in conſcientia ſecurum, quòd docet *Sanch. lib.3. de matrim. d.18. & 1. mor. cap. 12.* contra *Nav. Suar.* peregrinos, antequam exeedunt proprio territorio, non teneri implere præcepta, quæ eos ibi deprehendunt; v g. non teneri eum manè audire ſacrum die feſto, qui ante prandium venturus ſit aliò, ubi non ſit feſtum: quia ſi manſiſſet ſuo loco, ubi præceptum obligabat, poterat differre ad id tem-

pus: quando autem pervenit ad alium locum, desinit obligari. Nec obstat, quòd prævidens impedimentum teneatur prævenire; quia id tunc tantùm verum est, quando manente vi præcepti quis est impediendus: hic autem ab obligatione præcepti absolvitur. Contraria tamen sententia, tanquam magis pia, suaderi potest; nisi quid obstet. *Sanch.1. mora.cap.12. & l.3. de mat. d.18. n.21.*

## DUBIUM III.

### *An peregrini & vagi teneantur præceptis locorum, in quibus morantur?*

Resp. Regulariter non tenentur præceptis specialibus illorum locorum. *Ita Lay. Sanch. Azor, Köning. Less. Regin. Fill.* contra *Navar. Suar. Su. &c.* (& quoad vagos, etiam contra *Bon. & Sanch.*) Ratio est, quia non potest dari ulla ratio hujus obligationis, cum illi non sint subditi, vel locis, vel superioribus, quorum tales leges fuerunt, ideoque extra eorum jurisdictionem. Nec obstat 1. eos nullis partialium locorum statutis, sed solo jure communi teneri; quia id non est absurdum. Nec 2. quòd vagi, ob delicta admissa, puniri possint: hoc enim consuetudo recepit, ne scelera maneant impunita.

Dixi 1. *regulariter*, quia tenentur quibusdam legibus, maximè quarum violatio cederet in damnum, & injuriam illius loci, in quo morantur, ut etiam iis, quæ sunt de contractibus celebrandis. *Unde resolves hos Casus.*

I. Tales non tenentur audire Missam, & possunt

sunt opera servilia exercere die istic festo; non tenentur jejunare nec abstinere à carnibus, quando istic est jejunium, & domi suæ non est. Intellige utrumque, secluso scandalo, propter quod Episcopus loci punire posset. *Laym. l. c. t. 3. c. 12. num. 4.*

II. Peregrinis non licet frumenta evehere, vel vendere, supra pretium ibi statutum, noctu arma ferre. &c. si talia ibi prohibita sint. *Panorm. Reg. Sanch. n. 30.*

Dixi 2. *præceptis specialibus:* quia si domi tuæ consuetudine derogatum sit alicui præcepto juris communis, & aliò venias, ubi illud viget, eodem obligaberis. Ratio est, quia lex juris communis est universalis, & obligat omnes sine ordine ad locum. *Laym c. 12. n. 3. Unde resolvitur his Casus.*

Belga aliquis veniens Coloniam, v. g. tenetur istic sabbathis inter Nativitatem Christi, & Purificationem, abstinere à carnibus; quia privilegium ejus comedendi tunc carnes, non est personale, sed locale: ideoque expirat extra locum. *Laym. l. c.*

## DUBIUM IV.

### *An Peregrini teneantur præceptis juris communis, si non sint in usu in loco, ubi morantur?*

Resp. Non teneri. Ratio est, quia tunc valet privilegium locale, quo frui possunt omnes, qui in loco morantur. *Ita San. l. mor. c. 12. Suar. Lay. &c.* Unde resolvuntur sequentes Casus.

I. Si Germanus per Hiſpaniam tranſeat, poteſt ſabbathis veſci inteſtinis animalium. Idem ſi per Belgium, aut Mediolanum iter habeat, poteſt inter Nativitatem Chriſti, & Purificationem, in Belgio ſabbathis, Mediolani verò quatuor primis diebus Quadrageſimæ carnibus veſci. *San. Suar. Bonac. p. 6. n. 61.*

II. Si quis ex Diœceſi Catholica, v. g. Hildeſio, ubi vetus Calendarium adhuc eſt in uſu, veniat in aliam, ubi novum eſt receptum, v. g. Monaſterium; poteſt, ſi ibi Quadrageſima præteriit, carnibus veſci, ut docet *Sanch. l. c. Salas, n. 69. Bonac. n. 64. Leſſ. l. 4. cap. 2. d. 8.* qui tamen contrariam ſententiam ſuadet in praxi, licet hæc tuta ſit, ut etiam docet *Laym.*

Addidi *ex Diœceſi Catholica*: quia ſi Catholicus veniat in terras hæreticorum, ubi alii Catholici non ſunt, tenetur ibi ſervare novum Calendarium, ad vitandum ſcandalum, & contemptum Eccleſiæ Catholicæ. *vid. Lay. l. 1. t. 4. c. 11. n. 8.*

## CAPUT III.

## *De modo, quo obſervanda ſunt præcepta.*

### DUBIUM I.

### *An debeant impleri ex charitate?*

Reſp. Poſſunt impleri ſine charitate, niſi hanc in ſubſtantia includunt; ut v. g. præceptum dilectionis DEI. Ratio, quia tantum præcipitur ſubſtantia actus incluſi in præcepto, v. g. ut honoretur parens, non autem finis, modus præcepti, ut

ut docet *S. Thom.* 1. 2. *q.* 100. *a.* 10. Interim certum est, requiri charitatem in operante, ut impletio præcepti sit meritoria, juxta 1. *Cor.* 13. *Si linguis hominum loquar. S. Thom. Suar. Sanch.* Unde resolvuntur sequentes Casus.

I. Si quis jejunet, vel interfit sacro, ob vanam gloriam, vel etiam ut furetur, potest nihilominùs implere præceptum, etiam peractum ex circumstantiis peccaminosum: quia implet substantiam illius præcepti, licet peccet contra aliud, cui finis ille malus opponitur, ut docet *Sanch. 1. mor. c.* 14. *Lay. l.* 1. *t.* 4. *c.* 4. *n* 6. *Card. de Lugo dis.* 22. *s.* 2. *n.* 23.

II. Simili ratione impletur votum, juramentum DEO factum, pœnitentia sacramentalis, licet actus ipse sit peccatum *Iidem ll. cc.*

## DUBIUM II.

### *An ad impletionem præceptorum, requiratur intentio iis satisfaciendi.*

Resp. Quod non. *Ita Sanch. Vasq.* 1. 2. *q.* 100. *a.* 9. *& alii communiter.* Ratio est, quia lex tantùm præcipit liberam operis externi executionem, v. g. auditionem sacri; non autem, ut alio peculiari actu quis velit, vel intendat præcepto satisfacere, sive, ut alii loquuntur, præcepta non obligant ad obedientiam formalem, hoc est, ut aliquid fiat quia præcipitur, sed tantùm ad materialem, sive ut fiat quod præcipitur. *vid. infr. l.* 3. *tr.* 3. *c.* 1. *d.* 3. Unde resolvuntur sequ. Casus.

I. Qui alicujus præcepti immemor, illud implevit, v. g. ignorans esse diem festum, liberè tamen interfuit sacro, is satisfecit, Neq;, ut quidam

volunt, necesse est, ut postea intelligens esse diem festum, velit tunc satisfacere per Missam auditam, quia implevit substantiam actus præcepti. *S.Tho. Hen.Fill. t.5.c.7. q.7.*

II. Is votum, juramentum, & pœnitentiam sacramentalem verè implet, qui opera promissa, vel injuncta exequitur, etsi non habeat intentionem implendi; modò tamen non applicet ea pro alia re. Ratio, quia vota, &c. sunt leges quasi particulares, quas homo sibi, vel alteri imponit; unde tantum obligant ad substantiam actus. *Suar. Az. Less. Lay. n.6.*

## DUBIUM III.

### *An satisfaciat præcepto, qui faciens opus, expressè intendit per illud non satisfacere.*

Resp. Satisfacit. *Ita Suar. Val. Vasq. l.c. & Less. l.2. cap.7. dub.10.* contra *Navar. Azor, &c.* Ratio est, quia præcepta tantùm obligant ad substantiam operis injuncti; ergò illa posita, non est in potestate operantis, ut non satisfaciat. Nec refert 1. quòd actus non operentur ultra intentionem agentis; quia id intelligitur, quando est in potestate operantis, v.g. satisfacere vel non. Nec 2. quòd, qui debet alteri centum, non satisfaciat obligationi, si liberali donatione det ducentos. Nec 3. quòd voto obligatus ad recitandum rosarium, si recitet animo non implendi, non satisfaciat. Ratio, quia hæ & similes obligationes proveniunt ex voluntate promittentis, qui sicut ab initio debitorem se liberè con-

constituit, sic in debito liberè permanere potest: obligatio autem parendi legi, provenit ex voluntate legislatoris, ideoque non extenditur ultra ejus intentionem, & voluntatem, nempè ultra substantiam operis præcepti. *Kön. n. 309. v. Less. l.c. & Lay. hic.* Unde resolvuntur sequentes Casus.

I. Sacerdos, qui legit Horas non ea devotione, quâ voluit, ideoque proposuit ad satisfaciendum præcepto repetere, etsi deinde non repetat, satisfecit tamen præcepto. *Suar. Kön. Card. de Lugo, &c.*

II. Audiens sacrum die festo, quod scit esse ultimum, (vel, si non sit ultimum, intendens non audire aliud) licet intenderit non satisfacere, verè tamen satisfecit præcepto de audienda Missa, etsi peccarit contra aliud præceptum, quo quis tenetur esse subditus legislatori. *Cardin. de Lugo l.c.*

III. Is, qui sacrum audivit die festo, legit Horas Canonicas, absolvit pœnitentiam sacramentalem, cùm animo non satisfaciendi, non tenetur postea mutare voluntatem, ut velit per præcedens opus satisfeciisse; quia verè satisfecit, *Sanch. Salas, d. 9. n. 33. Cardin. de Lugo de Euch. di. 22. s. 2. n. 21.* contra *Suar.*

## DUBIUM IV.

*An ad impletionem præceptorum requiratur intentio, seu voluntas faciendi id, quod præceptum est?*

Resp. Quòd sic. Ratio est, quia cùm lex detur hominibus, non brutis, ideoque humano modo sit implenda, hinc impletio omnis præcepti, sive humani, sive divini, debet esse actus humanus conjunctus cum libertate, & voluntate operantis, id est, ut velit, sive intendat facere hoc, quod est præceptum; v. g. audire sacrum, jejunare, &c. Est communis. *vid. Vasq.* 1 2 *q.* 100. *a.* 9. *Suar. Sanch.* Unde resolvuntur hi Casus.

I. Qui audivit sacrum die festo ebrius, dormiens, aut impos sui quomodocunque, aut nescius quid aggrederetur aut vellet facere, tenetur postea compos sui factus, audire aliud sacrum. *Suar. Sanch. Salas. d.* 9. *n.* 11.

II. Is, qui audivit sacrum, jejunavit, &c. prorsus violenter coactus, non satisfecit; non enim fuit actus humanus, defectu voluntarii. *Vasq. Suar. Azor. Fill. n.* 212.

Dixi, *prorsus violenter*: Quia si famulus, v. g. metu Domini, aut puer metu Magistri, sacrum audiat, (esto non sit auditurus, si Magister abesset,) is, etsi perversa voluntate illa peccet, præcepto tamen satisfacit. Ratio, quia metus non tollit libertatem. *San. Sal. l. c. Lay. l.* 2. *t.* 4. *c.* 4. *n.* 12.

III. Recitans Horas sola intentione legendi, vel addiscendi; non satisfacit, uti nec ille, qui vadit ad sacrum, tantùm ut oculos pascat, cum alio colloquatur, vel expectet amicum. *Card. de Lugo l. c. n.* 25.

IV. Nec satisfacit is, qui tantùm fictè confitetur, v. g. orat, &c. quia non ejus fictio, sed opus præceptum est.

DU-

## DUBIUM V.

### *An duplici præcepto, uno actu, vel diversis actibus, eodem tempore possit satisfieri?*

Resp. I. Uno actu diversa præcepta simul impleri possunt: nisi aliud colligatur ex mente præcipientis. Patet ex praxi quotidiana: qui enim obligatur ad Horas ratione ordinis & beneficii, satisfacit una recitatione. *Sanch. l.1, c.14. Sal. Bon. p.10.* Unde resolvuntur hi Casus.

I. Cùm Dominica & festum incidunt in eundem diem non teneris audire duo sacra.

II. Votum & Pœnitentia in confessione injuncta, plerumque non implentur per actum aliàs debitum; quia hæc plerumque non est mens voventis, & Confessoris. *v. Suar. tom. 4. in 3. p. San. l. mor. c.14.*

Dixi, *plerumque:* quia subinde Confessarii injungunt opus aliàs præceptum.

III. Qui alteri ex pluribus obligationibus, debet centum v.g. non satisfecit, si semel dat centum: quia in debitis justitiæ, attenditur æqualitas rei ad rem: non potest autem unum centum, æquale esse debitis plurium centum. Unde in his alia est intentio, & mens obligantis. *Sanch. Sal. l.c.*

Resp. II. Potest quis eodem tempore diversis actibus duplici præceptò satisfacere, dummodò unum non impediat alterum. Est communis. Et ratio, quia plerumq; temporũ diversitas non præcipitur. *Suar. Az. p.1. l.7. c.5. San. l.1. c.14.* Unde resolv.

I. Potest quis eodem tempore audire Missam in festo præceptam, & simul legere Horas, vel alias orationes, voto, aliàve ratione debitas. *Bon. p. 10. n. 8.*

II. Potest item, qui tenetur audire duas Missas, eas audire simul, imò etiam tres, ut docent aliqui, dum simul in pluribus altaribus fiunt. *San. l. mor. cap. 14. n. 12. Major in 4. dist. 18.*

## DUBIUM VI.

### *An, qui uno actu violat plura præcepta, committat plura præcepta?*

Resp. Si violet præcepta materialiter tantùm diversa, ita ut licet sint plurium legislatorum, habeant tamen motivum formale idem, & versentur circa materiam eandem numero, cùm iisdem circumstantiis, unum tantum peccatum committit: si verò præcepta sint formaliter diversa, ob motiva proxima specie distincta; vel versentur circa materiã numero diversam, committet plura peccata; quia sunt obligationes, & malitiæ diversæ. *Ita Sanch. l. 9. de matr. d. 15. Vasq. l. 2. d. 9. Salas, Card. de Lugo d. 16. num. 245.* Unde resolvitur.

I. Qui non jejunavit die vigiliæ, incidentis in Quadragesimam, aut neglexit sacrum festo incidente in Dominicam, unicum commisit peccatum, satisque est confiteri de jejunio, & sacro uno: quia in his præceptis unica est ratio formalis, & motivum proximum, v. g. in priore maceratio carnis, in posteriore cultus Dei. *Lay. Sanch. Card. de Lugo l. c.*

II. Qui

II. Qui violat votum, & juramentum, vel votum, & præceptum Ecclesiæ de eadem re, duplicem malitiam committit, ac proinde id in confessione explicandum est: quia voti observatio præcipitur, ut fides Deo debita servetur: juramenti autem, ne Deus vocetur in falsum testem: & sic duæ sunt hic rationes formales; uti & sunt in omissione Missæ, quæ & propter festum, & ex injuncta pœnitentia audiri debet. *Card. de Lugo l.c.*

III. Si ligatus cum ligata adulteretur, duplex peccatum injustitiæ committitur, unum contra propriam uxorem, alterum contra maritum adulteræ: uti etiam, si quis uno actu occidat plures, sunt plura homicidia; quia in istis materia est numero diversa, *Lay. l.1. t.2. c.10. n.3. Sanch. Card. de Lugo l.c.*

## CAPUT IV.

### *Quæ excusent à transgressione præcepti?*

### DUBIUM I.

*An ignorantia excuset?*

Resp. Si sit invincibilis, excusat; quia nemo peccat, nisi actu voluntario: hic autem cognitionem præsupponit. Si autem sit vincibilis, & culpabilis, non excusat; qualis est, cum poteras, & tenebaris scire, aut discere, & in mentem veniebat dubitare, nec studuisti intelligere. *S. Aug. S. Thom. Sanch. 10. mor. cap. 16. & cæteri communiter* contra *Palaum.* Unde resolvitur,

I. Si quis die jejunii nihil cogitans de præcepto, cœnet aut carnes comedat, non peccat: similiter in aliis; ut si occidas hominem, putans esse feram. *Bon. q. 8. p. 3.*

II. Si in aliqua re tantùm advertas malitiam unius generis, illam solam contrahis, ut v. g. si quis cognoscat fœminam, quam scit non esse suam, ignorat autem esse consanguineam, is fornicationem tantùm, vel adulterium committit, non incestum. *Lay l. 1. t. 2. c. 4. Bon. l. c.*

## DUBIUM II.

### *An metus excuset?*

Resp. Si ex metu facis, quòd simpliciter malum est, peccas quidem; minuitur tamen per metum malitia: quia minuitur libertas. Interim sæpè fit, ut præcepta quædam non obligent, cùm eorum observatio cederet in grave alicujus incommodum: & tunc, si ex metu talis incommodi quis tale præceptum omittat, non peccat, cùm præceptum non liget. Est communis. *Vnde resolv.*

I. Præceptum naturale negativum, prohibens rem intrinsecè malam, non licet violare, ne quidem ob metum mortis.

II. Metus gravis, v. g. mortis, &c. sæpè non tantùm excusat à præcepto positivo, tam divino, quàm humano; sed quandoque etiam ab affirmativo naturali, & sic (ut *Sanch. 1. mor. c. 18.*) non tenetur quis cum periculo vitæ integrè confiteri, servare depositum, implere votum, succurrere proximo extremè indigenti. *Bec. tom. 2. l. 3. cap. 6.*

*Azor*

*Azor* 1. *p. l* 1. *c.* 11. *Lay. lib.* 1. *t.* 4. *c.* 14. Excipe tamen casum, de quo infra *l.* 2. *t.* 3. *c.* 2. *d.* 1.

III. Si observatio legis humanæ necessaria sit ad conservandum bonum, aut avertendum malum commune, quòd pluris sit, quàm vita propria, tunc lex illa obligat cùm periculo vitæ, ut, v. g. si dux mandet militi non discedere ex statione, item, si perituræ sint animæ, nisi Pastor adeat ægros tempore pestis. *Lay. l c.*

IV. Alioqui nulla præcepta humana, etiam Ecclesiastica, per se obligant cum periculo vitæ, aut similis incommodi. *vid. Sanch.* 1. *mor. c.* 18. ut, si v. g. cogaris metu mortis contrahere cum consanguinea, in gradu prohibito lege Ecclesiastica, posses contrahere (in speciem) non tamen posses consummare: quia cum matrimonium esset irritum, fornicareris, quod intrinsecè malum est. *Sanch de matr. l.* 7. *d.* 5. *n.* 4.

V. Per accidens interim accidere potest, ut lex humana obliget cum periculo vitæ, ratione alterius præcepti juris naturalis, aut divini concurrentis, ut v. g. si quis cogere vellet transgredi præceptum Ecclesiæ, in odium fidei, vel contemptum Religionis. *vid. Sanch. l. c. Kön.* 3. *p. t.* 2. *d.* 13. *dub.* 12.

## DUBIUM III.

### *An excuset impotentia totius, vel partis?*

Resp. I. Cùm ad impossibile nemo teneatur, certum est, quòd impotentia excuset, etiam illa, cui antè causam cum peccato dedisti; dummodo

de hoc doleas. Quare id præcipuè hîc dubitatur, an, qui non potest implere totum, teneatur ad partem?

Resp.II. Si præceptum tale sit, ut commodè possit, aut soleat dividi, atque in ejus parte salvetur ratio seu finis præcepti, tunc qui non potest servare totum, debet servare partem, quam potest. Quòd si verò non salvetur ratio præcepti in parte, neque id commodè possit, aut soleat fieri, tunc qui non potest totum, (hoc est tantum, quo moraliter impleri censeatur integrum præceptum,) is non tenetur ad partem. Quæ omnia æstimanda sunt, 1. ex intentione legislatoris. 2. ex ratione, fine, & materia legis. 3. ex judicio prudentum. 4. ex communi usu. *Ita San. 1. mor. c.19. Laym.l.1.t.4. c.19.* Unde resolvuntur hi Casus.

I. Qui non potest legere omnes Horas, debet dicere eas, quas potest: quia dividuæ sunt. *Lay. l.c. Bon.*

II. Qui in Quadragesima non potest jejunare, debet abstinere à carnibus, si potest; aut qui non potest omnibus diebus, tenetur iis, quibus potest. *Ita Lay. l.c. & Bon.*

III. Qui potest notabilem partem sacri (v.g. usq; post consecrationem) audire, aut Horarum dicere, aut commodè potest cum alio (& solet) tenetur; alioquin non. *Ibid. v. infra de Horis.*

IV. Si quis carens Breviario, pauca ex Horis sciat memoriter, non tenetur ea dicere. *Ibid.*

V. Qui obligatur visitare limina Apostolorum Romæ, & scit se eò pervenire non posse, non tenetur

netur ingredi iter; quia nec finis, nec ratio præcepti salvatur. *Ibidem & Suar Azor. Bon. d.1. q.8. p.1.*

## DUBIUM IV.

*An excuset dispensatio?*

Resp. In jure humano dispensatio legislatoris, vel parem potestatem habentis, facta ex justa causa, excusat à transgressione præcepti. Est communis. *Sanch. Az. 1. p. l. 5. c. 15. Salas d. 20.*

Ratio est, quia cum sit author suæ legis, potest quemvis excipere. Dixi 1. *ex justa causa:* quia si temere, & sine causa dispenset, tenet quidem dispensatio, peccat tamen tam dans, quàm petens dispensationem, contra jus naturale, dictans partem debere conformari suo toti, nisi justa causa excuset. *Sanch. l. 8. d. 18. Suar. Fill. n. 438.* & quidem ut vult *Suar.* moraliter, venialiter, ut *Pontius* apud *Dian.* quem *v. p. 8 t. 3. R. 8. 9. & 10.* Si dubitet, an causa sit justa, posse dispensare, vult *Sanch.* contra *Bonac.* qui dicit peccare. Etsi autem causa sit justa, non tamen tenetur dispensare, nisi cùm vel jus præcipit ex ea causa dispensare, vel necessarium est ad commune bonum, vel spirituale pœnitentis, vel ad avertendum grave damnum, aut publicum scandalum, & sine dispendio fieri potest, *Dia. p. 8. t. 3. R. 27. & 28. cont. Suar. Sanch. &c.* Dixi 2. *legislat.* quia dispensatio inferioris in lege superioris, sine justa causa, invalida est, ac proinde non excusat à transgressione præcepti. Ratio, quia, qui nomine alterius sine causa dispensat, dissipat. *Suar. l. 6. c. 19. Sanch. l. 8.*

*l.8. de matr. d.17.* Validè autem & licitè inferior potestate ordinaria dispensat ex justa causa in lege Superioris, 1. Circa levia, hoc est, quæ sub mortali non obligant, etsi facilis sit ad Superiorem recursus. 2. Circa ea, quæ frequenter occurrunt, verbi gratia, in jejuniis, celebrandis festis, &c. 3. Circa ea, quæ ita sunt propria uni communitati, ut non conveniant aliis. 4. Quando recursus ad Superiorem difficilis est, sive, quando est necessitas, & periculum in mora, *Dian. p.8. t.3. R.12.* ex *Gran. Salas, Gordon. & Palao*, qui addit; 5. Si consuetudo præscripserit ut inferior dispenset. *v. Dian. l.c. R.95.* Quando est dubium negativum, an casus egeat dispensatione. Quo casu, secundùm *Palaum*, non opus est dispensatione, cùm præsumptio sit pro libertate, *Barb. Dian. p.3. t.6. R.28. p.4. t.3. R.46. p.8. t.3. R.72. & 95.* Unde resolves.

I. Pontifex sine justa causa non potest dispensare in lege Dei, nec Episcopus in lege Ecclesiæ. *Sanch. d.17. n.3. Suar. Vasq.*

II. Dispensatio in voto, vel juramento, sine justa causa etiam à Papa facta, est invalida, ut *San. Suar. ll. cc.*

III. Valida est, si Superior per errorem justam causam arbitretur, aut etsi non arbitretur, (& temerè dispenset) reipsa tamen sit, *Sanch. l.c. Azor, Sa. Salas, n.81.* Similiter si dispenset, causa, quæ revera legitima est, non prægnita, probabiliter tamen valere docet *Sanch. Dian. p.8. t.3. R.19.21.* &c. contra *Azor.*

IV. In dubio de valore dispensationis, validam censé-

censeri, eò quòd præsumatur in favorem actus ne pereat, probabile putat *Sanch. &c.* cum *Dia. p.3. t.6. R.9. p.4. t.3. R.45.64. p.8. t.3. R.62.* contra *Molin. &c.*

V. Habens potestatem generalem dispensandi, potest etiam secum dispensare directè & immediatè *San. Dian. p.8. t.3. R.16.* contra *Suar.*

VI. Valet dispensatio obtenta per vim, aut metum, (modò causa sit justa) Item data sine ullis verbis, solâ mente. *Turrian. Dian. p.8. tr.3. R.17. 76. p.4. t.4. R.118.*

VII. Qui impetravit dispensationem (v. g. in impedimento dirimente matrimonium) & per ignorantiam, vel simplicitatem expressit causam falsam, eum validè contrahere matrimonium, dicit *Pontius de matr. l.8. c.16.* ex *C. Cum inter.* Sed contrarium tenet *Paulus t.1. t.3. d.6. p.16. §.5.* ex *Cap. sup. lit. v. Dian. p.8. t.3. R.69.*

VIII. Subditus bonâ fide dispensationem petens, rationibus Superiori allatis, potest, dispensatione impetrata, esse securus, *vid. Laym. l.1. t.4. c.22.*

IX. Peccat, qui aliquem inducit ad dispensandum sine causa, vel allegata falsa causa. *Nav. Sanch.18. de matr. n.8. Fill. t.10 n.314. Salas d.20. s.6. n.58.* qui addit, id verum esse, etsi dispensans excusetur ob bonam fidem.

X. Dispensatio potest impetrari non tantùm pro ignorante, sed etiam invito, quando necessitas exigit. *Sanch. Beia* contra *Suar. v. Dian. p.8. t.3. R.86.87.* Id tamen locum non habet in ea, quæ impetratur ex Pœnitentiaria Romana, nisi impe-

impetretur à personis conjunctis, vel consanguineis intra quartum gradum, vel saltem à Confessario, *Marcus Leo in praxi p.1. f.34.*

*Quæres.* An cessante causa dispensationis, cesset ipsa.

Resp. Pro hoc servient sequentes Regulæ.

1. Si tantùm impulsiva, seu minùs principalis causa cesset, manet dispensatio.

2. Ersi cesset pars causæ motivæ, seu principalis, manet dispensatio. *v. Dia. p.8. t.3. R.62.*

3 Si commissa facultate dispensandi priusquam dispensetur, cesset omnino causa principalis, nulla est dispensatio.

4. Si dispensatione redacta ad actum irrevocabilem, cesset tota causa, non ideò cessat, vel vim amittit, v.g. dispensatum fuit in impedimento consanguinitatis, propter paupertatem fœminæ, licet contracto matrimonio divitias obtineat, non est irritum. Idem est si beneficium per dispensationem obtinueris, & postea cesset causa, ob quam dispensatum fuit.

5. Si facta dispensatione cesset omnino causa finalis, & actus possit facilè revocari: v.g. dispensatum est in voto castitatis propter vehementes tentationes, quæ postea cessant, an revivisçat votum? vel in præcepto recitandi horas, jejunandi, &c. propter infirmitatem, & postea convaleścit, an teneatur recitare, jejunare? &c. Affirmat *Sanch. Amicus, Portel. Bonac. Leon. &c.* quia aliàs non esset justa. Negativam tamen sententiam probabilem, & in praxi tutam esse censet *Dian. p.8 t.3.R.24. ex Sal. Gran. &c.* si quidem dispen-

dispensatio fuerit absoluta: quia obligatio legis semel extincta non reviviscit: & quod destructum est, non reproducitur, nisi ab eo; qui producere potest. *v. Suar. de leg. c. 22. Laym. Præpos. &c.* qui rectè id concedunt; quando non est de re dividua & successiva; aliàs negant. Unde suppositâ probabilitate sententiæ negativæ, *Gran. Dian. &c.* sequentes Casus (in quibus tamen alii meliùs contrarium sentiunt) resolvunt.

I. Cum quo dispensatum est propter morbum in esu carnium, potest vesci, licet omnino convalescat.

II. Cum quo propter infirmitatem dispensatum est in voto religionis, postquam convaluit, non tenetur. *Dian p. 6. t. 7. R. 45.*

III. Cum quo propter oculorum infirmitatem dispensatum fuit in onere recitandi horas; etsi convaluerit, non tenetur legere.

# APPENDIX.

## *De dispensationibus S. Pœnitentiariæ.*

QUia ex officio S. Pœnitentiariæ multæ dispensationes (& gratis quidem) impetrari possunt, saltem pro foro conscientiæ, operæ pretium censui, quædam circa hujus rei praxin pœnitentibus & Confessariis utilia hîc subnectere.

Et quidem tria potissimùm circa hanc rem requiri possunt. I. Circa materiam, & causas, in quibus nimirum casibus dispensationes istæ concedi soleant. II. Circa formam literarum Pœnitentiæ, quibus dispensatio Confessario committitur

titur, quarum verba nonnulla, quæ difficultatem pariunt, explicanda sunt. III. Circa ipsam executionem dispensationis, quæ nimirum in ea observanda sint. De quibus ex *Bonac. Diana p. 4. t.4. R.71. & p.8. t.1. R.103. &c. usq; ad R.111. & Marci Pauli Leonis volumine integro ea de re edito.*

Resp.I. In triplici materia (pro cujus diversitate, diversa quoque est forma) dispensationes, sive gratiæ istæ concedi solent.

*Prima*, est in Votis: v.g. ut votum religionis, ob inopiam parentum, vel fratrum, similive ex causa; licet differre: ut quis à voto simplici castitatis, vel etiam religionis (postquam matrimonium contraxit) absolvatur ad manendum in matrimonio, debitumq; licitè petendum: ut à voto religionis (ob debilitatem virium, per quas ejus onera ferre non possit, aut ob metum incontinentiæ, aut dotis defectum) absolvatur in ordine ad contrahendum matrimonium.

*Secunda*, In impedimentis occultis matrimonii: sive ea sint impedientia tantum, sive etiam dirimentia; sive matrimonium cùm iis publicè contractum sit, sive contrahendum, dummodò de eo privatim fuerit actum & concluſum, præsertim in bona fide: sive etiam quando contracto superveniunt. Circa quæ *Notandum* 1. Impedimenta occulta dici, quæ vel nulli nota sunt; vel licet uni alterivè innotuerint, ad forum tamen contentioſum non sunt deducta. 2. Etsi aliqua impedimenta, v. g. cognationis spiritualis, natura sua sint publica, cùm contrahantur in facie Ecclesiæ: fieri tamen potest per accidens, ut sint occul-

occulta, v.g. 1. ob diuturnitatem temporis, ex quo sunt contracta. 2. ob distantiam loci à loco contractæ cognationis. 3. per mortem eorum, qui fuerunt conscii. 4. per ignorantiam hujus contractionis.

*Tertiæ*, In variis censuris, ut, excommunicationibus, suspensionibus (item irregularitatibus) præsertim occultis, ad absolvendum ab iis, dispensandum, rehabilitandum, &c. Item ad condonandam obligationem restitutionis ob horas neglectas; ad commutandum onus recitationis horarum; eligendum Confessorem etiam pro reservatis, transeundum ad aliam religionem, sive ordinem (pro utroque foro) etiam post apostasiam à suo.

Resp. II. In formulis frequentioribus ipsius Brevis Apostolici, verba quæ substantialia continent, & difficultatem habent, sunt hæc.

1. *Si est ita*, vel, *quatenus si ita est*. Quorum sensus est; si preces veritate nitantur, præsertim tempore datarum literarum Apostolicarum. Requiritur autem veritas rerum narratarum principaliter quoad essentialia facti, v.g. affinitatem esse contractam; incestum commissum, & actum sive tractatum esse de matrimonio (intellige perfectè, ita ut in id utrumque consenserint) & periculum revelationis ac scandalum imminere. Secundariò autem requiritur quoad accidentia, v.g. bona fide actum esse; & similia, quæ tantùm sunt impulsiva, & fine quibus nihilominùs conceduntur tales dispensationes: unde etsi in iis, vel aliis parvi momenti sit erratum in peti-

petitione, gratia nihilominùs est valida. *vide M. Leon. p. 2. f. 226. & p. 3 f. 391.*

2. *Periculum immineat revelationis.* Ad hoc enim ut subsistat dispensatio, requiri, ut sit periculum ne reveletur impedimentum (intellige, quando id in formula exprimitur) si non subsequatur matrimonium, docet *M. Leo p 2. f. 230.* Periculum autem hoc non importare necessariam detectionem, sed tantum probabilem & moralem credulitatem, futurum, ut si resiliatur à matrimonio contrahendo, & hujus causæ assignari non possint, ex vehementi suspicione, & curiosa inquisitione detegatur. *v. l. c. f. 233.*

3. *Et scandalorum.* Quo nomine intelligitur gravis infamia, ex qua deinde sequantur contentiones, minæ, pugnæ, &c. *Leo f. 130. & 317.*

4. *Vt dicta muliere de nullitate prioris consensus certiorata, &c.* Clausula hæc est substantialis, ut nimirum si dispensandum sit in impedimento dirimente, cum quo matrimonium contractum fuit in facie Ecclesiæ, conjux ignorans illud impedimentum fiat certa de nullitate prioris sui consensus, & novum validumque liberè præstet (ita tamen ut in cognitionem occulti impedimenti non veniat) *Leo p. 251. Dian. p. 8. t. 3. R. 110.* Sufficit autem ut istum consensum præstent inter se secretò, nemine præsente per verba, vel signa sufficientia, v.g. copulam maritali affectu. Neque debet Executor dispensationis eos coram se, & testibus iterum copulare. *Leo p. 552.*

5. *Postquam dicto sacerdoti, si nondum satisfecerit.* Verba hæc solent esse in facultate absolvendi ab

ab excommunicatione, v. g. ob percussionem Clerici: & important conditionem prius satisfaciendi parti læsæ quàm possit absolvi, hoc est, compensandi injuriam, expensas, & omnia damna, quæ ob percussionem illam incurrit, quorum æstimatio committitur. Executori dispensationis, neque ab ejus obligatione liberatur percussor per hoc, quòd percussus injuriam remiserit. *v. Leon. p.* 382. 384. Si autem non possit in præsenti satisfacere, sufficit si juratus promittat se facturum, cum primum poterit.

Resp. III. Circa praxin, sive executionem hujus dispensationis, hæc scienda.

1. Literæ S. Pœnitentiariæ diriguntur ad oratorem, hoc est, ad ipsum, qui dispensationem (per se, vel alium) petiit, qui non debet eas resignare, sed eligere Confessorem talem, quali inscribuntur, qui eas sibi ab oratore traditas resignet, legat, & deinde cum eo secundum commissionem dispenset. Licèt verò quocunque casu ab alio aperiantur, non ideò carent effectu. *Salas, Dian. p.* 8. *t.* 3. *R.* 103.

2. In confessore hoc requiritur, 1. ut sit approbatus ab Ordinario territorii, in quo dispensaturus est. 2. Ut sit Magister sive Doctor in Theologia, vel Jure Canonico, promotus in Academia; vel Religiosus habens privilegium, quale concessit Gregorius XIII. Anno 1582 Confessariis Societ. Jesu, quos Generalis; vel alius Superior de ejus licentia ad id designarit. 3. Ut specialiter ad hoc sit electus ab oratore, hoc est, eo, cum quo dispensandum est: qui tamen semel electum, nisi

deprehendat ignorantem, mutare non potest. *Leon.f.*22 *Dian.p.*8.*t.*3.*R.*104. Contrarium tamen docet *Sanch. & Perez de mat. d.*48.*f.*5.*n.*7.

3. Confessor ad id electus. 1. Debet dispensare in ipsa confessione, vel saltem immediatè post. *Dian.p.*4.*t.*4.*R.*7. *Leon.p.*1.*f.*54.*&* 28. 2. Debet causæ cognitionem, quàndo ea in Brevi exigitur, essentialiter præmittere, per diligens examen pœnitentis; nisi habeat antè perspectam, quia non est merus Executor, sed Judex, cui delegatur potestas dispensandi. 3. In ea debet credere illi, etiam sine testibus & juramento, nisi aliunde sciat esse falsam, tunc enim dispensare non debet. *Leo Dian.p.*8.*t.*3. *R.*108. 4. Opera in ipso Brevi præscripta etsi possit moderari, non tamen condonare. 5. Etsi non præscribantur certa verba ad dispensandum, debet tamen servare formam à Rituali Romano probatam, & post verba ista, *Absolvo te à peccatis tuis*, addere: *Et eâdem authoritate declaro, te in dicto matrimonio manere, & debitum conjugale reddere posse, & debere: nec non dispenso tecum, ut idem debitum etiam exigere licitè valeas, in nomine Patris, &c.* Si verò sit absolvendus ab excommunicatione, *vide formul.inf. l.*7.*c.* 1. *d.* 6. 6. Absoluta dispensatione debet lacerare literas, præcipuè sigillum, ita ut ad probandum servire non possint: aliàs incurrit excommunicationem majorem. *Leo f.*239. Laceratio tamen ista non est de substantia: quia tantùm intenditur, ut non suffragentur in foro externo. 7. Nullo modo debet attestationem dispensationis factæ, neque ipsum Breve, seu diploma reddere, cum pro

solo

solo foro conscientiæ debeat servire. 8. Nihil debet accipere, ne quidem via compensationis pro dispensatione, etiam pro foro externo facta, ideò enim inscribitur, *gratis ubiq;*: aliàs incurrit ipso facto excommunicationem majorem. *Gavant. Dian. l. c. ex declar. Cardin.*

Ex dictis resolvuntur sequentes Casus.

I. Confessor pro hac dispensatione eligi non potest, qui tantùm est Doctor Ordinis, vel Professor, vel Licentiatus Theologiæ: quòd enim hic in favorabilibus veniat nomine Doctoris, tantùm intelligitur de iis, quæ ratione exercitii, non quæ ratione dignitatis committuntur. *Leo p. 1 f. 21. Dia. p. 4. c. 4. R. 41.*

II. Ex privilegio Societati Jesu concesso, alii etiam Medicantes eligi possunt, ob communicationem. Debent tamen tam hi, quam isti specialem ad hoc habere facultatem à suis Superioribus: aliàs dispensatio erit nulla: *Ita Autt. cit.* Et patet ex dictis.

III. Confessor debet ita examinare pœnitentem, ut cognoscat, & quidem distinctè, merita causæ, possitq; inter ea discernere: ideò enim inscribitur, *Viro discreto.* Præcipuè autem debet inquirere, an preces nitantur veritate: quia gratia non conceditur simpliciter, sed sub conditione, ideoque solet addi clausula. *Quatenus si ita est:* vel, *si ita esse repereris* v. *Aut. cit.*

IV. Is qui dispensationem petit, debet Executori ad id electo confiteri: nec sufficit, ante ei confessum fuisse. Patet ex dictis. *Leo f. 28. Dian. p. 4. t. 4. R. 71. Regin. Pont.* contra *Sanch. Salas. Perez,*

*Palaum:* quorum ſententiam non ampliùs eſſe probabilem docet *Fill. Eſcob. Lezan. Dian. l. c. & p. 8. t. 3. R. 105.*

V. Commiſſio hujus diſpenſationis non exſpirat morte Pœnitentiarii concedentis, re integra: quia eſt gratia non facienda, ſed facta in favorem oratoris, cui jus quæſitum eſt; & Executor eſt diſpenſator neceſſarius, ſi quidem preces nitantur veritate. Neque etiam morte Pontificis: tum ob rationem allatam: tum quia officium majoris Pœnitentiarii non exſpirat morte Pontificis. *Dian. p. 8. t. 3.* ex *Suar. Sanch. Garc. &c.* contra *Navar. Bon. &c.*

# LIBER II.

## *De præceptis virtutum Theologicarum.*

## Tractatus Primus:

### *De Præceptis Fidei.*

### Caput I.

*Qua Mysteria Fidei necessariò credenda sint?*

EX iis, quæ fideles explicitè credere tenentur, quædam necessariò credenda sunt, necessitate medii, seu finis; sine quibus etiam inculpabiliter ignoratis, finis ultimus obtineri nequit: alia, necessitate præcepti, sine quibus inculpabiliter omissis, finis potest obtineri. *San. 2. mor. c. 2. Azor, Valent.*

Respondeo I. Necessitate medii necessaria sunt hæc duo: 1. Explicitè credere, Deum esse, & remuneratorem bonorum esse. Juxta illud Apostoli ad *Hebr.* 11. *Credere oportet. Trident. Sess. 6. c. 8.* 2 Post sufficientem Evangelii promulgationem, credere explicitè, ut vult *Mol.* aut saltem implicitè, ut probabiliter quidam docent cum *Cón. & Lay.* Christum, & Sanctissimam Trinitatem. *vid. Esco, ex. 2. c. 6. n. 20.* ubi ex *Vasq. l. 2.*

*d.*126. *c.*3. docet culpabilem ignorantiam horu mysteriorum, sive negligentiam ea discendi, es grave peccatum, distinctum ab eo, cujus est caus *v.Dian.p* 3.*t.*5.*R.*47. *&* 48.

Porrò implicitè credere dicitur, qui credit a quid explicitè, in quo alterum implicitè est; v si credas, quod credit Ecclesia. *v.Schol. & Lay l.*2. *tr.*1. *c.*8.

Resp.II. Necessitate præcepti, quivis fide sub mortali explicitè credere, & scire, crasso sa tem modo, & quoad substantiam, tenetur hæc 1.Symbolum. 2.Orationem Dominicam. 3.Præ cepta Decalogi, & Ecclesiæ. 4. Sacramenta ma ximè necessaria; ut Baptismum, Eucharistiam, & Pœnitentiam: reliqua autem tunc, quando vul suscipere. *Suar. Sanch. Fill.n.*39. Quæ omnia in tellige, nisi impotentia, aut invincibilis ignoran tia excuset. *Vnde resolvuntur.*

I. Non omnes tenentur sub mortali hæc prædicta scire memoriter, aut eo ordine, aut iis ver bis, quibus proponuntur, sed quoad orationem Dominicam, scire, omnia bona petenda esse à DEO, quæ est ejus summa: quoad Symbolum verò, præcepta, & Sacramenta, sufficit, si quis rogatus de singulis, rectè respondeat. *Bon. Lay. l.*6. *c.*9. *Sanch l.*2. *c* 3.

II. Quamvis sit præceptum Ecclesiæ discendi memoriter Symbolum, & orationē Dominicam, & salutationem Angelicam; velitque *Barbos p.*3. *c.*27. non esse absolvendum, qui ob negligentiam, vel verecundiam ea addiscere non curat; consuetudo tamen, ut notat *Nav. & Lopez*, exposuit,

obli

obligationem non esse ultra veniale; uti nec est ultra veniale, nescire facere crucem, ut docet *San.* contra *Sylv.* qui docet esse mortale.

III. Mortaliter nihilominus necessarium est, ut rudiores memoria teneant Symbolum sua lingua: quia alioqui non possunt habere sufficientem cognitionem articulorum.

IV. Falsa est opinio quorundam Canonistarum, rusticis este saris, articulos fidei, aliaq; dicta credere implicitè, credendo quicquid credit Ecclesia.

V. Excusantur ii, quibus aut defuit doctor, aut nunquam venit in mentem obligatio similia discendi, aut qui nimis sunt rudes, ita ut non possint ea comprehendere, aut retinere: quod sæpè contingere, docet *Az. & Bec.* contra alios.

VI. Si Confessarius probabiliter judicet pœnitentem ignorare ex doctrina Christiana, ea quæ scire tenetur (quod de literatis, vel benè educatis, vel frequenter confitentibus præsumendum non esse, monet *San. 2 mor c. 3.*) debet eum interrogare de negligentia in iis addiscendis: cùm per eam plurimi graviter peccent. *Ledes Azor, t. 1. l. 8. c. 8. Trull. l. 1. c. 1. d. 4.*

VII. Possunt absolvi (contra quosdam) qui ignorant ea, quæ sub mortali scienda esse dixi. Ratio, quia licet peccarint omittendo discere, possunt tamen de hoc dolere, cum proposito discendi. *Sanch.* Quòd si tamen ignorarent ea, quæ necessitate medii scienda sunt, deberent instrui ante absolutionem. *Bon. d. 3. q. 2. p. 2. Sanch. l. 2. c. 3. n. 21.*

VIII. Parochus suas oves (sicut parens liberos) tenetur sub mortali, per se vel alium docere ea saltem, quæ sub mortali scire tenentur. *Sanch.2. mor.cap.3. Fill. Palant. Trull. l.2. c.1. Kön. &c.*

## CAPUT II.

### *Quando obliget præceptum Fidei?*

Resp. I. Præceptum fidei internum obligat 1. Pueros inter fideles educatos, quando rationis usum perfectè consecuti mysteria fidei audiunt, apprehenduntque quòd illa credere, sit res necessaria ad salutem; peccantque mortaliter omittendo. *Sanch. Bon. t.2. d.3. p.3.* addens plurimos eorum excusari inadvertentiâ, aut invincibili ignorantia. 2. Adultos infideles, quando ratio incipit dictare, res fidei sufficienter propositas esse, & contrariam sectam esse falsam. *Sanch. l.2. mor. c.1. Cón. d.24. de fide Fill. n.25.* 3. Quando urget tentatio contra Fidem, quæ aliter vinci nequit. Quod tamen non convenire scrupulosis, rectè monet *Sanch.* quia hi avertendo mentem ad alia objecta, faciliùs superant. Et in his duobus casibus præceptum obligat per se, in sequentibus per accidens. 4. Quando tentatio urgens contra alias virtutes, aliter superari nequit. 5. Quando facienda est professio fidei exterior, vel ex præcepto eliciendus est actus alterius virtutis, v.g. Spei, Charitatis, Pœnitentiæ, quæ fidem supponat. *Bon. q.2. p.2.* His addit *Hurt.* contra *San.* 6. In hora mortis; & 7. Semel quotannis. *v. Dian. p.5. t.13. R.19.* Ex iis resolvuntur hi Casus.

I. Hæreticus quamdiu suam sectam judicat esse

esse credibiliorem, vel æquè credibilem, non tenetur credere; quia fides nondum est sufficienter proposita, ageretque imprudenter. *Sanch.2. mor. c.1. Lay.l.2.t.1.c.10. & 12.*

II. Quando iis, qui in hæresi nutriti sunt, persuasum est à puero, nos abjicere & persequi Verbum DEI, esse idololatras, pestilentes deceptores, ideoque tanquam pestes fugiendos; non possiunt stante hac persuasione, salvâ conscientia nos audire, & laborant ignorantia invincibili, cùm non dubitent se esse in bona via, *Lay. c.10. Sanch. l.2. c.1.*

III. Si talibus oriatur dubium de sua secta, tenentur ulterius inquirere, & à Deo petere lumen, (quod si negligant, peccant contra fidem, cum non adhibeant media ad implendum præceptum Fidei.) Quòd si deinde nostra fides eis sufficienter proponatur, tenentur amplecti. *Ibid. v. Ferdin. de Castro Pal. t.4 d.1. p.12. & d.2. p.2.*

Resp.II. Præceptum exteriùs fidem confitendi, jure naturali obligat, duplici casu; scilicet, cùm vel honor DEO debitus, vel utilitas proximo impendenda, privativè vel contrariè subtraheretur. Dixi, *privativè:* ut si ideò cessaret magnus honor in DEUM, vel utilitas in proximum redundans. Dixi 2. *contrariè:* ut si alioqui DEUS afficeretur injuriâ, vel proximus gravi malo: v. g. si inde penderet aliorum conversio, aut perversio, contemptus religionis, scandalum, &c. Ratio responsionis est, quia actus virtutis tunc videtur præceptus, quando est necessarius ad finem præcepti, quod hic contingit: quia

finis præcepti est Charitas, *S.Th.2.2.q.3.a.2. Suar. Reg.Fill.22.c.3.q.1.* Unde resolvitur hic Casus.

Si hæretici conculcent imagines, aliisve injuriis fidem afficiant, tenetur eam sua confessione tueri Catholicus, siquidem inde prudenter speret profectum.

Resp III Ad professionem fidei externam, jure Ecclesiastico, tenentur sub mortali, secundùm *Tridentinum*, cum juramento obediendi Ecclesiæ Romanæ, ut docet *Fill. t.2. tr.22.c.3.* sequentes personæ.

I. Provisi de beneficio curato; idque contra duos menses à die possessionis coram Episcopo, aut ejus vicario generali, vel officiali. *Sess.24.c.22. de reform.*

II. Provisi de Canonicatu, vel dignitate, in Cathedrali Ecclesia: idque non tantum coram Episcopo, vel ejus Vicario, sed etiam in Capitulo, *Ibidem*, addita pœna (ad quam non videntur teneri ante sententiam) ut alioqui fructus non faciant suos. *v.San.l.2. c.6. Barbosa de potest.Episc. p.a.61. n.29.*

III. Primates, ArchiEpiscopi, Episcopi, in prima Synodo Provinciali, cui intererunt. *Trid.sess.25.*

IV. Extendit Pius IV. hanc legem ad omnes Prælatos religionum, etiam militarium. Pius V. autem apud *Rodriq.tom.2.quæst.regul. q 72.* ad omnes promovendos in Doctores, Magistros, Regentes, Professores, addita excommunicatione latæ sententiæ, & privatione omnium beneficiorum, in eum, qui alios promovet ad talem gradum, sine prævia professione. *v.Fill.t.22.c.3.q.11.*

*Barb.*

*Barbosa in remiss. f.24. n.12.* Verum ubi hoc decretum non est receptum usu, non obligare monet *Sanch.c.3.n.4.* Unde resolvitur.

I. Non tenentur ad dictam professionem provisi de Canonicatibus, in Ecclesiis tantum collegiatis, vel de Beneficiis tantum simplicibus

II. Etsi probabile sit, hanc professionem fieri per procuratorem, ut docet *Azor, Navar. & Sanch.* probabilius tamen est, teneri personaliter, ut docet *Fill.* Ratio est tum, quia aliàs non videtur fieri satis juramento, quòd personaliter faciendum esse, docet Glossa apud *Fill.* tum, quia ita decidit Rota apud *Garz. l.3. de benef. c.3.*

## CAPUT III.

### *An aliquando liceat exterius fidem veram negare, aut falsam profiteri?*

Resp. Nullo casu licet, sive voce, sive alio signo fiat, dicente Christo: *qui me negaverit coram hominibus, &c.* Interim verò etsi licitum non est mentiri, seu simulare quod non est; licet tamen dissimulare quod est, sive tegere veritatem verbis, aliisve signis ambiguis, & indifferentibus, ob justam causam, & cùm non est necessitas fatendi. *Est comm. S. Thom. Côn. di.15. du.2. n.9. Lay. l.2. t.1. c.11.* Unde resolvitur.

I. Rogatus de fide in odium religionis, sive publica authoritate, sive privata, nullo modo potest utendo restrictione mentali aut verbis ambiguis, ita respondere, ut præsentibus videatur fidem negasse; multò minus dicere, se esse hæreticum

ticum, vel Calviniſtam, vel non Catholicum. *Azor, Fill. c. 3. n. 67.*

II. Qui rogatus, ſeu privata, ſeu publica authoritate, vel tacet, vel reſpondet obſcurè, vel ait ſe nolle reſpondere, ſe jure non rogari, non teneri ſe, nec velle aliis dicere, quid ipſe credat, ac ſimili modo tergiverſatur, non videtur negare fidem, ſed nolle prodere. Unde ſi ſic poteſt moleſta inquiſitione liberari, licet, ut habet *Cõn. l. c.* Generatim enim verum non eſt, quòd interrogatus auctoritate publica, teneatur poſitivè fidem profiteri, niſi quando id neceſſarium eſt, ne præſentibus videatur fidem negaſſe. *Cõn. d. 15. dub. 2. Nav. Azor, Sanch. Bec. c. 9. q. 4.*

III. Non negat fidem, ſed prodit, qui fugit: quòd etſi liceat, non tamen Paſtori, tunc, cum ejus operâ oves indigent: uti contra, ſi eis conſultius eſt, ut ad tempus ſe ſubducat, & in bonum eorum reſervet, tenetur fugere *Regin. l. 17. n. 26. Bec. c. 9. Fill. n. 75. &c.*

IV. Si quo caſu tacere eſſet negare, tunc id non liceret: v. g. ſi aliis rogatis, an fidem negare vellent, iiſque reſpondentibus, quod non, tu taceres. *Ibid. v. Bon. l. c. Lay. l. 2. t. 1. c. 11. Tol. l. 4.*

V. Si Princeps generali lege jubeat, ut fideles ſe prodant, geſtato ſigno, vel ſiſtendo ſe, vel aliter, non tenentur, cum nemo teneatur verum dicere, niſi ſpecialiter rogatus. Excipe, niſi eæ ſint circumſtantiæ, ut hoc ipſo; quòd ſe non prodant, videantur fidem negaſſe: ut v. g. ſi quidam antea noti eſſent, & tunc ex hoc putarentur defeciſſe. *Sanch. n. 19. Bec. Reg Fill. n. 88. &c.*

*v. affinem 18. Jun.*

VI.

VI. Cùm non rogaris de fide, non solum licet, sed sæpè melius est ad Dei honorem & utilitatem proximi, tegere fidem, quàm fateri: ut si latens inter hæreticos plus boni facis: vel si ex confessione plus mali sequeretur, v. g. turbatio, neces, exacerbatio Tyranni, periculum defectionis si torqueretis. Unde temerarium plerumque est offerre se ultro. *S. Thom. Sanch. Lay. c.* 11. *n.* 2.

VII. Redimere pecunia ne de tua fide fiat inquisitio, licitum est, & sæpè magna virtus discretionis est vitam ad Dei gloriam servare, ac fidem tegere modis licitis.

VIII. Talis modus non est: uti vestibus aut signis infidelium, quæ alium usum non haberent, quàm quod essent signa professiva falsæ religionis seu cultus, uti essent vestes, quarum usus est in sacrificiis: item incensio thuris, aut genu flexio coram idolo: item sumptio cœnæ hæreticæ, &c. *Sanch. l.* 2. *c.* 4. *Fill. n.* 8. *&c. & comm.*

IX. Licitus autem modus est, quando subest causa, (ut v. g. ad evitandum grave periculum, ad obtinendam victoriam, eludendos hostes) uti vestibus & signis infidelium: quæ alium aliquem usum habent, quam profitendæ religionis; quales sunt vestes talis nationis, (non religionis) quibus uterentur, etsi converterentur; ut sunt vestes, & signa nationis Turcicæ. Quod verum est etsi sint vestes ipsorum religiosorum, dummodò non habeant peculiare signum profitendi erroris, sed sint tantùm indicium nitidioris cultus, ut saga Prædicantium in Germania, vel eminentioris vitæ inter suos, ut togæ Bonciorum in Japonia.

Idem dicendum est de signis, quibus Judæi utuntur, v. g. flavo annulo in pallio, Francofurti, &c. quia hæc sunt signa merè politica, & distinctiva unius generis hominum ab alio, & non propriè professiva fidei. Quæ sententia probabilis est, v. *Sanch. 2. mor. c. 4. Bec. 2. 2. c. 9. q. 5. d. 6. Lay. l. 2. t. 1. c. 11. Con.* contra *Cai. Nav. Tolet.*

X. Licitus item modus est, cùm Catholicus transit per loca hæretica, & periculum grave ei imminet vitæ v. g. vel bonorum, (non tamen, si derisio tantùm, vel vexatio, ut habet *Bec. c. 9.*) ad dissimulandum fidem, vesci carnibus die prohibito: quia præceptum Ecclesiæ non obligat sub tali periculo. Neque hoc est fidem negare, cùm esus carnium non sit institutus ad professionem religionis; & Catholici etiam mali, & gulosi id faciant. Si tamen ex circumstantiis fieret signum professivum fidei, ut si v. g. in odium fidei convivæ statuerent, ut qui est hostis fidei Pontificiæ, comedat carnes, peccaret contra fidem, qui ederet sine protestatione: secus, si protestaretur. *Sanch. Az. Bec. & comm. l. c.*

XI. In Germania audire conciones hæreticorum, deducere funus, assistere Baptismo pro patrino, non habentur signa professiva fidei, vel communionis cum hæreticorum sacris, *Fill. Az. Sanch. ll cc.* Unde secluſis aliis v. g. scandalo, periculo, prohibitione, &c. si ex justa causa fiant, licent. Imò patrinum fieri talis infantis, videtur potiùs optandum, secluſis aliis; quia non est aliud, quàm obligare se ad eum olim erudiendum in fide Catholica.

XII.

XII. Infidelium & hæreticorum sacris non licet ita interesse, ut eis communicare censearis, alioquin licet v. gr. ut quis spectet tanquam comœdiam, aut famulatum præstet politicum Domino suo, exemplo Naaman Syri. De quo *v. Bec. Fill. Sanch. l. c. Lay. l. 2. t. 1. c. 11.*

XIII Si Princeps hæreticus mandet sub gravissima pœna omnibus subditis, adire conciones hæreticorum, etiamsi verbis dicat se hac re aliud nihil exigere, quàm obedientiam civilem, nec velle cogere, ut à fide discedant, cùm tamen reipsa contrarium velle videatur; (nam obedientiam suorum aliter exercere potest, & hæc res ex se apta sit, Catholicos paulatim pervertere, & insuper conciliare authoritatem hæresi, ac vilipensionem veræ fidei) non licet obedire. Atque ita bis rescripsit Anglis *Pius V.* apud *Sanch. l. 2. c. 4. n. 27. Fill. & Az. ll. cc.*

XIV. Catholici viventes inter hæreticos, si ex præcepto Magistratus contrahant matrimonium, coram ministro hæretico, peccant contra fidem; etiamsi contraxerint ante, vel contracturi sint postea, coram Sacerdote Catholico, *Cõn. d. 15. d 3. Palaus t. 4. d. 1. p. 17. n. 12. 13. 14.* testaturq; contrahens ceremonia illa, se illum agnoscere veræ fidei Ministrum, quæ sint intrinsecè mala. *Mald. 2. 2. q. 2. a. 3.* quia authoritas Ministri, & consequenter doctrinæ ejus augetur, concurriturque ad ritus hæreticos, quos Minister isto actu exercet. Licitè tamen contrahunt coram Magistratu civili, vel potius testantur se contraxisse; modò priùs vel posteriùs ritu Catholico contrahant: quia

hæc

hæc actio est instituta ad finem politicum, ut conjuges habeantur, & proles non censeantur illegitimæ.

## CAPUT IV.

### *De Infidelitate, & vitiis Fidei oppositis.*

### DUBIUM I.

*Quid, & quotuplex sit Infidelitas?*

RESP. I. Infidelitas generatim est triplex. *Prima* dicitur Negativa, eorum scilicet, qui nihil unquam de fide audiverunt. Quæ non tam est peccatum, quàm pœna peccati: quia si fecissent, quod in ipsis erat, DEUS fidem eis non abscondisset. *Secunda* dicitur Contraria, eorum scilibet, qui fidem sibi sufficienter propositam, vel contemnunt, vel ei contradicunt pertinaciter; ut hæretici. *Tertia* dicitur Privativa, quòd privativè opponatur fidei; & est culpabilis ignorantia, vel error circa res fidei, *S. Thom. Sanch. Vasq. Lay. c. 12.*

Resp. II. Infidelitas Contraria, ex triplici modo repugnandi fidei, est triplex: scilicet Paganismus, qui fidei nondum susceptæ; Judaismus, qui fidei susceptæ in typo; & Hæresis, quæ fidei susceptæ in veritate, repugnat. Apostasia à fide revocatur ad hæresin, à qua tantum differt, quod Hæresis sit error fidei ex parte tantùm contrarius; Apostasia verò ex toto. *S. Th. Laym. l. c.*

DU-

## DUBIUM II.
## De Judaismo.

*Quæritur hic tantùm, quæ communicatio cum Iudæis interdicta Christianis?*

Resp. I. His casibus; qui colliguntur ex c. *Nullus*. c. *Omnes*. c. *Iudæi*. 1. Non licet cohabitare. 2. Nec conviviis interesse. 3. Nec uti communi balneo. 4. Nec medicos adhibere. 5. Nec medicinas ab iis datas recipere; emere tamen licebit præscriptas. 6. Nec Judæorum filios enutrire in ipsorum domibus. 7. Iis non famulari. 8. nec servitute subjici. 9. Prohibentur publicis officiis inter Christianos fungi. 10. Vetitum est eorum azymis vesci. Quibus addit *Azor*, prohibitum esse, accedere ad eorum nuptias, festa, Synagogas, cum eis ludere, saltare, &c. Ratio horum est, tum ut conservetur dignitas Christianæ religionis, tum ut caveatur familiaritas cum Iudæis, & periculum perversionis. *vid. Laym. l 2. t. 1. c. 12. & 17. Sanch. lib. 2. c. 31. Fill. tr. 22. c. 5. n. 128.*

Resp. II. In decem dictis casibus communicare cum Judæis, ex genere suo videtur esse mortale. Ratio, quia si Clericus id faciat, incurrit periculum depositionis; Laicus verò excommunicationis: (*C. Constituit. 17. q 2.*) quæ non n. si ob peccatum mortale imponi solet. Dixi *ex genere suo*: quia probabile est, vel ob materiæ pravitatem, vel ob necessitatem, aliàmve causam rationabilem, (si tamen non sit periculum perfidiæ, nec familiaritatis cum Judæis) sæpè excusari à mor-

mortali, aliquando etiam ab omni peccato. *Ita communiter. v. Autt. suprà citt. & Bon. l. c. item Laym. l. 4. t 1, c. 17.*

## DUBIUM III.

### *Quid sit Hæresis?*

Resp. Hæresis, est error intellectus liber, & pertinax contra fidem, in eo, qui fidem suscepit. *Ita comm. Suar. Bec. c. 14. q. 2.* Unde patet, ad Hæresin, uti & Apostasiam, duo requiri: 1. Judicium erroneum, quod est ejus quasi materiale. 2. Pertinaciam, quæ est quasi formale. Porrò pertinaciter errare; non est hic acriter, & mordicus suum errorem tenere, aut tueri, sed est eum retinere; postquam contrarium est sufficienter propositum; sive quando scit, contrarium teneri à reliqua universali Christi in terris Ecclesia, cui suum judicium præferat; sive id fiat ex vana gloria, sive libidine contradicendi, aliáve causa. *Ita Sanch. Vasq. Lay. l. 2. t 2. c. 13. & alii comm.* Ratio, quia tunc putat, judicium Ecclesiæ non esse sufficiens fundamentum credendi, quæ est vera pertinacia: quam cum *Cóningk* facilius sic explicant alii, eam tunc esse, cum etsi objectum fidei credibiliter proponatur, ita ut prudenter de eo non possit dubitare; contrarium tamen judicet, à quo nolit avelli ullo casu, vel saltem, nisi evidenter convictus, *v. Cón. d. 18. Vnde resolves.*

I. Non est hæreticus, qui exteriùs tantum fidem negat, aut adorat idolum. Ratio, quia non errat. Neq; talis incurrit in foro conscientiæ censuras latas contra hæreticos, etsi in foro externo secun-

secundum externa procedatur. *Fill. t.22. c.6. q.4.*

II. Est hæreticus, qui affirmativè de aliquo articulo fidei dubitat, hoc est, judicat esse dubium. Dixi, *affirmativè*: quia negativè tantùm dubius, hoc est, suspendens judicium, per se & simpliciter non est hæreticus, quia non habet judicium; ergo nec erroneum: modò tamen non ideo suspendat, quod virtualiter judicet, non liquere de certitudine objecti. *Sa. Azor, l 8. c.9. q.5.* contra *Sanch. & Malderum.*

III. Nemo est hæreticus, quamdiu paratus est judicium suum Ecclesiæ submittere, aut nescit, contrarium tenere veram Christi Ecclesiam; esto ex ignorantia etiam culpabili, & crassa sententiam suam mordicus tueatur. *Lay. l.c. n.2.*

IV. Nec est hæreticus, qui ita dispositus est, saltem habitualiter, ut à suo errore esset discessurus, si sciret esse contrarium fidei; dummodo pertinaciam actualem nunquam habuerit. *Ibid, & Côn. l.c.*

V. Rustici, aliiq; homines simpliciores in Germania qui hæretici habentur, & tamen pertinaces non sunt, possunt absolvi à suis Parochis. Ratio quia non sunt hæretici formales, habentq; fidem Catholicam in Baptismo acceptam, quæ non perditur, nisi errando pertinaciter. *Lay. l.c.*

VI. Cum hæresis, & quævis infidelitas mortalis sit, peccant quoq; mortaliter, qui ejus periculo se exponunt, sive conversando, sive conciones audiendo, sive libros legendo; quæ proinde, si cui periculosa sint, illicita sunt jure naturæ: si verò periculum absit, lectio librorum hæreticorum nihilominus

ominus illicita est, jure positivo Ecclesiæ; uti etiam formalis disputatio laici de fide. Quod posterius tamen in Germania, locisque similibus, ubi Catholici hæreticis sunt permixti, abrogavit consuetudo. *Az. Fill. Bell. San. Bon. di. 3. q. 2. p. 5.*

VII. Matrimonium contrahere cum hæretica, etsi per se sit illicitum, habeaturque in Hispania & Italia mortale; probabile tamen est, ob gravium Doctorum authoritatem, (*Sanch. de matr. tom. 2. l. 7. d. 72. n. 5. Azor t. 1. l. 8. d. 3. c. 3. Regin tr. 2. l. 31. n. 169. Basilius Pontius de matr. c. 6. v. Cardin. de Lugo, de Sacramentis in genere, d. 8. s. 14. n. 220.*) in Germania licere, ex gravi causa, salvo tamen jure naturali, & semoto periculo, tum contrahentis, tum prolium: unde de iis initio constitui debet, ut Catholicè educentur. *v. Bec. l. 5. c. 19. Dian. p. 3. t. 4 R. 269.*

VIII. Eum, qui lapsus est in hæresin, non teneri in confessione explicare, qualis illa sit, eò quod omnes ejusdem speciei sint, docent *Reg. Diana tom 1. tract. de circumst. R. 46 citans alios: & Escob. Ex. 2. c. 6.*

Alii tamen contrarium tenent, quos sequitur. *Card de Lugo de pœn. d. 16. n. 288. & n. 291.*

---

# TRACTATUS II.

## *De Præcepto Spei.*

PEr Spem, quæ est secunda virtus Theologica, intelligitur amor concupiscentiæ erga Deum, quo Deum & divina, præ omnibus aliis con-

concupiſcibilibus, nobis concupiſcimus, ita ut omnia potiùs parati ſimus perdere quàm Deum, & divina. De hac quæritur, quando ejus præceptum obliget.

Reſp. I. Probabile eſt, præceptum Spei obligare per ſe, cùm primum homini uſum rationis aſſecuto; Deus & beatitudo, tanquam finis ad quem tendere debet, ſufficienter eſt propoſitus; ita ut notabili tempore non differat. *Ita Bec. c. 17. q. 7. n. 2. Turrianus, & cæteri comm.* Et ratio eſt, quia ſine actu Spei, nec juſtificari, nec in juſtitia divina perſiſtere, nec meritoriè operari poſſumus. *v. Schol.*

Reſp. II. Præceptum Spei per accidens obligat. 1. Quando actus orationis, Pœnitentiæ, Charitatis, &c. in præcepto ſunt, qui ſine prævio actu ſpei exerceri non poſſunt. *Ita Aut. citt. & Fill. tr. 22. c. 8. n. 255.* 2. Quando quis ita tentatur, ut periculum ſit conſenſus, niſi animum ſpe erigat, *v. Fill. l. c. t. 2. Lay. l. 2 t. 2. c. 2. Bõ. d. 3. q. 3.* Unde ſequentes Caſus reſolvuntur.

I. Mortale peccatum eſt, ſperare, ſive amare magis (amore concupiſcentiæ) terrena hæc, quàm cœleſtia, v. g. ſi quis ita comparatus ſit, ut deſideret perpetuò degere in hac vita, & Deo relinquere cœlum, ſi ſibi reliquat terram.

II. Mortale item eſt deſperare de conſequendo DEO, aut ſalute & venia peccatorum, aut mediis ad illam conſequendam neceſſariis; verbi gratia, auxiliis gratiæ, & emendatione vitæ. Quòd peccatum ratione parvitatis materiæ non poteſt eſſe veniale, cùm ſit injurioſum miſericor-

ricordiæ DEI. *S. Thom. q. 20. a. 3. Læym. l. 2. t. 2. c. 2. n. 3.*

III. Mortale etiam est, præsumere de misericordia DEI, v.g. cùm quis sperat id, quod est impossibile secundùm legem Dei ordinatum, ut si speres remissionem peccatorum, & salutem sine pœnitentia, vel per propria merita, & vires naturæ; vel etiam si quis statuat perseverare in peccatis, quamdiu benè valet; & tamen speret se acturum pœnitentiam ante mortem. *S. Thom. q. 21. a. 1. Lay. l. c.*

Denique mortale est, odisse Deum, (odio scilicet abominationis seu aversionis) v.g si Deus displiceat tanquam nobis infestus, propter vindictam peccatorum, *v. Lay. l. c. Bon. di. 3. q. 3.*

# TRACTATUS III.

## *De Præceptis Charitatis.*

## CAPUT I.

### *An, quando, & quomodo obliget præceptum Charitatis Dei?*

CHaritas DEI, est amor amicitiæ, quo DEO benè volumus, & omnia bona ipsi cupimus, ob summam & infinitam ejus divinæ naturæ perfectionem.

Resp. I. Præceptum Charitatis Dei præcipit Deum super omnia amandum. Patet ex *scriptura.* Ratio est, quia finis ultimus plus est diligendus, quam omnia media quæ ad eum referuntur:

non

non quidem intensivè, (etsi enim hoc etiam deceat, non tamen est in præcepto) sed appretiativè, ita ut nullam creaturam pluris facias, quàm Deum: velisque potiùs omnia perdere, quàm Deum offendere, & sic illi malè velle. *S.Tho.* 2.2. *q.*27. *a.*3. *Az.Sanch. Bec.*2.2.*c.*19.

Resp.II. Probabile est, præceptum Charitatis Dei obligare. I. Quando homo adeptus est sufficientem cognitionem Dei infinitè boni, à quo omnia sua bona habet, & cui omnia debet, Ratio est, quia cùm teneatur DEO ex filiali amore tota vita servire, id non videtur posse fieri, nisi eliciat actum amoris. *Ita* S.*Thom.q* 89.*art.*6. *Navar. Valentia, &c.comm.* (Notat autem *Kon.disp.*24.*d.* 3.*n.*50. non statim post talem notitiam peccare mortaliter, sed tantùm, si differat notabiliter, v. g. ultra annum) contra *Palaum*, qui dicit probabile esse, quòd non obliget. Si scrupulus te angat, an præcepto huic satisfeceris, docet *Escobar*, *ex Petro Hurt.*2.2. *di.*172.*s.*1.§.24. quòd, si positivè non meministi te omisisse, tenere possis, te satisfeciss. *Trull.* tamen *l.*1 *c.*5.*d.*13.*n* 9. monet expedire, ut quis se in confessione aliquando accuset sub dubio, si forte præceptum istud violarit, vel alia præcepta affirmativa, de quibus non certò constat, quando obligent, vel violentur. II. Quando est periculum labendi in odium Dei, nisi actum Charitatis elicias. III. Quando quis tenetur conteri, v.g. moriturus, aut celebraturus, cui Confessarius deest. Ratio, quia contritio includit actum Charitatis. IV. Si quis gravem tentationem, præsertim in articulo mortis, putet se

*V.s. Alex. VIII.*

aliter

aliter vincere non posse. Quibus aliqui addunt articulum mortis absolutè, eò quòd tunc securissima via eligenda sit. *v. Lay. l. 2. t. 3. c. 2. Bon. d. 3. q. 4. p. 2. Hurt. d. 2. 2. di. 174. s. 6. d. 27.* Ex dictis resolves,

I. Mortale est, si quis omittat dilectionem Dei tunc, quando præceptum obligat.

II. Mortaliter peccat etiam, si quis amet Deum amore appretiativè seu æstimativè minore, quàm creaturas.

III. Peccat item contra Charitatem DEI, si quis Deum non diligat principaliter propter se, tanquam finem ultimum omnium rerum, sed tantùm propter aliud, v.g. vitam æternam, vel ad evitandum infernum. Quod esse mortale, docet *Sylv.* & *Nav.* quia scilicet Deus non diligeretur appretiativè super omnia; si aliud ab illo amaretur, ut finis principalis. Addo, *principalis*, quia ut benè *Tolet. lib. 4. cap. 9.* DEUS propter retributionem vitæ æternæ amari potest, sed minùs principaliter, ut scilicet vita æterna, vel alia DEI dona, sint tantùm causa movens, ut faciliùs, expeditiùs, & ferventiùs diligatur.

IV. Mortale, & gravissimum omnium est, si quis DEUM formaliter oderit odio inimicitiæ, seu malevolentiæ (amore amicitiæ opposito) v.g. si optes DEUM non esse, non habere scientiam, potentiam, &c. De his *vid. Laym. l. c. Bon. l. c. Sanch, lib. 2. cap. 3. & 5. Regin. lib. 17.*

CA-

# CAPUT II.

## *De præceptis charitatis erga proximum.*

CHaritas proximi præcipit, 1. Ordinem in eo diligendo. 2. Dilectionem inimicorum. 3. Eleemosynam. 4. Correptionem fraternam. Deinde prohibet, 1. odium proximi. 2. scandalum. 3. ne injuria, bellum, aliudve grave damnum, vel malum inferatur. De quo postremo agetur in Decalogo; de reliquis hic.

## DUBIUM I.

### *Quis Ordo servandus inter personas, quæ diliguntur?*

Resp. I. Ordine Charitatis quisque tenetur post Deum diligere 1. Seipsum, secundùm bona spiritualia. 2. Proximum quoad eadem bona. 3. Seipsum, quoad bona corporalia. 4. Proximum, quoad eadem. 5. Denique seipsum, & deinde proximum, quoad bona externa. *Ita Laym. l. 2 tr. 3. c. 3. ex S. Thom. & communiter.* Unde resolvuntur Casus.

I. Peccat contra charitatem sui, qui salutem suam spiritualem, vel corporalem negligit: quod grave est, si fiat sine causa, & cum gravi damno, v. g. mortis, vel gravis morbi. *Trull. l. 1. c. 6. d. 1.*

II. Nullius boni consequendi causa licet peccare, etiam venialiter: quia talis vellet sibi malum spirituale, *Lay. ibidem.*

III. Tenetur quisque proximo in extrema necessitate spirituali constituto succurrere, etiam cum certo vitæ periculo; dummodo sit æquè

certa spes illum juvandi, neque gravius inde malum immineat: v. g. teneris cum vitæ periculo baptizare, vel absolvere moriturum, si alius non adsit, qui faciat. *S. Aug. l. de mend. S. Thom. q. 26. a. 5. & q. 44. Regin. c. 4.*

Dixi, *in extrema*, v.g. qua certo putetur moriturus in mortali: quia in gravi tantùm obligatur is, qui ex officio alienam salutem curat, ut Parochus; cui ideo non licet fugere tempore pestis, nisi substituto æquè idoneo. *Valent. & Lay. l. c.*

IV. Ordinariè non licet vitam suam postponere alienæ. Addo, *ordinariè:* quia licet, si sit persona publica, à qua multum pendet: uti etiam pro Repub. pro fide, religione defendenda: imò etiam pro amico, propter Deum dilecto. *Less. l. 2. c. 9. d. 6. Lay. l. c.*

Resp. II. Quoad proximos inter se, servandus est hic ordo, 2. Qui melior est, magis diligendus est, ea dilectione, quam comitatur gaudium circa bona possessa, item honor, cultus, & reverentia. Sic v.g. plus diligendus est vir sanctus, quàm parens improbus. Ratio, quia est magis conjunctus cum præcipuo objecto Charitatis, quòd est Deus. Item parentes magis quàm filii, vel uxor; magisque benefactores, quàm ii, quibus benefecimus. *Lay. l. c. & comm. 2.* Appretiativè, & dilectione ea, qua alteri optamus bonum nondum possessum cum beneficentia, magis diligendi sunt ii, qui nobis sunt conjunctiores, quoad ea bona, quæ sunt debita tali conjunctioni, & in quibus hæc fundatur. *Vnde resolves.*

I. In bonis pertinentibus ad naturam, & vitam corpo-

corporalem conservandam, succurrendum est (extra necessitatem extremam) Primò omnium uxori; quia est una caro cum viro. 2. Filiis. 3. Parentibus, & quidem patri præ matre. 4. Fratribus, sororibus, deinde propinquis, domesticis, & familiaribus. Dixi, *extra extremam necessitatem:* quia in hac parentes, eò quòd vitam dederint, præferendi sunt etiam uxori, & liberis. *Laym. ib. n. 5. & 6.*

II. In rebus pertinentibus ad civilem communicationem, præferendi sunt concives, in bellicis commilitones, in spiritualibus spirituales filii, patres, fratres. *Bannes* tamen probabiliter docet, parentes carnales, etiam in spiritualibus, aliis omnibus præferendos: quia conjunctio carnalis est fundamentum aliarum conjunctionum. *vid. Lay. hic l. c.*

## DUBIUM II.

### *De odio, & dilectione inimicorum.*

Certum est, inimicos aliquo modo diligendos cum sint proximi, *cum S. Thom. 2. 2. q. 25. a. 1. communiter omnes.* Sed quæritur de modo, & an possint odio haberi?

Resp. I. Quilibet homo saltem privatus tenetur proximo, etiam inimico, communia dilectionis signa, & beneficia exhibere ex præcepto; specialia verò ex consilio tantùm, nisi aliundè ratio obligationis accedat. *Ita communiter cum Lay. c. 4. ex S. Thom. l. c. q. 25. a. 8. & 9.* Dixi 1. *communia:* qualia secundum *Cajet. V. odium,* sunt, quæ Christiano debentur à quovis Christiano in com-

muni cõcivi à concive, cognato à cognato. Ratio autem est, quia ista negare, est vindicare injuriam, quod non licet privato. Dixi 2. *nisi aliunde accedat ratio obligationis*, qualis esset v.g. 1. Timor scandali ex omissione, 2. Spes salutis inimici, ut *v. Azor.t.2.l.11.c.3.* 3. Necessitas temporalis, vel spiritualis. 4. Culpæ deprecatio, & exhibitio specialium signorum amoris. Ratio, quia his casibus, neglectus specialium signorum esset exterior odii declaratio. *Lay.l.c.* Unde resolves casus sequentes.

I. Per se loquendo, nemo tenetur ad inimicum diligendum positivo, & peculiari actu, neque ad eum salutandum, alloquendum, ægrotum invisendum, mœstum consolandum, hospitio excipiendum, vel familiariter cum eo agendum, &c. quia hæc sunt signa specialia amoris. *Fill.t.2.cap.1.* Dico, *per se*, quia si omissio scãdalosa esset, aut per aliquid horum posses sine tuo incommodo, inimicum tibi & Deo reconciliare, id omittere, esset grave, uti etiam, si inæqualis persona soleret aliũ salutãdo prævenire, v.g. subditus Prælatũ *Lay.l.c.*

II. Non licet inimicum excludere à communibus orationibus, v g. oratione Dominica, & quæ pro communitate instituitur, nec à communibus eleemosynis, resalutatione, respõsione, expositarũ mercium venditione: quia hæc sunt communia dilectionis signa: ideoq; cõtra hæc facere, v g. cognatos omnes invitare, obvios omnes ex vicina vel collegiò ex consuetudine salutare, solo inimico excluso, est ex genere suo, & regulariter mortale. *S.Th. Nav. Lay. ll. cc.* Addo 1. *ex genere suo*, quia si

si levitas materiæ, aut causa rationabilis excuset, v.g. si pater, vel superior, filio vel subdito, ob correctionem ea subtrahat ad tempus, leve vel nullū erit: quia habet jus puniendi. Ad 2. 2. *regulariter*, quia si persona multò major inferiorem non resalutet, v.g. nobilis rusticum, pater filium, non videtur mortale, ut not. *Saver. Charitas, Bon. d. 3. q. 4. p. 3. v. Az. 3. p l. 12.*

III. Etsi quivis teneatur inimico veniā legitimè petenti, non tantum interiùs remittere, sed etiam externa remissionis signa ostendere; negat tamen *Trull. l. 1. c. 5. d 5.* ex *Azor. & Fill.* teneri statim postquam offensio est illata, eò quòd sit res violenta & supra fragilitatē humanam. Non tenetur autem remittere satisfactionem, pro damno, si ab eo sit læsus; imò nec eam acceptare, si offerat; sed etiā juridicè potest compensationē petere, dummodo in utroq; casu ponatur odium, ut docet *Valēt. Nav. Lay. l. 2. t. 3. c. 4.* Quòd si tamen pœna sit valdè gravis, v.g. capitis, mutilationis, neque læso ex ea commodum proveniat, non videtur ea, deprecante altero, sine peccato vindictæ posse expeti. Similiter, si satisfaciat quantum potest, ad id, quod non potest, eum urgere, videtur contra charitatem, ut docet *Sylv. & Fill. t. 28. c. 11. q. 9.*

Resp. II. Etsi odium inimicitiæ, sive personæ secundùm se, & bonorum quæ in se habet, volendo scilicet illi malum ut sic, sive quatenus illi malum est, ex genere suo sit mortale; odium tamen abominationis, sive qualitatis, quo non hominē, sed ejus malitiam, vel saltem personam tantùm quatenus malam, vel nobis noxiam, aver-

samur, sæpè licitum est, ut docet *Côn. a. 29. dub. 3. & commun.* Unde resolves sequentes Casus.

I. In confessione satis esse, si dicas te grave malum voluisse proximo, nec opus esse explicare speciem mali, v.g. mortem, infamiam, &c. quòd omnia comprehendantur sub una ratione mali; *Caj. Bon. Turr. Trul l. 1. c. 6.* docent probabiliter: sed contrarium probabiliùs docet *Suar. Palaus. 6. d. 4. q. 1.*

II. Licet proximo velle malum aliquod, v.g. temporale, (dummodo non sit justo gravius) quatenus id illi bonum est, v. g. morbum, vel adversitatem, ut à peccatis emendetur. *Bon. d. 3. q. 4. p. ult. p. 1. ex multis.* Cavendum tamen est, ne fiat ex vindicta, ex qua si Psalm. 108. super inimicum tuum legas, peccas mortaliter. Generatim verò, ob bonum spirituale, proprium vel alienum, licet mala pœnæ, inefficaci effectu, aliis velle; quia cùm in hoc affectu bonum spirituale præferatur temporali, non est inordinatus. *v. Less. l. 2. c. 47.*

Sic licet v.g. mortem optare hæresiarchæ, vel publicæ pacis turbatori, ob bonum commune, & multorum; juxta illud *Gal. 5. Vtinam abscindantur.* Item tristari de eo, quòd dignitates conferantur indignis; vel de sanitate ejus, qui ex illa sumit occasionem peccandi. Item mortem, egestatem, aut morbum alicujus desiderare, ut cesset à peccatis, & vitam in melius mutet. Eadem ex causa *Bon. Azor, & Pal. t. 6. p. 1. n. 11.* excusant à peccato matrem, quæ mortem filiarum exoptat, eò quòd ob deformitatem, vel inopiam commodè, & honestè nuptui tradere non possit. Etsi verò sibi ipsi

optare

optare mortem *Nav. & cæt.* dicant esse mortale: ad evitanda tamen gravia mala, v.g. afflictionem internam, id licere volunt *San. Sot. Grav. Dia. p.5. t.14. R.92.* Ita & *Trull. l.1 d.2. n.11.* excusat fœminam, quæ sibi (vel alteri) mortem optat ad vitandam gravem infirmitatem, mendicitatem, vitam acerbam, &c. vel alia similia mala à marito v. g. inflicta, vel infligenda. Mulierculas tamen ob minimas molestias mortem optantes *Dia. l.c.* mortalis damnat; nisi (ut plerumque fit) excusat defectus advertentiæ & deliberationis.

III. Privatus, qui aversus ab alio fugit illum, si id faciat, ut eum suo colloquio & solatio privet, atq; ita contristet, & malè illi sit, est odium inimicitiæ, & peccatum: si verò nihil mali optando, tantùm fugias, quia tuæ naturæ est difformis, vel tibi solet esse molestus, est odium aversionis, & peccatum, si sit irrationabile: quale non erit, si sit persona valde aspera; modò absit contemptus, scandalum, & vindictæ cupiditas. *v. Bon. l.c.*

## DUBIUM III.

### *De præcepto Eleemosynæ, seu misericordiæ corporalis.*

Suppono I. Hujus præcepti obligationem nasci ex duplici capite. 1. Ex necessitate proximi egentis. 2. Ex persona possidentis bona, vel necessaria, vel superflua.

Suppono II. Duplicem dari necessitatem proximi. 1. dicitur extrema, ex qua egenti imminet periculum vitæ, vel etiam gravis & diuturni morbi, secund. *Dian. p.5. t.8. R.1.2.* gravis, ex qua imminet

minet periculum gravis mali, vel captivitatis infamiæ, gravis jacturæ bonorũ, vel ſtatus: unde fiat, ut difficulter ſe poſſit ſuſtentare, v.g. ſi non poſſit vivere ſecundum ſuum ſtatum, vel ſi nobilis cogatur alteri famulari, vel artifex, aut vir honeſtus, mendicare. 3. dicitur communis, quâ laborant mendici triviales, *Laym. l.3.tr.2.c.6.*

Suppono III. Bona neceſſaria, & ſuperflua dici, vel reſpectu vitæ ſive naturæ, vel reſpectu ſtatus, vel decentis conditionis perſonæ; quomodo ſe-
NB culares rarò putant ſe habere ſuperflua, ut docet *Laym. & Navar. c.24.* Nam quæ ſunt neceſſaria ad alendos liberos, famulos, honeſtas donationes, convivia, hoſpitum tractationem (qualia tamen non ſunt, quæ ad quemcunque faſtum, & pompam quisque ſibi requirit) ſpectatis etiam communibus eventibus, hæredibus, neceſſitate futura, &c. non ſunt ſuperflua.

Reſp. I. Nemo tenetur dare eleemoſynam ex bonis ſibi ad vitam neceſſariis, niſi eſſet perſona talis, ex qua penderet ſalus Reip. *Eſt communis.* Et ratio patet ex ordine charitatis.

Reſp. II. Probabile eſt, ex ſuperfluis naturæ & ſtatui, teneri aliquem, etiam in gravi neceſſitate, ſuccurrere proximo, ſi probabiliter putet alium non ſubventurum: idq; ut *Azor. tom.2.lib.12.cap.7. Sylv. & Fumus*, volunt ſub mortali, contra *Medinam*, qui vult eſſe tantum conſilii. Ratio, quia cùm in ſcriptura frequenter damnentur homines ob neglecta opera miſericordiæ, hæc non ſunt reſtringenda ad extremam, & raram neceſſitatem, *v. Lay. l.cit.*

v. 12. Inn. XI.

Reſp.

Resp.III.Proximo in extrema necessitate teneris succurrere ordinariè, ex bonis etiam aliquo modo ad statum necessariis.*Suar.Lay.ex communi.* Satisfacis tamen probabiliter, si des cum onere restituendi, quando erit ditior *Vasq. &c.* contra *Suar.Côn.&c.v. Dian.p.5 t.8.R.5.*

Addo,*ordinariè*, quia si majus damnum æstimaretur,te excidere tuo statu,quàm mors pauperis,non tenereris, *Azor.l.c.*

Resp.IV.Probabile est,quòd proximo in gravi necessitate constituto quisq; teneatur subvenire, cum modico detrimento proprii status:quia parvo suo incommodo tenetur magnum incommodum proximi impedire,*Lay. l.c.ex D.Thom.Bon. d.3. q.4.p.6.* Ex dictis collige.

I.Homines privati non tenentur inquirere pauperes.*Vasq.&c.* si tamen dubitetur de extrema alicujus indigentia, tenentur inquirere vetitatem. *Sanch.Dia.p.5.t.8.K.39.*

II. Nemo tenetur magnam vim pecuniæ dare pauperi,ad pretiosissimam medicinam emendam vitæ servandæ necessariam, vel ad redimendum à periculo mortis.*Sa. & Côn.d.27.dub.8.n.135.* Et ratio patet ex dictis.

III.Si proximus tantùm egeat usu rei,satis est illam accommodare: v.g. si ab hostibus spoliato vestem commodes,vel vulnerato equum, donec domum revertatur. *Lay.Bon.ll.c.*

Resp.V.In communibus pauperum necessitatibus, tenetur aliquando dare eleemosynam,qui habet bona naturæ & statui superflua.*Ita communiter.D.Thom.Suar.Bellar.* contra *Navar. & Vasq.*

qui negant teneri. Ratio est, tum, quia quisq; tenetur diligere proximum sicut seipsum: tum, quia alioqui pauperes isti inciderent in necessitatem gravem. Videtur tamen hæc obligatio tantùm esse sub veniali, ut rectè *Medina*: idq; si nulla sit justa causa negandi; aliàs sub nullo. *v. Lay. Bon. l.c.* Unde resolvuntur Casus sequentes.

I. Pauperibus trivialibus, etsi ex nuditate, morbo, &c. videantur ostendere signa extremæ necessitatis, rarò quis tenetur ex præcepto subvenire, etiam de superfluis: tum quia ferè ad movendos spectatores ista necessitas exaggeratur: tum quia ab aliis juvandi præsumuntur. *Mald. Wigers, Dian. p.5.t.8. R.17.*

II. Si quis dives & abundans diu neget omnes eleemosynas, cum proposito dandi meliore, & commodiore loco ac tempore, vel egentioribus, vel in alium pium usum convertendi, is non peccat, cùm habeat justam causam negandi: si verò talis, sine rationabili causa, omnes à se pauperes inhumaniter repelleret, eum dicit *Lay. l.c.* versari in malo statu.

III. Nulli omninò quantumvis diviti, omnes pauperes sine eleemosyna repellenti, facilè neganda est absolutio: tum, quia vix reperitur, qui causam saltem apparentem non prætendat, si superflua se habere fateatur. *Laym. ibi.*

IV. Etsi dicta de eleemosyna danda, intelligantur respectu omnium egentium, etiam peccatorũ, infidelium, & inimicorum; damnandi tamen non sunt Magistratus, excludentes à suis civitatibus, justa

justa de causa, pauperes peregrinos. *Lay. ib. Trull. l. 1. c. 5. d. 10.*

V. Religiosis æquè ac aliis pauperibus debentur eleemosynæ; quia eorum paupertas & necessitas est vera & justa, tametsi voluntariè contracta, cùm voluntas & causa fuerit rationabilis, & grata DEO. *Lors. Dian. p. 5. t. 8. R. 18.* Aliud est de iis, qui sponte sua culpabiliter sunt pauperes, ut vagabundi. *Ibid. R 19.*

Resp. VI. Eleemosyna tantum facienda est ex bonis propriis, & quorum quis liberam habet administrationē. Potest tamen fieri ex alienis, quando proximus est in extrema (vel etiam secundum *Less. l. 2. c. 12.* in valde gravi) necessitate, & aliundè succurri non potest: tunc enim omnia sunt communia. In communi verò necessitate, licet tantùm cum consensu Domini, tacito vel expresso, *v. S. Thom. 2. 2. q 32. a. 7. Reg. 286. Fill. Laym. Bon. l. c. n. 11. Less. l. 2. t. 12.* Unde resolves.

I. Non licet dare eleemosynam ex bonis obnoxiis restitutioni; v. g. furto ablatis: licet tamen ex acquisitis per opus illicitum, sed non cum injustitia, v. g. ex lucro meretricum. Ratio, quia hæc sunt propria; priora non, *Bon. ibid.*

II. Pueris, filiisfamilias, servis, ancillis, uxoribus, non licet dare eleemosynam, nisi tenuem, in qua parentum, dominorum, & maritorum voluntas præsumitur. Partiales verò casus, in quibus uxor dare potest, *v.* suo loco, *præcepto* 4. & 6. *c. 1. d. 4. v. Bon. di. 3. q. 4. p. 6. Dian. p. 5. t. 8. R. 25.* ubi ex *Hurt.* notat, si pater nullas det eleemosynas, pro eo dare filium.

III. Tutores & Curatores, & qui habent curam bonorum alienorum, possunt facere modicas eleemosynas ex bonis, quæ administrant, quales nimirum ipsi facere deberent, quorum sunt. *Vasq. Az. Con. Dian. p. 5. t. 8. R. 21.*

## DUBIUM IV.

### *De misericordia spirituali, seu præcepto correptionis fraternæ.*

Correptio fraterna, est admonitio, quâ quis proximum conatur revocare à peccato. De qua certum est, præceptam esse jure tum naturali, quo membra unius corporis se mutuò juvare tenentur; tum divino positivo, *Matt. 18. Si peccaverit in te frater tuus, corripe ipsum. Bec. 2. 2. c. 23. Lay. l. 7. Fill. Bon. p. 7.* Quæritur autem, quæ sit ejus materia, quos, & quomodo obliget?

Resp. I. Omne mortale peccatum proximi, per se est sufficiens materia, ut hoc præceptum obliget sub mortali. *Ita communiter.* Et ratio est; quia cùm vitam spiritualem proximi tollat, sufficientè necessitatem correptionis inducit. Dixi 1. *omne mortale*: quia etsi etiam veniale sit materia correptionis, non tamen graviter obligans; nec nisi facillimè possis. Dixi 2. *per se*, quia si quis ob timorem, verecundiam, pusillanimitatem, putet se non ita strictè obligatum, vel minùs esse idoneum ad corripiendum, videtur tantùm peccare venialiter, *vid. S. Tho. 2 2. q. 32. a. B. & cæteros supra citt.*

Resp. II. Præceptum hoc obligat concurrentibus his circumstantiis. 1. Si certò tibi constet de peccato proximi: indagare enim tenetur solus Su-

pe-

perior.2. Si probabile sit non emendasse;nec emendaturū, vel relapsurū: quia eleemosyna egēti tantum danda est.3. Si alius æquè idoneus non adsit,qui correpturus putetur. 4. Si sit spes fructus:quia desperato fine cessant media.5.Si sit bona occasio,locus,& tempus oportunum, possisq; sine tuo gravi damno facere. Quòd si horum aliquid desit,præceptum non obligat.Unde patet ejus omissionem in privatis,vel nullam esse,vel levem culpam. *v.Bon.l.c.*

Resp.III. Etsi hoc præceptum obliget omnes, etiam subditos;magis tamen Prælatos.Ratio prioris est,quia omnes sunt commembra, tenenturque sibi externa officia Charitatis præstare.Ratio posterioris est,quia subditi tantum ex Charitate, Prælati verò etiam ex officio, & justitia tenentur. Unde peccare possunt etiam graviter, veniales culpas non impediendo, si vigor disciplinæ per hoc minuatur. Eademq; ferè est ratio de patrefamilias,præsertim erga liberos. *Lay.l.c.n.5.Palaus. Trull.l.1.c.5.d.13.& 25.& cateri.*

Resp IV. Ordo in correptione servandus est, quem Christus præscripsit,*Matt.*17. scilicet 1. ut corripias in secreto,deinde coram testibus: tum ad Prælatum Ecclesiæ,sive superiorē,deferas. Excipe tamen 1.Nisi præstet superiori,viro probo & prudenti, quam aliis testibus innotescere; prout cautum est *in Regula S.Aug.*2.Nisi peccatū sit publicum,tunc enim potest publicè corripi. 3. Nisi vergat in grave damnum tertii aut communitatis, si superiori non statim innotescat;v.g.si quis proditionem moliatur,hæresin occultè spargat: tunc

enim immediatè superiori indicandum, quia commune bonum præferendum est privato. *Fill. t.28. c.7. n.149. & 155.* 4. Quando corripiendus est contentus, ut superiori statim significetur: ut est apud quosdam Religiosos, qui quoad hoc jure suo renunciarunt, *v. Suar. Bec. Lay. hic Sanc. Fill. l.c.* Ex dictis resolvitur.

I. Qui facilè potest impedire peccatum mortale proximi, & ob mali temporalis timorem negligit, peccat mortaliter. *Ita Lay. Suar. Sanch. l.6. mor. c.18. v. Palaum hic.*

II. Si certò constet fratrem perfectè emendasse peccatum occultum, nec ex eo esse ullum periculum relapsus, vel damni, ipsi aut alteri, non licet (etiam in Societate Jesu) denunciare Patri, vel Prælato; nisi frater expresse in istam denunciationem consentiat. *Sanch. 2. mor. l.6. c.18. n.40. & 60. Palaus de char. 6. d.3. p.12. Fill. Trul. l.1. c.5. d. 14. Suar. Hurt. d.163.* & deniq; *C. Lugo Resp. mor. l. 4. d.46.* ubi tamen notat, in Societ. Jesu casum esse rarissimum. Ratio autem est, quia cessat motivum charitatis, atque adeò ratio denunciandi: ideoq; est peccatum, & quidem ut *C. Lugo l.c.* notat *ex Suar.* mortale ex genere suo, *v. infra l.4. c. 3. d.5. & Dian. p.4. t.4. R.71.*

III. Si Superior immediatus se solo possit delinquentem emendare, ita ut nullum periculum damni vel relapsus, ipsi vel alteri, vel communitati immineat, videtur peccare manifestando Superiori mediato delictum. *Pal. l.c. Trull. d.16. n.1.*

IV. Prælati & Magistratus tenentur aliquando inquirere subditorum peccata, ut corripiantur:

non

non tamen multum & curiosè, de aliquo in particulari rogare debent, nisi is speciale ejus signum dederit: neq; facilè admittere accusatores spontaneos, quia illi specie boni communis sæpè se quærunt. *Hurt. &c. Dian. p. 7. t. 3. R. 10. & 12.*

V. Episcopi, Prælati Religiosorum, Pastores animarum, tenentur etiam cum suo incommodo, imò aliquando cum vitæ periculo, adhibere diligentiam quam possunt, ut peccata publica, & occulta impediant: quia cum Christo pacti sunt curam & solicitudinem gregis, pro qua multa ab eo bona accipiunt. *Hurt. to. 2. d. 162. sec. 7. §. 60.* (ap. *Dian. p. 7. t. 3. R. 28.*) aitq; hanc esse omnium Patrum & Theologorum doctrinam, quam Christus verbo & exemplo docuerit: additque idem esse de Magistratibus & Concionatoribus. Licet verò hi non teneantur ad id ex justitia, (sicut Prælati & Magistratus) tenentur tamen peccata publica corripere, (sed non facilè Prælatorum & Religiosorum, quorum authoritas ad bonum commune est necessaria) etiam si non sit spes emendationis. *Con. Hurt. Dian. l. c. R. 13.*

VI. Correptio adhibenda est non semper statim, sed dum major fructus speratur. Hinc interdum permitti potest reiteratio peccati, ut ferventiùs resipiscat. *Dian. p. 7. t. 3. R. 29. & 30.* ex *Regin. Fil. Trull.* Neque sufficit semel esse factam correptionem, sed debet iterum iterumq; fieri, quamdiu speratur fructus. *Ibid. R. 32.*

DU-

# DUBIUM V.

## *De Scandalo.*

## ARTICULUS I.

### *Quid, quotuplex sit, & qualepeccatum?*

Resp. 1. Scandalum dicitur peccatum occasionatum. & est duplex: Activum, & Passivum. Activum est, dictum vel factum (quo nomine etiam omissio intelligitur) minùs rectũ, præbens alteri occasionem ruinæ spiritualis. *Ex S. Thom. 2. 2. q. 43. a 1. Sanch. Azor. Laym. c. 13. Bonac. d. 2. q. 4. p. 2.* Dixi, *minus rectum*, hoc est, quod vel in se malum sit, ut si loquaris turpia coram adolescente, vel mali speciem habeat, ut si justa de causa coram aliis eam ignorantibus, comedas carnes die vetito. Scandalum Activum aliud est per se tale, aliud per accidens. Per se dicitur, quando directè intenditur alterius ruina; id est; si ideo aliquid fiat, ut aliquis ad peccatum inducatur: v.g. si adulter alienam sollicitet ad adulterium. Per accidens dicitur, quando indirectè, & interpretativè tantùm causatur alterius peccatum; ut si quid facias, quod tibi in mentem venit, aptum natum esse inducere alterum hic, & nunc ad peccatum, & nihilominus facis; ut si coram pusillis pecces, vel die vetito carnes comedas, non dicendo, quòd habeas veniam. Item, si Clericus domi suæ alat mulierem populo suspectam, esto absit omne peccatum, & peccandi periculum. *vid. Sa. V. Clericus Laym. Bonac. loc cit.* Scandalum passivum, est ipsa ruina, sive peccatum, in quod labitur proximus, ex occasio-

ne

ne alterius dicti vel facti. Quod dividitur in Datum, seu pusillorum, quod oritur ex activo: & in Acceptum, quod non oritur ex activo, sed ex ipsius sumentis malitia; quale erat odium, & invidia Pharisæorum in Christum, occasione ejus dictorum vel factorum: unde hoc dicitur Pharisaicum. Ex his patet.

I. Ad Scandalum Activum non requiri, ut de facto passivum ex eo sequatur; sed satis esse, quòd data sit occasio; ex qua natura sua sequi possit: ut si quem inducere velis ad peccatum; qui tamen non consentiat; sicut etiam contra, passivum potest dari sine activo, *Laym. ibid.*

II. Scandalum passivum non esse speciale peccatum, neque addere circumstantiam aggravantem: v.g. qui viso alterius furto etiam furatur, non ideo peccat gravius, *Laym. ibid.*

III. Non semper esse scandalum, si pecces coram aliis, sed tantùm, quando attentis omnibus circūstantiis, tam personæ agentis, quàm coram quibus fit actus, potest probabiliter timeri, ne per hunc actum trahantur ad peccatum, qui aliàs peccaturi non essent. *Sanch. Laym. l. 2. t. 3. c. 13.*

IV. Omne scandalum activū directè intendens ruinam proximi, esse speciale peccatum contra Charitatem, ut habet communis sententia. An verò idem sit, quando intenditur indirectè, controvertunt Scholastici, & parum refert ad praxin. *Sanch. l. 7. c. 6. & 9. Azor. 1. p. l. 4. c. 7. Bon. l. c.* Unde resolve hos casus.

I. Mortaliter peccat, qui alteri dat occasionem ruinæ mortalis, nisi inde liberatio excuset: & sic opus

opus indifferens vel veniale, sæpè transit in mortale, ratione scandali, v. g. si jocosum verbum proferat Religiosus coram fœminis, vel iis, qui inde occasionem peccati mortalis sumere possunt. *Lay. l.c.*

II. Venialiter peccat ratione scandali, qui alteri dat occasionem ruinæ venialis tantùm. Quod verum est, etsi directè illam intendat, & quidem per actum mortalem, *Sanch. l.1. c.6. n. 11. ex communi* contra *Suar.* Ratio autem est, quia ruina est parva. Et patet à simili, vel si quis per fornicationem intendat furari rem minimam, furtum tantùm erit veniale.

III. Scandalizans committit præter peccatum scandali etiam peccatum ejus speciei, ad quod alterum inducit; ideoq; confiteri debet speciem peccati mortalis, per quod, & ad quod induxit cum numero inductorum, vel qui probabiliter induci potuerunt. *Sanch. Azor, Lay. Bon. l.c. Car. de Lugo de pœn. d.16. s.4. Dia. de Sacr. to 2. t.4. a.114.* Excipit tamen *Card. de Lugo l.c.* si præter intentionem scandalum dederit. *Tamb. de exped. conf. l.2. c.1. § 9.* ait, quoad inductos, sufficere si dicas: fui multis occasio peccandi meo exemplo. *v. inf. l.3. t.6. c.1. dub.2.*

IV. Etsi is, qui scandalizavit alios, teneatur illis rursus dare bonum exemplum, ut inquit *Sa:* si quis tamen nudo exemplo suo alios ad furtum induxit, neq; alio peculiari modo, v.g. exhortatione, consilio, mandato est cooperatus, non tenetur ad restitutionem; quia talis inductio est tantum contra Charitatem, non justitiam. Idem docet esse

esse *Lessius* si cum Cajo v.g. potites ea intentione, ut ipse consumptis pecuniis furetur. *v. Less. c. 9. d. 2. n. 113.*

V. Non censetur dare scandalum, qui licèt publicè peccet, facit id tamen coram iis, qui vel sunt ita viles, vel infames aut improbi, ut nemo moveatur ad peccatum; vel qui sunt ita probi, v.g. si quis fornicetur coram aliis, qui parati sunt idem facere, nec ejus exemplo moventur; vel si coram mansuetis quis contendat, rixetur, vel alium cædat. *Sanch. 1. mor. c. 6. n. 6.*

VI. Non ideo factum aliquod est scandalum, quia alius incipit de tali homine malè suspicari, aut sentire; quia hic non peccat, si ob sufficientia indicia suspicetur. Secus tamen est, si incipiat malè sentire de fide Catholica, Clero, Ordine Religioso, vel minùs ad pietatem affici: Unde patet facilius dari scandalum ab iis, qui sunt in magna auctoritate, vel pietatis existimatione, quàm ab aliis. *Cón. di. 32. n. 33.*

## Articulus II.

### *An, & quando scandalum passivum permitti possit, aut ob illud vitandum, aliquid omitti debeat?*

Resp. I. Permitti non potest absque necessitate, vel utilitate propria vel aliena. Ratio est, quia tenemur ex Charitate impedire peccata proximi, si facilè possimus. *Lay. c. 13. ex communi.* Unde resolvitur hic Casus.

Absq; causa non licet petere mutuum ab usurario, vel ab infideli juramentum per falsos Deos, à con-

à concubinario administrationem Sacramenti, vel ut celebret: cùm enim absq; peccato id non sit facturus, cooperareris ejus peccato. *Suar. Sanch. Trull l.1.c.6.d.5.n.15.*

Resp.II. Ex causa necessitatis, vel utilitatis potest permitti. Patet in dicto casu, qui simpliciter sine peccato fieri potest; ideoq; licet talia petere ex rationabili causa, etsi alter ex sua malitia sit peccaturus. Requiritur autem major necessitas, ut permittatur scandalum pusillorum, quàm Pharisaicum. Item major, si plures sint scandalizandi, si timeatur peccatum grave, & deniq;, si certò prævideatur, quàm aliàs, *Lay.l.c. Bon.d.2.q.4.p.2.*

Resp.III. Debet permitti, si alioqui propria salus periclitaretur, vel aliis, præsertim communitati, grave damnum immineret. Unde bona spiritualia necessaria ad salutem, nec debet, nec potest quisquam demittere ob cujusquam scandalum. *Fill.tr.28.c.6.*

Resp.IV. Bona spiritualia, (& secundum *Lorcam* apud *Dian. p.5.t.7.R.24.* etiam temporalia) non necessaria ad salutem, non tenetur quis omittere, vel differre, ob scandalum Pharisaicum, juxta illud *Matth.15. Sinite illos, &c.* nisi tamen ex dilatione fructus speraretur. Facilius verò ac sæpius talia bona differenda, vel etiam omittenda sunt, ob scandalum pusillorum: v.g. ingressus religionis debet differri ob scandalum parentis, si consensus illius brevi speretur. *Laym.l.c.*

Resp.V. Ad vitandum grave scandalum pusillorum, quædam præcepta impleri non debent; nisi tamen omissio esset magis damnosa omittendi,

*v.*

*v.Laym.l.2.t.3.c.13.* Ratio hujus est, quia tunc concurrente duplici præcepto, scilicet naturali de cavendo scandolo, & positivo, majus & fortius est naturale. *Ex dictis resolvuntur casus.*

I. Prælati Ecclesiastici non tenentur, (imò nec possunt) ea, quæ ad bona Ecclesiæ conservanda sunt necessaria, v.g lites, &c. omittere ad vitanda scandala Pharisaica, imò etiam pusillorum; etsi his prius reddi debeat ratio rectitudinis, *Dian.p.5.t.7. R.24. ex D.Thom &c.*

II. Si fœmina utatur veste virili, vel contrà, tantùm ex levitate, sine prava intentione, periculo scandali, & libidinis, veniale tantùm erit, aliàs mortale; nullum verò, si ex necessitate, *Dian.p.5.t. 7.R.32* ex *D.Thom.Sylv. &c.*

III. Peccatum, ex quo Confessarium in confessione (ex infirmitate tamen) graviter scandalizandum nosti, debes reticere, *Lay.l.c. ex Navar, &c.*

IV. Uxor semel vel iterum debet omittere jejunium, ex quo maritus graviter offendetur, & orietur discordia. *Ibidem.*

V. Si ituro te ad sacrum die Festo, excitanda sit gravis rixa, vel cædes, non teneris ire. *Ibid.*

VI. Superior peccata subditi sæpe potest dissimulare, ad vitandas turbas; & majora mala, quæ alioqui teneretur punire.

VII. Mulier, quæ scit in se, vel in sui aspectu aliquem in particulari scandalizandum, mortaliter peccat, si data opera ei se conspiciendam offerat: adeoq; potest & debet, non tantùm publico, sed etiam sacro abstinere die festo semel aut iterum, ad peccandum illud evitandũ. Dixi *aliquẽ in particu-*

*cular*i, quia ob timorem ſcandali alicujus ex communitate in genere, vel etiam plurium, abſtinere nimis eſſet difficile, & plenum ſcrupulis. Dixi 2. *ſemel aut iterum*, quia ſæpè nimis eſſet grave, & durum. *Bon. San. Lay. l.c. n.* 10. *& alii v. Dia. p.* 5. *t.* 7. *R.* 21. *&* 22. ubi in contrarium citat aliquot Authores negantes obligationem prætermittendi rem præceptam, ad evitandũ aliorum ſcandalum.

VIII. Mulier, quæ ex ornatu, etiam conveniente ſuo ſtatui, probabiliter prævidet aliquem in particulari lapſurum mortaliter, tenetur ad breve tempus eum dimittere, aut talis conſpectum fugere. Dixi, *ad breve tempus:* quia ad longum, nimis illi grave foret. *v. Dian. l.c.*

IX. Si verò idem timeretur in particulari ex ornatu ſuperfluo, vano, & inconvenienti (quem aſſumere vanitatis & placendi cauſa, ut videantur pulchræ, & procum faciliùs inveniant, ſecluſis aliis, non niſi veniale eſt) teneretur eum omnino dimittere, etiam ſub mortali: quia nullum habet jus ad illum ornatum: & ex altera parte tenetur vitare peccatum alterius, quando commodè poteſt *v. Sylv. V. ornat.* Alii tamen, ut *Caj. & Nav. cap.* 23. videntur docere, eam tantùm teneri ſub veniali, (ſed minùs probabiliter, quando in particulari lapſus prævidetur, & brevi tempore abſtinendum eſt) qui etiam cum *Az. Leſſ. l. & Bon.* excuſant à mortali eas, quæ ex conſuetudine loci, media ubera detegunt, fuco, pigmentis, alienis crinibus utuntur: dummodò non aliorum laſciviam, ſed tantùm majorem pulchritudinis ornatum intendant abſque alio fine mortali, aut lege parti-

Particulari id sub mortali prohibente. Addunt tamen, fore grave & mortale peccatum, hujusce-modi morem detegendi pectus, vel tenuiter tantum tegendi, ubi non est, introducere. *Nav. n.* 19. *Leß.* 112. *Lay. l. c. & c. v Bon. de mat. q.* 4. *p.* 9. *n.* 17.

X. Si mulier non in particulari, sed in genere tantum, aliquos in se scandalizandos putet, modò eorum lasciviam non intendat, nec ei placeat, (licèt ei placeat, quod laudetur ut formosa) non videtur teneri abstinere ab illo ornatu, etiam superfluo, sub mortali, v.g. fucando faciem, imò etiam denudando ex communi consuetudine pectus: nisi tamen denudatio, vel ornatus esset valdè turpis per se, ac directè ad libidinem provocās. Ratio est, tum quia est scandalum potius acceptum, quàm datum, & ornatus ille ac pulchritudo remotè tantum ad peccatum provocat, ut docet *Lay.* & *Bon.* tum quia nimis grave esset isti sexui, præsertim si maritum quærant, perpetuò sic abstinere; cum illa occasio sit universalis, & perpetua: nec formosiores unquam licitè irent foras, cum pulchritudo naturalis plus noceat, quàm artificialis. Plura de hac re *v. Dia. t.* 1. *misc. Resp.* 30. *Bald. l.* 3. *d* 5. *n.* 23. Interim fœminam nudum pectus gerentem non mali intentione, etsi quidam excusent à mortali, ego tamen, inquit *Sa*, difficile absolverem. Et certum est, quòd confessario incumbat, hujusmodi ornatum dissuadere, & deterrere ab eo. *v. Sa V. ornatus, &c. ll. cc.*

XI. Peccant etiam graviter, qui componunt, describunt, repræsentant, vel pingunt turpia, & ad libidinem provocantia, *Bon. San. & Fill.*

Resp.

Resp. VI. Potest aliquando permitti próximi ruina, quando is paratus est ad malum, & alter non intendit ut peccet, sed tantùm nō auferēdo occasionem, permittit unum peccatum, ne fiant plura; ita ut permissio sit impeditiva majoris mali. *Vnde resolves.*

I. Hero non licet auferre occasionem furandi filiis, aut famulis, cùm eos nihilominus ad furandum propensos & paratos novit, & sic deprehensi puniantur, & resipiscant: tunc enim rationabiliter permittit furtum unum, ut evitentur plura. *Sanch. Laym. Bon.*

II. Probabile est, non licere talia ultrò ponere, aut iis objicere: quia positivè concurreret ad peccatum; & non tam auferret occasionē, quàm poneret. *Sa. V. peccatum, & Sanch.* qui ex eadem causa docet, non licere marito dari uxori ansam adulterandi; vel adultero, ut tentet uxorem. Interim probabiliter contrarium docet *Laym. lib. 2. tr. 3. c. 13.* Quod confirmari potest exemplo Judith, quæ vix aliter videtur fecisse *c. 9.* Cùm enim sciret permissionem libidinis in Holoferne fore impeditivam malorum, posuit ei occasionem, nempe ornatum suum, alioqui licitum; & tamen communiter censetur in hoc non peccasse. *v. Bon. d. 2 q. 4. p. 2. Palaum hic.*

## ARTICULUS III.

### *An liceat alterius peccato materialiter cooperari?*

Resp. Cooperari tantùm materialiter, subministrando tantùm materiam & facultatem peccandi, vel

vel exhibendo objectum, licet; si sequentes conditiones adsint. I. Si tuum opus vel cooperatio sit secundùm se bona, vel saltem indifferens. II. Si bona intentione, & rationabili ex causa fiat, & non, ut juves alterum peccare. III. Si alterius peccatum impedire nequeas, aut saltem non tenearis, propter causam rationabilem. Circa quam notat *Sanch. & Laym.* etsi ejus gravitas certa regula definiri nequeat, sed prudentis judicio metienda sit; tanto tamen graviorem requiri 1. quantò gravius est peccatum, cujus occasio datur. 2. quantò probabilius est, te non cooperante, alterum non peccaturum; aut quantò certior est affectus peccati. 3. quantò propinquius tua cooperatio peccatum attingit. 4. quantò minus juris habes ad tale opus. 5. deniq; quantò magis peccatum cum justitia pugnat; idque propter damnum tertii. *Lay. l. 2. t. 3. c. 13.* Unde resolves hos Casus.

I. Hoc modo licitè materialiter cooperatur sponsa contrahens cum sponso, quem scit Sacramentum accipere in peccato mortali. Sciens verò eum habere votum castitatis, peccat contrahendo cum ipso: quia ad contractum illicitum concurrit. *Lay. l. c. ex Sanch. l. 7. de matr. d. 11. num. 11.*

II. Licitè quoq; post matrimonium contractum materialiter cooperatur conjunx, si conjugi obstricto voto castitatis reddat debitum; imò ad id tenetur ex justitia, si eum exigentem non possit à proposito avocare. *Ibid.*

III. Similiter Parochus Eucharistiam licitè potest, & debet ministrare peccatori, & excommu-

nicato, & hæretico occulto, si petat publicè: in confessarius præbere debet petenti. etiam privatim, si ex sola confessione ejus peccatū novit. *Ibid.*

IV. Excusantur à peccato famuli, si ratione sui famulatus præstant quædam obsequia, quæ sine gravi suo incommodo negare non possint; ut v.g. vestiant dominum, sternant equum, comitentur ad lupanar, meretrici deferant munera, eidem venienti aperiant ostium: quia hæc tantùm remote se ad peccatum habent, & sine iis peccatum fieret. Unde tamen non sequitur, alteri cuivis licere ea præstare. *Bon.p.*11.*n.*26. *Azor.tom.*2. *l.*12.*c.ult.q.*3. *Lay.l.*2.*t.*3.*c.*13. *Sanch.lib.*1. *mor.c.*7. *n.*21.

V. Ad ea opera, quæ propinquius se ad peccatū habent, aut juvant, v.g. subiicere humeros, admovere scalas hero per fenestram ascendenti ad concubinam, deferre literas amatorias ad meretricē, comitari ad duellum, &c. non sufficit communis ratio famulatus, sed exigunt majorem necessitatē & causam, ut licitè fiant; v. g. periculum gravis, aut saltem notabilis damni, si detrectent. *Ibid.*

VI. Ob simile periculum excusantur ut plurimùm caupones, & propolæ in locis, ubi Catholici vivunt mixti hæreticis, qui ministrant, aut vēdunt carnes die jejunii comesturis: item vinum ebriosis, dum postulant, etsi sciant eos à peccato non excusari: quia plerumque peccatum æquè fieret, subministrantibus aliis, & ipsi damnum notabile paterentur, dum paulatim nemo ad eos veniret. *Sanch.lib.*1.*cap.*7. *Bonac. &c.* Quòd si tamen hæ rationes non adessent, non excusarentur. Unde non licet ea patrifamilias (uti nec cœnam

v. 51 Inn. XI. die

die jejunii) ministrare suæ familiæ; neque cauponi illi, præter quem non sunt alii: nisi tamen alia gravior causa cogeret. *Ibid.*

VII. Ea quæ ad peccatum proximè concurrunt, vel inducunt, vel cum justitia pugnant, etsi ex genere suo sint indifferentia, v. g. hero alterum occisuro gladium dare, ostendere illum qui ad necem quæritur, compulsare campanam (sine scandalo tamen) ad concionem hæreticam, meretricem etsi conductam ac paratam, è domo evocare & ad herum deducere, furi scalam applicare, gerenti injustum bellum dare mutuas pecunias, pagum hæretico domino vendere, gravissimam causam requirunt, hoc est, metum tanti mali, quod secundùm leges charitatis nemo teneatur subire ad evitandum malum alterius, v. g. si aliàs occidendus esset. *Lay. c. 13. n. 4.*

VIII. In civitatibus, in quibus id vitandi majoris mali causa permissum est, licet domum locare usurario, (excipit tamen jus alienigenam) & meretricibus; maximè si alii conductores desint: nisi tamen meretrices graviter nocerent vicinis honestis, vel ob situm ansam majorem darent peccatis. *Sanch. 1. mor. c. 7. Bon. l. c.*

IX. Excusantur à mortali, imò etiam veniali, si causa adsit, artifices qui faciunt, aut vendunt res indifferentes, quibus quis benè potest uti, licet plurimi abutantur, v. g. aleas, fucos, gladios. Ratio, quia remotè tantùm ordinātur ad peccatū; & simpliciter impediri nō possūt. Quòd si tamen abusus esset cōtra justitiā, non liceret; v. g. si occisuro dares gladiū ob magnum pretium, quo offert.

Item, si quis sciat hunc innocentem non pervertendum, nisi per has suas merces: quia modicum lucrum certæ saluti alterius est postponendum, *Sanch. l. c.*

X. Excusantur etiam, qui ob justam causam vendunt agnum Judæo, vel infideli usuro ad sacrificium. Item qui Judæorum Synagogas, hæreticorum templa, legitimo Magistratu permittente; ædificant, vel restaurant; præsertim si fieret æquè sine ipsis. *Nov. l. 5. cens. 1. de Iudæis Lay. l. 3. t. 3. c. 13. n. 4.* Venena autem vendere, nisi iis qui bene usuri putantur, v. g. ad confectionem colorum, vel medicinam, non licet, *v. Sanch. 1. mor c. 7.* Unde venditio veneni, quod non servit nisi ad hominis occisionem, simpliciter est mala.

XI. Christiani captivi, ex gravi metu; in triremibus Turcarum, vel hæreticorum, licitè remigant contra Catholicos; sarcinas, machinas, arma ad bellum necessaria, convehunt, propugnacula ædificant, &c. Ita probabiliter *Less. Sanch. Suar. Lay l. 2. t. 3. c. 13.* contra *Tol. & alios*, qui docent, peccare mortaliter. Quòd si tamen eo loco res esset, ut hæc negantes magna periculo classem Christianam eriperent, vel victoriam conferrent, tenerentur tantum bonum vitæ suæ anteferre. *Suar. Less. Sanch. l. c.*

XII. Incolæ urbis vel provinciæ, quam Tyrannus occupavit, licitè manent inter iniquos possessores, eosque cogente imperio juvant excubiis, fossione, contributione; idque ex legitimi Principis præsumpto consensu: ex quo etiam talia obsequia licitè promittunt cum juramento, ad majora mala

ra mala sua & legitimi Principis declinanda. *Layl. c. n. 5.*

XIII. Nautæ & aurigæ Catholici in Hollandia, etiam sine gravi metu, si absit prava intentio, licitè vehunt annonam ad castra hæreticorum, si adsint alii, qui illis cessantibus facerent: quia nisi id faciant, excludentur omni lucro, tanquam osores boni publici. *v. Less. l. 2. c. 19. Sanc. l. 1. c. 7. Fil. t. 22. c. 5.*

# LIBER III.

## *De præceptis Decalogi & Ecclesiæ.*

## Tractatus Primus.

### *De Primo præcepto Decalogi.*

HUJUS præcepti prout est affirmativum, materiæ propria sunt actus virtutis Religionis. Est autem hæc Virtus moralis, qua interior & exterior cultus Deo debitus exhibetur. Actus ejus internus est animi submissio, qua infinitam Dei excellentiam veneramur. Externus est, quo internum testamur, ut oratio, sacrificium, &c. de quibus *v. Schol. 1. 2. & 3. parte* Prout vero est negativum, prohibet vitia Religioni opposita: quæ quia opponuntur virtuti inter morales præcipuę, sunt peecata, post ea quæ contta virtutes Theo-

logicas committuntur, graviſſima, & ex genere ſuo mortalia. Sunt autem duplicia: alia quæ opponuntur per exceſſum, ut ſuperſtitio cum ſuis ſpeciebus: alia per defectum, ut Irreligioſitas cum ſuis.

## CAP. I.

### *De ſuperſtitione, & ſpeciebus ejus.*

### DUBIUM I.

### *Quid ſit, & quotuplex?*

RESP. I. Superſtitio, eſt falſa religio, ſeu cultus vitioſus veri vel falſi Numinis, *Leſſ.* Et convenit cum definitione communi ex *S. Thoma*, qua dicit, eſſe vitium, quod Religioni opponitur ſecundum exceſſum. Dicit, *per exceſſum*: non quod Deus nimium coli poſſit, aut majore honore quàm dignus ſit; ſed id intelligitur ſecundùm circumſtantias, eò quòd exhibeat cultum, vel quem non debet, vel eo modo quo non debet, vel illi cui non debet.

Reſp. II. Superſtitio eſt duplex: alia cultus indebiti, ſive incongrui, quo verus Deus, ſed modo indebito colitur, tribuendo ei cultum falſum & pernicioſum, vel ſuperfluum, qui nimirum ſit contra, vel præter Eccleſiæ conſuetudinem ac præceptum. Alia eſt ratione rei cultæ, cum ſcilicet cultus Deo debitus, falſo Deo, vel creaturæ defertur. Et hæc ſubdividitur in Idololatriam, Divinationem, & vanam obſervantiam; ad quam

Magi-

Magia vel revocatur, vel potiùs quartam speciem constituit. *Lay. l. 4. t. 10. c. 1. ex S. Thom. q. 92. a. 2.* Exquibus resolves.

I. Superstitionem cultus falsi committit. 1. Qui Deo nunc offert cultum per ceremonias veteris legis, v. g. circumcisionem, immolationem agni, &c. quia significant Christum adhuc venturum, & nondum venisse. 2. Laicus, qui Deum colit tanquam publicus Minister Ecclesiæ, v. g. sacrificando, absolvendo. Quod semper esse mortale, docet *Suar. de rel. l. 2. de superstit. c. 2.* 3. Is qui sua autoritate proponit aliqua facienda, tanquam ordinata ab Ecclesia, ad Dei cultum. 4. Qui falsas reliquias proponit, vel miraculum factum esse per aliquam imaginem, vel se habuisse has vel illas revelationes, fingit, sive ad faciendum lucrum, sive ad devotionem augendam 5. Qui ut populum moveat, fingit miraculum aliquod, vel historiâ reperiri in Scriptura Sacra; &c. Et hæc superstitio etsi sit ex genere suo mortalis, quia primæ veritati injuriam irrogat, & religionem fundat in mendaciis: sæpè tamen excusatur ignorantia, vel simplicitate *Less. lib. 2. t. 43. Sanch. 2. mor. c. 37. Navar. c. 12. Laym. l. c. Bon. d. 3. q. 5. p. 1.*

II. Superstitio cultus superflui, est v. g. 1. Ceremonia audiendi Missam ante ortum Solis, cum certo numero, situ, ordine cereorum; vel Sacerdotis, qui dicatur Joannes; vel qui habeat staturam Christi, &c. quia hic cultus est ex seipso inanis, ad spiritum excitandum inutilis. 2. Jejunare die Dominico, cùm nõ jejunas aliis diebus.

Item in Missa contra rubricam plures formare cruces, pluries dicere Alleluja, dicere Gloria, vel Credo contra rubricas, aliàsve ceremonias demere; vel addere (etsi fiant ex devotione, hæc enim corrigenda est,) quia sunt præter Ecclesiæ consuetudinem. Hæc tamen & similia bona intentione facta, venialia tantùm sunt ordinariè, ut docet *Tol. Less. l. c. d.* 1. *Navar. & Laym.* quia est materia levis, & actio ex se non mala; & multa excusat simplicitas. Quòd si tamen ex se mala esset, ut si rem furtivam offeras, turpia verba in templo canas, ore vel organo, notabiliter lasciviam vel ad impuritatem provocantem vocem edas, est superstitio ferè mortalis, ut *Lay. l. c. excommun.*

## DUBIUM II.

## De Divinatione.

### *Quid & quotuplex sit?*

Resp. I. Divinatio est, cùm quis opem Dæmonis tacitè vel expressè invocat, ut noscat res contingentes, & liberè futuras, aliterve occultas, & naturaliter incognoscibiles. Quæ si sint tales, quas solus Deus scire potest, involvitur tacita Idololatria, quòd Dæmoni tribuatur cultus divinus: si verò sint tales, quas Dæmon naturaliter scire potest, (nam ex signis, aliisque modis, occultissima quæque cognoscere potest, etiam plurimas hominum cogitationes, & res futuras, ut ut *v. Delrio. l.* 4. *c.* 2. *q.* 2. *Sanch.* 2. *mor. c.* 38.) nihilominus illicita est; eò quòd commercium habeatur

tur cum Dei jurato hoste: quod importat quandam proditionem, & apostasiam à Deo; ac fortè etiam, ut vult *Suar.* contra *Valent.* superstitionem. *vid. Laym. c* 3. *Bon. p.* 3. *S. Thom.* 2.2 *q* 5. *a.* 1.

Resp. II. Divinatio est duplex: una, in qua est invocatio vel pactum expressum cum Dæmone: & generali nomine dicitur Necromantia; ut, cùm Dæmon occulta docet per pythones, arreptitios, præstigias per personas mortuorum vel vivorum apparentium, aliave signa in aere, aqua, igne, speculis. Alia est, in qua tantùm est invocatio vel pactum tacitum, seu interpretativum; ut cùm ex lineamentis corporis, vocibus, garritu avium, & similibus, quibus se Dæmon immiscere solet, quæritur cognitio, ad quam ea sunt improportionata. *D. Thom. q.* 95. Cùm verò utriusque speciei variæ rursus, sunt species, eas hîc omitto; quòd secundum sententiam communiorem, in genere moris non differant, nec specialem habeant malitiam ideoque in confessione non sit opus explicare, an v. g. facta sit divinatio ex speculis, aere, mortuo, &c. Experimendum tamen necessariò est, utrum invocatio sive pactio expressa, an tacita intervenerit: quia sive hæ moraliter inter se specie differant, sive non, notabiliter tamen mutant judicium Confessarii. *v Laym. l. c. Sanch. l. c. Less. l. c. d.* 5. *Delrium l.* 4. *disp.* 4. *c.* 2. *Bon. q.* 5. *p.* 4.

Resp. III Divinatio quæ fit per pactum expressum, & qua Dæmon expresse invocatur, excusari non potest à mortali: eam verò, quæ fit per pactum tantùm implicitum, aliquando excusari

à mortali quidam afferunt; videlicet tunc, cùm vel intercedit simplicitas, & ignorantia non crassa, nec affectata, vel fides certa non adhibetur; sed tantùm timor quidam, aut suspicio concipitur eventus futuri. *Laym l. 4. tr. 10. c. 3. Sanch. Less. Suar. Caiet. Baldel. t. 2. l 4, d. 4. n. 22. &c.* eò quòd tunc superstitiosa verè non sit, cum intentio non sit talis. *v. Suar Less. Sanch. Lay. Caj. Navar. Sayr. Valent & Tannerum d. 5. d rel. q 7. di. 1. n. 21. dub. 2. n. 2.* Ex dictis *resolvuntur sequentes Casus.*

I. Expressè censetur invocare, seu convenire & pactum facere cum dæmone, qui vel verbis dæmonem invocat, vel saltem facto aliquid usurpat, per quod scit aut putat dæmonẽ cooperari.

II. Is verò tacitè paciscitur, qui vanis & naturaliter improportionatis utitur ad aliquid cognoscendum, vel efficiendum. Neque requiritur, ut dæmon aliquando pactus sit, se ad talis vani medii adhibitionem concursurum; eò enim ipso, quo quis vanitatibus iis utitur, dæmon se immiscet; licet præter intentionem utentis sit eum invocare, ut docet *Suar. Less. & Sanch. ll. cc.*

III. Non excusatur à peccato, qui utendo talibus, rebus, de quibus constat esse naturaliter improportionatus, protestatur se nullũ cum dæmone commercium intendere: quia reipsa facit contra suam protestationem. Cùm enim nec Deus, nec Angeli boni talibus se misceant, dæmon implicitè iis invocatur, uti præter citatos docet *Laym. & Bon. ll. cc.*

IV. Neque is excusatur, qui talia media utilia credit

credit propter experientias: quia has dæmõ procurat, ut homines paulatim illaqueet, & ad similia usurpanda inducat. *vid. Sanch. 2. mor. c. 38.*

V. Si quis ab astris, somniis, similibusve ita dependeat, ut omnes pænè actiones suas & vitam juxta ea regulare velit, eum mortaliter peccare, docet *Less. Suar. Sanc. ll cc.*

VI. Ex talium observatione semel atque iterum aliquid omittere: ad quod alioqui sub mortali non teneris, veniale tantùm esse censet *Cajet. & Armilla V. Somnium*; uti & subinde timere leviter ne ita sit, aut eveniat quod portendunt, ut notat *Suar. supra l. c.*

VII. Communiter & ut plurimum, in similib⁹, in quibus tacitum tantùm est pactum, venialiter tantũ peccari, docent consequenter Doctores supra citati, & mox citandi: quia communiter ferè aliquid istorum intervenit, quæ à mortali excusare dicunt: ut v.g. quòd fides integra non adhibeatur. *Sanch. loc. cit. n. 23. Cajet. in summa, Armilla, &c.* Rectè tamen notat *Delrio*, esse semper rem valdè periculosam, juxta illa suas actiones dirigere, etiam non credendo. *v. Sanch. l. c.*

VIII. Licita est 1. Physiognomia, quæ ex vultu, dispositione, & habitudine corporis & membrorum; 2. Chiromantia, si ex lineis, & partibus manuũ, consideret temperiem corporis, imò etiam animi propensiones & affectus probabiliter conjectet. 3. Item divinatio, quæ ex somniis conjectat hominis complexionem, & hinc affectiones animi diurnas. 4. Item illa, qua ex avium, piscium, aliorumve animalium voce, motu,

aliisve actionibus, naturales aliqui effectus pronunciantur, futuri ut plurimum, v. g. serenitas, pluvia, &c. 5. Astrologia naturalis, quæ effectus corporeos & naturales, ut ventos, eclipsin, fertilitatem, salubritatem, morbos, & similia prædicit, quæ ad medicinam, vel agriculturam conducunt, imò etiam, cum ex puncto nativitatis, sive horoscopo, probabiliter prædicit complexionem corporis, & affectiones animi. Quia hæ divinationes omnes naturales sunt & mediis proportionatis utuntur. *Less. l. 2. c. 43. d. 7.*

IX. Illicitæ verò sunt omnes prædictæ divinationes, si ex iis aliquid nosci, aut pronunciari intendatur circa ea ad quæ proportionata non sunt: ut circa effectus contingentes & liberos; aut quæ à Deo pendent, ut circa statum animæ, dona gratiæ, divitias, honores, fortunam, nuptias, statum vitæ, & similia, quorum electio voluntaria est, & à libera hominum voluntate pendet: itemq; de rebus occultis, ut furto, thesauro abscondito. *v. Less. l. c & Bonac. d. 3. q. 5. p. 3. nu. 11. Suar. Sanch. l. c. Bonac. num. 11.*

X. Peccant, qui Ægyptios de fortuna consulunt; & quidem si fiat cum firma fide, vel scandalo, &c. mortaliter: si verò causa curiositatis vel risus, ut fit communiter, venialiter tantum, *Fill. & Sanch.*

XI. Superstitiosa est divinatio, quæ fit per sortes divinatorias, ad futurum vel occultum aliquid cognoscendum, quasi sortibus vis aliqua divina insit; ut si quis v. g. ex taxillorum projectione & dispositione divinet, quis sit obtenturus victo-

victoriam, beneficium, &c. Idem ferè est de sortibus consultoriis, quibus inquiritur, quid in hac vel illa re sit agendum. Dixi *ferè*: quia aliquando hæ licitæ sunt, quando causæ necessitas & honestas exigit, aptiorque modus dubium vincendi non apparet: dummodò fiant præmissa oratione, cum debita reverentia; & indicium non exspectetur nisi à solo Deo: ut v. g. si quis hærens in bivio aliter quoad viam se determinare non possit; vel si divino instinctu aut jussu fiat, ut, 1. *Reg.* 10. in electione Saulis contigit. *Fill. Sanch. Bon. l. c.*

XII. Sortes divisoriæ sine superstitione, & plerumq; licitè fieri possunt, sive ad honestum ludum, sive ad hæreditatis divisionem, sive litis compositionem; dummodò litigãtes, qui æquale jus habent, consentiant; quia nihil aliud continẽt, quàm contractum inter eos qui ad aliquam rem jus habent, ut illius sit, cui sors obtigerit. Sic etiã si plures mortem meriti sint, nec expediat omnes puniri, sorte definiri potest, quis ex iis sit occidendus. Dixi *plerumque*: tum quia in electionibus Ecclesiasticis sunt illicitæ, ut *Laym. l. 3. t. 4. & Bon.* tum quia officia sæcularia, non sorte, sed secundum personarum aptitudinem sunt dividenda, etsi inter plures æquè aptos & dignos sorte agi possit. *v. Less. c. 43.*

XIII. Potest excusari à superstitioue, qui modo illicito futura se velle divinare ostẽdit joci causa. Ratio, quia non est actus superstitiosus, nec affectatio cognitionis Deo propriæ, sed tantum vanitas aliqua. *Suar. & Sanch. Regin. l. 17. n. 170.*

## DUBIUM. III.

### *Quid, & quotuplex sit Idololatria?*

Resp. I. Ea est, quando tribuitur honor creaturæ sicut Deo, *D. Thom. q. 94. art. 1.* Id verò fit, ut docet *Less. l. 2. c. 43.* non tantum sacrificio, sed etiam quovis signo honoris, quo quis creaturæ tanquam Deo se submittere intendit, v. g. genuflexione, suffitu, detectione capitis ad statuam Iovis.

Resp. II. Idololatria est duplex: alia Materialis, sive simulata, ut cum quis sine interno affectu, ex metu mortis, cultum idolo exhibet. Alia Formalis, ac propria: eaque vel perfecta, ut cum quis adorat idolum, quod ex infidelitate putat esse Deum; vel imperfecta, cum quis vel ex odio Dei, vel ex affectu aliquid à Dæmone aliave creatura obtinendi, ipsi quasi Deo cultum defert. *Laym. l. c.* ex *S. Aug. & S. Thom.* Unde resolves.

I. Idololatria aliquando conjungitur cum infidelitate vel hæresi, cum scilicet creatura adorata in intellectu habetur pro Deo; aliquando non.

II. Idololatria, etiam materialis & ficta, est grave & mortale peccatum: quia est saltem mendacium pernitiosum, & contra religionem: sæpè etiam contra confessionē fidei externam. *Sanch. l. 1. c. 37. n. 21. Azor. 1. p. l. 9. c. 11.*

III. Idololatria imperfecta, ob malitiā voluntatis, est peccatum gravius, quàm perfecta. *v. Lay. l. 4. t. 10. c. 2. Sanch. l. c.*

## DUBIUM. IV.

## DUBIUM IV.

### *Quid, & quotuplex sit vana observantia, & unde colligatur?*

Resp. I. Ea est superstitio, quâ medio aliquo improportionato, & à Deo non instituto procuratur aliquis effectus, v. g. sanitas, scientia, &c. S. *Thom.* 2. 2. *q.* 96. *a.* 1. *Bon. & alii.* Differt autem à divinatione, quod hæc tantum ordinetur ad occultorum cognitionem; illa verò ad effectum externum. Convenit cum eadem, quòd utraque nitatur pacto dæmonis, eiq; tribuat perfectionem propriam Dei. Unde quæ de divinatione dicta sunt proportionaliter huic accommodari debẽt.

Resp. II. Dividitur 1. sicut divinatio, in eam, quæ ex pacto expresso cum Dæmone, & in eam, quæ ex implicito pacto procedit. 2. Dividitur communiter in quatuor species. *Prima*, dicitur Ars notoria, quæ inspectione certarum figurarum, vel certo aliquo jejunio, oratione, &c. utitur ad scientiam, repentè ac sine labore acquirendam, ut faciunt Anabaptistæ. *Secunda*, dicitur Magia, (quod nomen alioqui generale est) quæ versatur circa corpora variè immutanda, aliosq; effectus miros. *Tertia*, est observatio eventuum, qua ex consideratione alicujus eventus conjicitur, quid sit futurum: ut v. g. si ex eo, quòd casu occurrat vulpes, canis, aut cadaver, certa imminere credat, & indè actiones suas moderetur. *Quarta*, dicitur observatio sanitatum, cùm adhibentur quædam signa, orationes, certus numerus crucium, sacra verba, &c. velut necessaria, & efficacia ad pellendos morbos

morbos. Idem est de gestatione reliquiarum cum vana circumstantia, v. g. in tali capsa, tot diebus, cum tali herba, &c. *Sanch. c. 40. n. 11. Fill. t. 14. c. 6. n. 157.*

Resp. III. Vana observantia, sicut divinatio, est peccatum mortale ex genere suo. Ratio, tum quia tribuit honorem divinum creaturæ, exspectando ab ea, quod à solo Deo exspectari debet: tum quia nititur pacto cum dæmone. *Less. Bonac. q. 5. p. 4. & alii* Nec potest excusari à mortali ex parvitate materiæ: quia simpliciter, & in omni materia, usurpatur cognitio, aut virtus Dei propria: Aliud tamen fieri posse ut non sit mortale, docent *Autt. suprà citt. dub. 2. resp 3.* 1. ratione ignorantiæ, si pactum sit implicitum tantùm. 2. Si non adhibeatur fides, licet timeatur ita esse, vel futurum, *v. dicta de divinatione dub. 2. resp. 3. casu 7. & Less. dub. 8. n. 53. & 66.*

Resp. IV. Vana observantia cognosci potest, 1. Ex insufficientia causæ adhibitæ ad effectum; si nimirum nec habeat naturalem virtutem, nec de supernaturali legitimè constet. 2. Ex adjunctione falsæ, vel vanæ circumstantiæ, ut v. g. si flagellatio fieri debeat certa hora, numero, manu, flagro serico; si nomina adhibeantur ignota, vel characteres peregrini, verba falsa, vel apogrypha, v. grat. Christum habuisse febres, vel spasmum, &c. Item si ponatur vis in modo scribendi, v. g. Evangelium S. Ioannis à virgine, oriente sole, &c. 3. Si effectus statim evanescat, &c. *Delrio l. 2. q. 5. Sanch. c. 40. n. 42.* Ex dictis resolves.

I. Superstitiosum est 1. Sumere aliquam potionem

nem vel bolum, vel quidvis aliud usurpare, ad scientiam aliquam subitò acquirendam. 2. Gestare amuleta, ligaturas; & involucra falsis characteribus consignata contra vulnera, vel subitam mortem, ne possint lædi, vel ne sanguis effluat; vel ad conciliandam invisibilitatem, impenetrabilitatem, amorem, fortunam, nocumenta & maleficia. 3. Ex casu fortuito conjicere de eventu, v. g. sibi aliquid boni vel mali eventurum; ut si manè egrediens pedem offendat, ideoq; domum regrediatur, timens aliquid infausti. 4. Dies aliquos habere tanquam faustos, alios verò infaustos, ideoq; negotium omittere, v.g. die Veneris nolle ungues præscindere 5. Fœminarum carminatricum benedictiones & preces ad morbum depellendum adhibere. 6. Projicere statuam alicujus Sancti in flumen ut pluat. 7. Si putenturMissæ non prodesse defunctis, nisi legantur septem, cum septem certi coloris candelis, & septem eleemosynis. 8. Si unguento armario, quo gladius inungitur, absens curetur. 9. Si certo festo, v.g. S. Joannis certa orentur, vel festo S. Matthiæ hederæ folia aquis imponantur, ut cognoscatur cui debeant nubere. 10. Si quibusdam precibus, imaginibus, aut characteribus, aut crucibus tribuatur certa & infallibilis vis, v.g. evadendi ab hoste, expellendi morbos, non moriendi sine prævia confessione, non incidendi in infortunium &c. Aliud tamen est, ea per orationes petere ac sperare. *Delrio l.3.p.2 q.4.s.7. Suar.c.15. Less.c.44. d.3. Sanch.nu. 34 & 37. Fill.n.150.*

II. Superstitiosum non est, 1. Observare lunam, aut

aut tempora aptiora colligendis herbis, (v. g. die S. Ioannis Baptistæ) purgandis corporibus, cædendis arboribus, &c. 2. Verba Sacræ Scripturæ, vel reliquias gestare ad Dei tantùm honorem, & sine dictis vanitatibus. 3. Circa templum alicujus certi Sancti ter jumentum circumducere, die alicujus certi Sancti equis venam secare, &c. si scilicet hæc fiant, ut major devotio excitetur, & effectus Sanctorum meritis asscribatur. Aliud tamen esset, si putarentur tales circumstantiæ infallibiles, aut planè necessariæ, aut per se efficaces. *v. Nav. in man. cap.* 11. Addit *Laym.* ex *Cajet.* si homines rudes, bona fide & ex devotione, aliquem ritum ab Ecclesia non receptum observent, aliquando in sua simplicitate relinquendos, cum difficulter abducantur ab eo, quod bona fide à suis majoribus acceperunt. 4. Nec damnandæ quædam devotiones, quas vocant Novendiales, (v. g. novem, vel ad exemplum S. Gregorii, triginta, vel alium certum numerum Sacrorum celebrare, cum certo numero, & magnitudine candelarum, & similia) si fiant in memoriam alicujus mysterii, v. g. novem mensium, quibus Christus fuit in utero, vel quinque vulnerum, &c. Esset tamen superstitiosum, credere eas preces non prodesse in majore vel minore numero. 5. Multi excusant etiam eos, qui sanant morsus à rabido cane, quod putent illos ad hoc habere gratiam gratis datam: & sic tenet *Nav. in man. c.* 1. *v. Sanch. Laym. Bon. ll. cc.*

III. Non est illicitum uti virtute rei naturalis, quæ per superstitionem cognita est, modò

ejus

ejus obſervatio aut operatio non pendeat ab ope Dæmonis. Ratio eſt, quia licet illa cognitio malè parta ſit, peccatum tamen tranſiit: neq; virtus naturalis ex eo quicquam mali contraxit, *v. Sanch.2 moral.c.* 38. *Bon.q.5.p.4.Lay.l 4.t* 10.*c.4.*

## DUBIUM. V.

### *Quid ſit Maleficium, & quomodo poſſit tolli.*

Reſp. I. Maleficium, eſt vis nocendi aliis, ex pacto & cooperatione Dæmonis. Differt à Magia, quòd hæc intendat facere mira; illud autē dirigatur ad nocendū, *Tol.* 1.4.*c.*10. *Fill.t.*24.*c.*8.*q.* 6.

Reſp. II. Maleficium aliud dicitur Amatorium ſeu philtrum, cujus uſus eſt ad carnalem amorem vel odium excitandum, Dæmone hominis phantaſiam commovente, nihil tamen agente in voluntatem. Unde patet, ſi maleficio ſic infecti labantur, eos verè peccare, quia libertas non aufertur. Aliud dicitur Veneficium, quo alicui perſonæ, vel ejus bonis damnum infertur. *Fill. l. c. n* 183. *Azor tom.* 1. *l.* 9.*c.*26.

Reſp. III. Contra maleficia uti licet 1. Remediis petitis ex medicina. 2. Exorciſmis, & Sacramentis Eccleſiæ, peregrinationibus, invocationibus Sanctorum, &c. 3. Deſtructione ſignorum per quæ Dæmon nocet, abſq; alio tamen maleficio. *Nav. & communiter alij.* 4. Si maleficus licito modo poteſt maleficium tollere, licet eum ad id accerſere, rogare, imò etiā pecunia inducere, vel verberibus, aut tormentis cogere, (non tamē interficere ſi nolit) *Lugo, Diā p.*8 *z.*7.*R.*13. idq; etiamſi conſtet eū id facturū per novū maleficiū: ſicuti ex cauſa licet ab uſurario petere mutuū ad

uſuram

usuram. Ratio, quia cum habeam jus petendi quod ab illo rectè præstari potest, & est indifferens, imputabitur illius malitiæ, si id malè faciat. *vid. Sanch lib. de mat. d. 95, n. 11 Fill. n. 192. Less. lib. 2. c. 44. d. 6.* contra *Delrio 5.* Licet etiam contrariũ signum positivum apponere, ex se tamen honestum: v. g. si Dæmon esset pactus cum maleficò, se tam diu nociturum, quamdiu maleficiatus se cruce nõ signaret, aut lavaret corpus (nam plerũque fit cum tali aliqua conditione, v. g. ut tamdiu duret, quamdiu manet aliqua ligatura, aut res aliqua certo loco defossa) licebit illi se signare, lavare &c. *Suar. Less lib. 2. cap. 44. num, 45.* Ratio est, quia non est intentio positivè recuperandi sanitatem eo medio, sed tantùm tollendi signum, & dissolvendi pactum cum Dæmone. Unde ulterius patet, licere repercutere sagam quæ te tetigit; ea enim repercussa solet noxa cessare, ut habet *Less. loc. cit. & Sanch. lib. 7. de Matrim. d. 95 & 96.* 6. Si maleficus non potest tollere maleficium, nisi per novum, non licet eum ad id inducere: quia id esset inducere ad peccatum, & actui intrinsecè malo cooperari. *Suar. Sanch. Less &c. ll. cc. 7.* Si dubitetur an possit sine maleficio novo tollere, non licet ab eo petere, ut habet *Laym. lib. 4. tr. 10. cap. 4. num. 9. ex Sanch. & Suar.* quia est periculum peccandi. Facilius autem præsumi potest, eum qui signa posuit, posse ea sine novo maleficio destruere, quàm eum qui non posuit. Unde si hic suam operam offerat, prius erit examinandus de modo solvendi, *v. Laym. hic Bon. d. 3. q. 5. p. 5.*

Quares.

*Quæres.* Quomodo Confessario agendum cum Divinatoribus, Magis, &c.

*Resp. I.* Examinandi sunt, præterquam de variis superstitionibus 1. Quo fine tali superstitioni se addixerint, v. g. an ratione vehementis passionis, tristitiæ, vindictæ, avaritiæ, aut sanctitatis nomen conciliandi, quæ esset sacrilega hypocrisis. 2. De apostasia, idololatria, & hæresi: abnegant enim Christum & Deum; renunciant Sacramentis, habent Dæmonem pro Deo, vel Sancto; nec damnatum putant, aut miserum. & consequenter illius asseclas non esse damnandos. 3. De blasphemiis in Deum & Sanctos; de sacrilegiis: abutuntur enim rebus sacris, ut aqua benedicta, Eucharistia, &c. 4. De luxuria commixtione cum Dæmone. 5. De damnis proximo illatis. *Suar. Sanch. Fill. Bonac. l. c.*

*Resp. II.* Monendi sunt, eos teneri. 1 Pactum expressum, si quod habent cum Dæmone, aut commercium abjurare & dissolvere. 2. Libros suos, schedas, ligaturas, aliaque instrumenta artis comburere. 3. Comburere chirographum si habent: si verò solus Dæmon id habeat, non necessariò cogendus est ut reddat; quia pactum sufficienter dissolvitur per pœnitentiam. 4. Damna illata resarcire: ad quod proinde etiam tenetur Fiscus, (ubi veneficotum bona confiscantur) uti & hæredes, si ad eos bona deveniant, *Laym. l. c. Suar. to 1. de rel l. 2. c. 17. Sanch l. c 40 Fill &c.*

*Resp. III.* A Parochis moneri & à Confessariis examinari circa hoc præceptum potissimum debent, 1, Opiliones, qui variis dediti esse solent observa-

servationib⁹, ut gregem suum à lupis, vel scabie, vel aliis incommodis, tueantur. 2. Fabri ferrarii qui circa equos sanandos utuntur verbis, vel ex psalmis, vel ex oratione Dominica desumptis; Rustici, qui ad sananda pecora inanibus & superstitiosis observationibus utuntur, vel recurrunt, ad peritos taliũ artium. 4. Vetulæ, quæ circa mulieres laborantes in partu vel ex matrice, vanas & superstitiosas adhibent orationes. 5. Milites, qui deferũt secũ sacra nomina, vel orationes, ad certitudinẽ, quòd in bello vel duello non sint vulnerandi, nunquam aqua, igni, vel subita morte perituri.

## CAPUT. II.

### *De Irreligiositate, ejusque speciebus.*

IRreligio, quæ religioni opponitur per defectum, vel tendit directè ad irreverentiam Dei, & est Tentatio Dei, aut periurium; vel tantùm tendit ad irreverentiam rerum sacrarum, & est Sacrilegium, aut Simonia. De Perjurio, in secundo præcept. de reliquis hîc.

## DUBIUM I.

### *Quid si tentatio Dei?*

Resp. Tentatio Dei, est dictum vel factum, quo quis explorat num Deus sit potens, sapiens, misericors, aut aliquam aliam perfectionem habeat, *S. Thom. 2. 2. q. 92. a. 1. Sanch. &c.* Ea est duplex, scilicet vel formalis, quando quis expressè dubitans de aliqua Dei perfectione, eam experiri cupit, ut si quis petat miraculum, quo patefiat fidem Catholicam esse veram; vel det se præci-

ricors,

pitem ex turri, ut experiatur an Deus sit misericors, eum eripiendo à læsione: vel est implicita & Interpretativa, quando quis, etsi expresse non intendat Deum tentare, id tamen petit vel agit, quod suapte natura eò referri videtur; ut si quis se committat periculo, à quo vel nullo modo, vel vix possit eripi nisi miraculosè; vel si media naturalia omittat, sperans à solo Deo effectum, v. g. in morbo periculoso respuens medicinam, petensque ac sperans à Deo temerè sanitatem *Nav. c. 11. Less. n. 4.* Item si sine necessitate & causa rudis absque præparatione velit concionari, sperans à Deo sibi suggerendos conceptus, *Suar. Sanch. Less. Laj. l. 4. t. 10. c. 5.* Unde resolves.

I. Tentatio Dei Formalis est peccatum ex genere suo mortale, in quacunque etiam materia, Ratio, quia includit dubitationem de perfectionibus Dei, quæ in gravem Dei contemptum redundat, vel magnam irreverentiam, curiosius agendo cum Deo quasi cum ludione. *Less. l. 2. c. 45. d. 1. Sanch. l. 2. c. 34. Suar. & ceteri com.*

II. Interpretativa tentatio cui dubitatio illa deest, plerumq; est tantùm peccatum veniale, ob imperfectionem actus, ignorantiā, inconsiderationē, vel parvitatem periculi. Imò sæpè nullū est peccatum, quando scilicet justa causa subest, v. g. Dei instinctus, necessitas, vel pia utilitas. *Sair. Tol. Cajet. S. Thom. 2. 2. q. 9.*

III. Si quis in puteum se conjiciat, ad declarandā Dei erga se providentiā, aut supra prunas ambulet, ad innocentiā ostendendam, est interpre-

tativa

tativa tentatio Dei. Uti etiam sunt eæ probationes, quæ fiunt per ferrum candens, aquam ferventem vel frigidam, &c. de quibus *v. Binsfeld. & Delrio l. 4. disq.* Licet enim Deus aliquando tales purgationes miraculosè probarit, id contigit, vel quia Deo inspirante factæ sunt, vel quia innocentes ad eas compulsi sunt liberati. *Ban. d. 3. q. 9. p. 1.*

## DUBIUM II.

### *Quid, & quotuplex sit Sacrilegium?*

Resp. Sacrilegium, est violatio rei sacræ, hoc est, dicatæ cultui divino; & peccatum mortale ex genere suo, si opus specialiter repugnet cum rei sanctitate; nō verò, si generaliter tantū repugnet; quomodo omnia peccata mortalia generaliter repugnāt sanctitati, v. g. templi, ita ut ibi cū veniali peccato committantur. Est autem Sacrilegium triplex: Personale, quo persona; Locale, quo locus; & Reale, quo res aliæ violantur. *S. Thom. 2. 2. q. 99. a. 3. & cæteri Theologi.* Unde resolves.

I. Personale sacrilegium est percussio Clerici, pertractio ejusdem ad judicium sæculare; item luxuriosa violatio personæ Deo per votū castiatis sacratæ de qua *v. infra t. 4. c. 2. de 6. præc. dub. 2.*

II. Locale sacrilegium est omnis actus, quo Ecclesia polluitur ut est v. g. occisio hominis, effusio humani sanguinis, vel seminis, illicita & notoria, sepultura excommunicati, vel non baptizati: item si actus quidam profani fiant in Ecclesia, & repugnātes ejus immutati; ut si negotiationes, illiciti concubitus, & spurcities seditiones, concilia sæcularia, stabulationes equorum, incendia effra-

effractiones, spoliationes. Item si materia rei sacræ vel Ecclesiæ, directè ad profanos usus convertatur: si reus ex Ecclesia velut asylo extrahatur, (nisi tamē sit latro publicus, vel nocturnus populator agrorum, vel enorme maleficium fiducia asyli istic commiserit.) Denique, si furto auferantur res Ecclesiæ, aut ibi depositæ. *Laym. c. 7. Bon. q. 6.* Si verò res ablata fuerit per accidens tantum in Ecclesia, v. g. crumena viri divitis, probabiliter non committi sacrilegium, docet *Dian p. 1. t. 7. R. 27.* ex *Fagund. & sex aliis*, contra *Suar. Laym. &c.*

III. Reale sacrilegium est indigna tractatio & administratio Sacramentorum; ut si ministrentur, vel suscipiantur cum peccato mortali. Item profanatio vasorum & instrumentorum sacrorum. v. g. si quis calice utatur in convivio; ornamenta altarium vel Sacerdotum ad usus profanos applicet: intellige de iis, quæ consecrari, vel saltem benedici solent: nam ad nuptias, vel communem usum adhibere tapetes, candelabra, pelvim, imò & manutergium, & cætera, quæ mediatè serviunt ministerio sacro, non esse peccatum, docet *Tambur. expedit. sacrif. l. 1. cap. 2.* nisi fiat ex aliquo contemptu saltem implicito, ut si semper, & indifferenter sic utaris supradictis. Atque idem affirmat de candelis, ramis, aqua, incenso, & similibus benedictis; quòd in modicis istis benedictionibus nō agatur cū tāto rigore ab Ecclesia, ut patet in pane, ligno, carbonibus, &c. benedictis. *v. l. c. §. 3.* Item violatio, vel indigna tractatio sacrarum imaginū & reliquiarum. Item abusus Scripturæ sacræ, v. g. ad stabiliēdas hæreses, vel res tur-

pes. Item raptura bonorum Ecclesiæ, suppressi piorum legatorum, vel jurium Ecclesiæ defrau datio,&c. *v.Fill.tr.* 24. *cap.*9. *Regin. lib.*19.*n.*5 *Suar.*

IV. Peccatur etiam Sacrilegio peccato omi sionis,v.gr. si quæ ad sacrificium spectant,ut co poralia & similia,sint valdè immunda. *Bon. d Euch.*

V.In confessione exprimenda est species & m teria sacrilegii. Ratio prioris,quia sæpè diversa malitiam habet; v.g.percussio Sacerdotis,& fo nicatio cum eodem. Ratio posterioris, quia e iam aliquando auget,& addit malitiam:v.g.si contra Eucharistiam,addit secundùm *Gordonus* communi violationi rei sacræ aliud peccatum contra latriam. Attingere autem nuda manu ca lices, patenas,aras,agnos cereos,&c. chrismat delibuta,non licet fœminis & laicis. Citra co temptum tamen non est mortale,si vacua sint; & si causa subsit,nec veniale. *Suar.Tambur.l.c.*§.1.N ne causa autem,veniale esse docet,*Suar.Cõn.&* *communiter*: licèt *Tamb.l.c.*ex *Sa.&c.*contrarium censeat probabile: uti & si corporalia, vel puri catoria laventur ab iisdem.*v.* §.2. Cætera a tem, quæ Eucharistiam immediatè non contin gunt,nec chrismate unguntur,ut mappas, vest Sacerdotales, immediatè contingere omnibu licet,*Suar.Laym.Tamb.l.c.* ubi ex *Palao,&c.*ide concedit de reliquiis:sic ut etiam,ut easdē theca inclusas penes se habeant, vel laici in public processionibus gestent. Idem docet cum *Laym* de pixide sive ciborio,& Lunula benedictis,qua

do sacram Eucharistiam non continuerunt. Item de corporalibus, pallis & purificatoriis, quando post sacrum usum lota sunt, ex *Laym & Bon.* imò etiam ante lotionem, *Laym. Tamb. l. c.*

## DUBIUM III.

### *De Simonia.*

### ARTICULUS I.

### *Quid sit, & quotuplex?*

RESP. Simonia, est studiosa voluntas emendi, aut vendendi pretio temporali aliquid spirituale, vel spirituali annexum. *D. Thom. 2. 2. q. 100. a. 1. Laym. l. 1. tr. 10. c. 8. &c.* Dicitur 1. *voluntas emendi, &c.* quibus verbis intelligitur quivis contractus onerosus, sive venditionis, sive locationis, sive permutationis; aut renunciationis; quia simonia non consistit sine pactione aliqua tacita, vel expressa, & obligatione ex pacto. Quod addo, quia obligatio naturalis quæcunque, ut gratitudinis, sive amicitiæ naturalis, non sufficit; v. g. quando quis sperat vel intendit tantùm, non tamen obligat. *Sa V. Simonia.* Ratio, quia non facit contractum. *vid. Bonac. de Simon. a. 1. q. 6. p. 1. Less. lib. 2. cap. 35. d. 20.* Dicitur 2. *pretio temporali*, sive illud sit muneris, sive linguæ, ut est laus, vituperium, patrocinium, sive obsequii, & famulatus. Dicitur 3. *spirituale*, quo nomine intelligitur res supernaturalis ad salutem ordinata, sive sit formaliter talis, ut gratia & dona Spiritus Sancti, sive causaliter, ut sunt Sacramenta, sponsio, preces, & Sacramentalia; sive sit effectus & usus potestatis super-

naturalis,ut est consecratio,absolutio, dispensatio,benedictio,excommunicatio,electio,præsentatio,confirmatio, collatio beneficii, aliiq; actus jurisdictionis Ecclesiasticæ. Dicitur 4.*spirituale annexum*, ad comprehendendum ea,quæ non sunt per se spiritualia,sed ad ea ordinantur, iisque sunt annexa; sive antecedenter, ut jus patronatus respectu beneficii; vasa, & vestes sacræ respectu Sacramentorum:sive concomitanter,ut labor in administratione Sacramentorum, juxta sensum infra dicendum: sive consequenter,ut reditus beneficiorum,qui dantur propter officium spirituale. Unde patet,malitiam simoniæ consistere in irreverentia,quæ committitur, dum res spirituales instar temporalium pretio æstimantur,& contractibus subjiciuntur: atque esse peccatum mortale ex genere suo, nec veniale fieri posse ex materiæ levitate: quia nullum donum gratiæ,licet parvum,potest vendi sine gravi irreverentia, tum ipsiusmet doni,tum etiam Dei. Potest tamen esse veniale ob actus imperfectionem,&ignorantiam. *Suar.tom.3.de rel.l.4.c.36. Azor. Fill. Lay.l.c. Les. l.2.c.35.d.1.*

Resp.II. Simonia est triplex: *Prima* dicitur Mentalis,cum exteriùs vel nihil datur temporale,(& dicitur purè mentalis,) vel cum aliquid datur,& dicitur mixtè mentalis,cum intentione obligandi ad reddendum spirituale sine ullo pacto externo. *Secunda* dicitur Conventionalis, quæ ad ipsum pactum exterius procedit sine reali executione, diciturque Pura, si sistat in mutua conventione. Mixta autem,si de reali & conventionali aliquid par-

participet,ut v.g.si ex altera tantùm parte realiter compleatur. Atque huc reducitur Simonia Confidentiæ, cum quis alteri dat beneficium, ut illud sibi vel alteri resignet, vel cum onere dandi certam partem fructuum. *Tertia* dicitur Realis, quæ scilicet utrimque realiter completur. *v. Less. l.c.d.6.*

2. Simonia dividitur in eam, *quæ est juris divini*, estque prohibita propter malitiam suam, v.g. hostiam consecratam vendere; & eam, *quæ est juris humani*, estq; mala tantum propter prohibitionem. Et sic ab Ecclesia prohibetur. 1. Venditio beneficiorum, secundum id, quod in ipsis temporale est, scilicet quoad jus præcisum percipiendi fructus. 2. Venditio officiorum extrinsecè tantùm ordinatorum ad res sacras, v.g. Sacristæ, Oeconomi, Advocati Ecclesiæ, Thesaurarii. 3. Oblatio pecuniæ alicui facta, ut suadeat alteri, ut det beneficium. 4 Pactio de resignando beneficio, vel solvenda pensione, si alter beneficium tibi impetret. 5. Permutatio, & resignatio beneficiorum: item reservatio pensionis ex beneficio resignato: & in casu permutationis beneficiorum, æquatio fructuū, &c. si absque superioris authoritate fiant: quæ si accedat, licita erunt. 6. Acceptio muneris, etiam spontè oblati, pro examine ad Parochiam, ex *Trident. s. 14. cap. 18.* pro collatione ordinū, pro tonsura, literis dimissoriis, ex *Trident. s. 21. cap. 10.* Excipitur tamen decima pars aurei pro Notario, si salarium non habet, & consuetudo permittat. 7. Exactio pecuniæ pro admissione ad religionem, non pro statu tantùm, is enim spiritualis est,

ideoque jure divino invendibilis ; sed etiam p
onere sustentationis : nisi monasterii tenuita
vel consuetudo contraria excusent, *v. Laym.*
*ult. Aon d.q* 1. *&* 2. *Less. Azor.* 3. *p. l.* 12. *c.* 14.
dictis resolves.

I. Simonia est, concionari, catechizare, Missa
facere pro pretio, nisi excusetur ratione labor
non intrinseci ( is enim sacer est, & inæstimab
lis, scilicet vel ipsa actio sacra, vel in ea intrinse
incluſus ) sed extrinseci non annexi rei spiritual
ut pro labore itineris, vel cantus in Missa, vel r
one alterius incommodi pretio æstimabilis. R
tio, quia illæ actiones ex natura sua ordinantur
aliquid supernaturale & ad salutem, non aute
ad aliquid temporale, sicut doctio quæcunqu
etiam Theologiæ, quæ pretio æstimabilis e
*Bon. l. c. & Suar. Fill. &c. v. infra l.* 6. *t.* 3. *c.* 4.
*Laym. l.* 1. §. 4.

II. Item Simonia est, dare vel accipere preti
pro absolutione à peccatis, censuris, pro d spen
tione in voto, juramento, impedimento matr
monii, irregularitate, &c. potest tamen in his a
quid exigi per modum mulctæ ad causam pi
applicandæ, *Laym. l. c. n.* 10.

III. Non est simonia, dare aliquid ad redime
dam vexam à negante Sacramenta in necessitat
*Suar. Less. Laym.* vel ab inique impediente elect
onem, vel possessionem beneficii, ad quod jus i
re habes. Quod addo, quia si nondum habes ju
in re, etsi possis redimere vexam ab eo, qui tantu
potest obesse, non tamen ab eo, qui & prodes
& obesse potest. Ratio est, quia non datur ta
qua

quam pretium æquivalens rei spirituali, sed ut alter ad officium ritè præstandum inducatur. Nec similiter simonia est, dare stipendium ad sustentationem Clerici etiam divitis, promissis, concionibus, aut de eo etiam paciſci. Ratio, quia non datur tanquam pretium spiritualis officii, sed personæ in alterius gratiam occupatæ: nec pro operatione spirituali, ut spiritualis est, sed ut in alterius gratiam susceptæ, proindeq; non est eleemosyna, sed debitum justitiæ. *Suar. Laym. lib. 4. tr. 10. cap. ult. &c.* contra *Rich. Spiv. &c.*

IV. Non est simonia, reddere vel redimere pensionem merè temporalem: quia non fundatur in titulo spirituali: nec refertur in functionem spiritualem. Dixi, *temporalem*, quia spiritualis, quæ datur v.g. concionatori, vel coadjutori Episcopi propter officium Ecclesiasticum, in eoque fundatur, nec differt à beneficio, nisi quod non sit perpetua, vendi nequit: mixta verò, ut v.g. quæ datur Parocho seni, vel Clerico pauperi ad sustentationem, non quidem vendi potest, redimi tamen potest, modò obligatio recitandi officium B. V. imposita non extinguatur. Quod intellige, si in loco ubi sit venditio, Bulla sit recepta. Ratio, quia qui pensionem redimit, non emit jus spirituale, sed extinguit onus temporale solvendi certam summam pecuniæ, *Less. c. 35. d. 21. Suar. c. 26. n. 3. Layl. c. n. 46.*

V. Non est simonia juris divini, (etsi quandoque juris humani esse possit) spitituale cum spirituali permutare, v.g. beneficium pro beneficio, reliquias cum reliquiis, &c. vel dare temporale

pro temporali, ut si calicem, vel agnos Dei præci-
se ratione materiæ vendas: vel dare temporale pro
spirituali, per modum doni gratuiti: etiam cũ spe
vel intentione excitandi ad remunerationem do-
ni spiritualis, vel contra. Ratio, quia gratitudo nõ
respicit pretium, sed beneficium: nec solvit debi-
tum justitiæ, sed antidorale: quo non excluditur
quin gratis detur. Rectè tamen monet *Suarez.* hu-
jusce modi dona, ob præsumptionem valde cavẽ-
da. Item, donare, promittere, vel legare tempo-
rale quippiam, sub conditione operis spiritualis
præstandi, modò non fiat per modum retributio-
nis, seu commutationis: ut v.g si parens filio pro-
mittat munus, si Sacramenta frequentet. Ratio
quia hîc non intervenit contractus onerosus, sed
sistitur vel in liberali donatione, vel donatione
sub tali conditione & modo, *Suar. lib.4 c.45. Lay.*
*l.c.n.8.*

## ARTICULUS II.

### *Quid sit pœna simoniæ?*

Resp.I. Sola simonia Confidentiæ, & Realis, in
Ordine, beneficio Ecclesiastico, & religionis in-
gressu, pœnas juris ipso facto inducit: licet ob in-
gressum religionis rarò incurratur, ut dictum, vel
ob tenuitatem monasterii, vel contrariam con-
suetudinem receptam. *Suar. c.56 & 57. Less. d.23.*
*Lay. l.c.§.7.*

Resp.II. Ob simoniacam collationem & suscep-
tionem Ordinum, etiam primæ tonsuræ, incur-
ritur excommunicatio, & suspensio Papalis. *Less.*
*d.24. Lay. l.c.*

*v. 45. Inn. XI.*

Resp.

Resp. III. Ob simoniam Realem in beneficio Ecclesiastico, incurritur 1. Excommunicatio Papalis. 2. Irrita est electio, præsentatio, confirmatio. & institutio. Unde talis non facit fructus suos: idque etiam licet à tertia persona taliter provisus id ignoraverit: nisi tamen contradixerit, vel nisi à tertio data fuerit pecunia per fraudem, ut redderetur inhabilis; vel nisi bona fide possederit beneficium per triennium, *Less. l. 2 c. 35. d. 31. Laym. l. 4. t. 10. c. ult. Bon. d. 1. q. 7. pag. 2. num. 20. ex Gomez, Garzia, &c.* 3. Efficitur inhabilis ad idem beneficium, etiam per dispensationem Episcopi obtinendum: aliis tamen beneficiis jure ipso non privatur, nec ad talia obtinenda fit inhabilis ante sententiam judicis, *Suar. c. 57. n. 47.*

Resp. IV. Simonia Confidentiæ completa dato & accepto beneficio, licet accipiens promissionem vicissim non impleverit, inducit 1. excommunicationem, Papalem utriq; parti contrahenti. 2. Annullat resignationem & collationem beneficii, in quo est commissa; & inhabilitat ad idem postea obtinendum. 3. Privat omnibus beneficiis & pensionibus antè obtentis; non tamen ante sententiam latam. 4. Beneficia sic collata soli Pontifici reservantur, *Less. c. 35. d. 26. Suar. c. 43. Lay. n. 76.*

## ARTICULUS III.

### *An, & cui restituendum, quod simoniacè acceptum?*

Resp. Nihil spirituale simoniacè acceptum, præter beneficiū, (sub quo continetur pensio, se-

cundum *Bon.* negante *Lessio*) est restituendum. Ratio, quia cætera vel restitui non possunt, ut Sacramenta; vel non sunt restituenda ante sententiam, cum Canones aliud non statuerint, ut *Less. in 68. Suar. Fill. &c.* contra *Azor. & Laym. Bon. dis. 1. q. 7. p. 3. diss. 2.* Dixi, *præter beneficium*: quia hoc retineri non potest, etiam ante Judicis sententiam; ut patet, tum ex *Cap. Si quis neque. quæst. 1.* tum ex *2. extrav. Cum detestabile, de Simonia, v. Bon. l. c.* Ubi addit, etiam fructus perceptos esse restituendos; tum quia nullo justo titulo possunt retineri, cum adeptio beneficii simoniaca, sit ipso facto irrita: tum quia sic expresse habetur in *extr. Cum destabile, de simonia, v. D. Thom. 2. 2. q. 100. a. 6. Navar. l. 5. Cons. 62. Less. l. 2. c. 35. dub. 31.*

Resp. II. Pretium acceptum pro beneficio, collatione Ordinum, Sacramentorum, & Sacramentalium, si notabiliter excedat id, quod pro sustentatione exigi poterat; item pro admissione ad Religionem, jure positivo restituendum est. Hoc tamen posterius non nisi post latam sententiam, si admissus in monasterium, maneat: quia plerumque ratione alimentorum retineri potest, modo in communem usum convertatur. *v. Bon. l. c. Less. l. 2. cap. 35. d. 30.*

Resp. III. Acceptum pro beneficio aliave re spirituali, non secuta collatione, jure naturæ restituendum est ei, à quo est acceptum: quia deest titulus retinendi, cum non præstetur id, pro quo est datum. Si verò res tradita sit, simonia utrimque

que completa, probabilius est restituendum esse Ecclesiæ, & non dantis, quia Ecclesia utrumque punire intendit. *v. Less Lay hic l. c. §. 9.*

# TRACTATUS II.

## *De secundo præcepto Decalogi.*

PRohibet hoc præceptum omnem inordinatam usurpationem nominis Dei, qualis potissimum fit blasphemando, temerè jurando, vovendo & non servando: de quibus hic agendum.

### CAPUT I.

### *Quid, & quotuplex Blasphemia?*

RESP. Blasphemia directè opposita laudi Dei, est verbum maledictionis, vel convicii, seu contumeliæ in Deum, sive id fiat attribuendo falsa, sive negando vera, sive tribuendo creaturis; quæ ipsi debentur, sive etiam dicendo vera, sed quæ ad ejus dehonorationem, seu vilipensionem tendant: ut fit per modum ei indignantis, contemnentis, &c. *Ita communiter Doctores. S. Thom. 2. 2. q. 13. Bon. disp. 3. q. 8. Sanch. 2. moral. c. 32. Laym. l. 4. t. 10. c. 6. &c.* Unde resolves.

I. Blasphemat, qui contra Deum infrendens ei, maledicit: item, qui ait se aliquid acturum eo invito: item, qui eum negat, qui seriò jurat per Deos falsos, qui eum vocat Tyrannum, injustum; nolle aut non posse nos juvare, non curare nostra, Dæmonem esse fideliorem, plus posse, non omnia

benè esse ordinata, meliùs in creatione quædam fieri potuisse, aut debuisse, &c. Quæ si quidem quis credat ita esse, & non tantum in ira aut desperatione effutiat, tunc est blasphemia hæretica-lis, i.e. cum hæresi conjuncta: quod in confessione est addendum: quia specie differt ab imprecativa, *Hurt. 2. 2. d. 91. s. 21. §. 54.*

II. Revocantur etiam ad blasphemiam alia signa contra Deum, licet verba non adsint, ut spuere in cœlum, infrendere dentibus, &c. Imò etiam sola mente blasphemia interior committi potest, sicut etiam laus mentalis Dei.

III. Blasphemat item, qui in Sanctos, vel sacra, contumeliosus est, intellige, ut Sancti sunt, sive cum habitudine saltem virtuali ad Deum, ita ut moraliter hujus etiam honor censeatur tangi: quia alioqui tantum erit contra duliam, si nimirum contra illos, ut homines quidam in terris fuerunt, dicatur. Quod veniale est, si joco fiat; v. g. si Sanctos Crispinum & Crispinianum voces sutores: Joannem & Paulum, eunuchos: grave verò erit, si contemptim, vel ex odio aut indignatione contra Sanctos. Licet verò blasphemiæ in Deum non admittant parvitatem materiæ; multi tamen admittunt in iis, quæ fiunt contra Sanctos, *Escob. tom. 1. ex 1.*

IV. Blasphemat item, qui iratus, etsi non contra Deum, sed contra alios aut alia, eadem tamen seriò profert, quæ ex sua significatione aut modo loquendi, ac circumstantiis, important imminutionem divini honoris, aut improperii: licèt enim eam non intendat formaliter; quamvis id ex sub-

reptione sæpè sit veniale tantùm, si tantùm materialiter fiat.

V. In confessione exprimendum est, si quis (quod tamen rarò contingit) directè & formaliter Deum inhonorare intenderit, aut ei formaliter iratus fuerit. *Lay. l.c.*

VI. Blasphemat item, qui injuriosè usurpat mẽbrum Christi: ut v.g perdat te Dei sanguis, vulnera; mors Dei, caput, passio, Sacramenta, chrisma, & similia sacra: cùm ea nõ ad perdendũ, sed ad salvandos nos data sint; & communiter in his apprehendant homines magnam Dei, earumq; rerum vilipensionem contineri. *Laym. ibid. n. 27.*

VII. Qui talium verborum consuetudinem habet, tenetur sub peccato mortali seriò conari eam tollere. Quod si facit, & tamen labitur, potest excusari aliquando; eò quòd juramenta ista impetu naturali effusa non sint voluntaria, nec in se, nec in causa, utpote retractata proposito efficaci. *Lay. l. 1. t. 2. c. 3. n. 6. v. Escob. t. 1. c. 3. n. 36.* Si non conatur, idq; Confessarius noret, neget ei cum discretione absolutionem, *Lay. l.c.*

VIII. Interim plurimi excusantur ob inadvertentiam in subita commotione; tametsi non satis excusare videatur, quod quidam ajunt, iis verbis aliud se non intendere, quàm usurpare, tanquam interjectiones significativas iræ suæ: tum quia æquè se possunt assuefacere ad verba alia, & seriæ voluntatis significativa: tum, quia tametsi id non possent, nihilominus non videtur licere usurpare ea, quæ ex communi apprehensione aliorum sunt inhonorativa Dei.

IX. Quòd si verò quis in ira contra hominem, non indignando Deo, sed homini tantum, nudè nominet mortem Dei, septem Sacramenta, v.gr. ô Dei mors, vulnera, &c. sine scandalo, & sine iis circumstantiis, quibus vilipensio importatur, non sunt blasphemiæ, sed vana usurpatio nominis divini, hoc præcepto prohibita, & peccatum inter venialia grave, ut *Cajet. & Armillav. Blasphemia, & Sanch. supra.* Quanquam propter periculum incidendi in blasphemias, & quia rarò abest scandalum, ac nihilominus apud audientes Deus ejusque sacra censentur inhonorari, rarò excusantur, & meritò absterrentur homines à similibus dictis, ut notat *Lay l.c.*

X. In ira imprecari aliis Dæmonem, grandinem, fulgur, &c. etsi multi confundant cum blasphemiis, non tamen est blasphemia, sed dira imprecatio: quæ plerumque, (saltem quando dicitur in illos, qui amantur ab irato) ob subitam commotionem & inadvertentiam, ac defectum seriæ voluntatis, non est nisi venialis: quia cum se homines reflectunt, ajunt longè aliter se sentire, ac sensisse, ita ut videantur interjectiones tantùm quædam esse ad significandam iram: tametsi Christianos parum deceat, tam absurdis interjectionibus uti. *Bon.l.c. ex Navar. Tol.Regin &c. Baldel.d.25.n.10.* ubi etiam censet veniale tantùm esse, sibimetipsi ex ira dæmonem imprecari, eò, quòd non lædat graviter charitatem. Verùm *Molin, &c.* non audent id excusare à mortali, propter fœditatem, horrorem, & perversitatem. Grave autem est, si subditi Superioribus, filii parentibus

bus,(licet materialiter tantùm) sic maledicant; præsertim in faciem: quia est grave contra debitam reverentiam. *Bald.l.c.v.inf l.5 c.3.d.6.*

XI. In ira usurpare Dæmonem, sine imprecatione non est per se peccatum: assidua tamen ejus nominatio non decet Christianum, & ratione scandali posset esse gravis. *Laym.l.c.*

XII. In confessionè exprimenda est qualitas blasphemiæ; videlicet utrum contra Deum, an Sanctos fuerit: illas enim specie differre est probabile secundùm *Suar. Sanch. Reg. Azor. Laym. Dian.tom.1.R.50. Lugo d.15.n.2.17.* contrarium tamen tenet *Trull.l.1.c.11.d.2.n.5.* cum *Dian.p.1.tr. de circumst.R.39.*

## CAPUT II.

### *De Juramento.*

### DUBIUM I.

### *Quid sit Juramentum?*

RESP. Juramentum est invocatio tacita vel expressa Numinis divini, tanquam primæ & infallibilis veritatis, in testem alicujus rei. Hæc autem invocatio in eo consistit, quòd jurans, quantum in se est, cupiat ac velit, Deum id quod jurat testari, & manifestare, (si & quando nimirum illi placuerit, sive in hac vita, sive in altera) tanquam, quod ab ipso Deo sit cognitum, & verum. *Ita communiter Doctores, S. Thom.2.2.q.89.a.1. Bonac. d.4 q.1.p.1. Sanch.3.mor.c.1. Laym.l.4.tr.4.cap.1.* Unde resolvitur.

I. Quoad

I. Quoad forum internum, jurat quisquis interiùs intentionem habet, sive formalem sive virtualem, & invocat Deum in testem, sive his, sive illis verbis ac signis, sive etiam nullis usu sit; ita ut, si quis utatur verbis nullo modo importantibus juramentum, & is tamen ea putet esse juramenta, verè juret; & contra. *Suar. l.1.c.1. Sanch. l.3.c.1. Laym. l.4.tr.3.c.1.* Quoad forum autem externum quænam formulæ jurandi rationem habeant, ac proinde, quæ verba licitè usurpari in conversione possunt, patet ex sequentibus.

II. Quando dubium est de jurantis intentione, judicari solet secundùm communem acceptionem verborum, quibus est usus.

III. Veram rationem juramenti habent hæ formulæ: testor Deum, vel invoco Deum testem. Item, **Auff meinen Eyd: bey meinem Eyd:** nisi aliud de usurpantis intentione constet: quia multi ita loquuntur, v.g. **Ich schwere dir ein Eyd:** vel **bey meinem Eyd/** hoc vel illud faciam, quorum tamen mens non est seriò id jurare, sed tantùm iracundè, & gravius affirmare. *Laym. l.c.c.2.*

IV. Fides à Sacerdotibus loco juramenti exigi solita per eorum consecrationem, uti & formula illa Principum, **bey unsern Fürstlichen Ehren/und Treuen/** etsi non sint juramentum, tamen in foro fori accipiuntur loco juratæ promissionis; uti &, si à personis illustribus vel nobilibus dicatur, **bey meinen Adelichen Ehren/Treuen und Glauben.** *v. Laym l.2.cap.2.*

V. Formulæ hæ, Deus novit, Deus testabitur suo tempore, coram Deo loquor, Deus novit o-

mnia, Deus videt meam conscientiam, censentur tantùm narrativè proferri, non invocativè, (atque adeò non sunt juramenta) nisi aliud constet, aut ex circumstantiis probetur. *Laym. l. c. 4. Bon. q. 1. p. 2. ex Suar. Less. Sanch. &c.*

VI. Non sunt juramenta, quæ dicuntur per modum sponsionis, v. gr. expono caput meum, amputentur mihi aures ni ita sit, &c. *v. Sanch. l. c. n. 42.*

VII. Non verè jurat, qui ut juramentum coactus vitet, dicit se jurare per omne id, per quod potest: quia cùm nulla res sit, per quam absq; necessitate jurare licitè possit, censetur per nihil jurare intendisse.

VIII Non sunt juramenta, (quod Confessarii & Catechistæ moneant, ne ex erronea conscientia peccetur) verè, certè, in veritate, fide boni viri, per fidem meam, fide boni Christiani, vel Sacerdotis, vel Regis; per conscientiam meam, super conscientiam meam, &c ut habet *Less. c. 42. d. 1. Bonac. l. c.* quia tantum significant illum loqui ex dictamine conscientiæ, & notitia veritatis; nec in testem adducitur Deus. Esset tamen juramentum, dicere, per fidem Catholicam, per S. Evangelium, quia tunc censetur in testem adduci illius fidei & Evangelii auctor. *v. Laym l. c.*

IX. Non jurat, qui dicit tam verum est, quam sol lucet, quàm hic sedeo, ambulo, &c. Unde etsi comparatio falsa sit, tantùm est mendacium, cùm nullus in testem invocetur. Idem est, si dicas, quod dico est Evangelium, est instar fidei, est de fide, &c.

X. Quam

X. Quamvis hæ & similes comparationes; (tam verum est, quàm Deus est, quàm Christus est in Venerabili Sacramento, quàm verùm est Evangelium: item, tam sum innocens, quàm B. Virgo, vel Franciscus; &c.) communiter videantur continere juramentum cum blasphemia, id tamen non satis apparet, quia nullus in testem invocatur. Neque videtur esse blasphemia, si sit verum, & animus proferentis sit significare tantùm similitudinem; ut sensus sit, hoc esse verum suo modo, sicut alterum est verum suo modo. Tum verò esset blasphemia, si usurpans intenderet significare, tantam esse (secundùm æqualitatem) in suo dicto certitudinem, quanta est in ea veritate fidei. *Sanch. 2. mor. c. 31.*

XI. Non est juramentum, cum quis jurat per creaturas, in quibus nihil divinæ bonitatis speciali-ter elucet: quia tunc non censentur adduci cum relatione ad Deum, ut si dicas: juro per hanc barbam; vestem, &c. Censetur autem juramentum, cùm fit per creaturas nobiliores, cùm per eas tunc accipiatur earum Creator, ut qui in iis singulariter residet, ac relucet, sic v. g. dum juratur per cœlum, intelligitur illius habitator; dum per terram, is, cujus hæc scabellum; dum per templum, is, qui ibi colitur, dum per aliquod Sacramentum, is, qui instituit; dum per crucem, is, qui in ea fixus est, dum per Evangelia, ea tangendo aut nominando, is, cujus ea verba sunt, *Bon. q. 1. p. 1. n. 4.* ex *Suar. Sanch. ll. cc.*

## DUBIUM II.

### *Quotuplex sit juramentum?*

Resp. Divisiones aliquot communiter afferuntur, sed tantùm accidentales, quæ speciem non mutant, ut in confessione distinguere non sit opus. *Suar. Less. hon. p. 2.* Itaque dividitur

*Primò* In verbale, Reale, & mixtum; cùm videlicet vel verbis fit, vel actione aliqua, ut erectione digitorum, contactu crucis, sceptri; Evangeliorum; vel & verbis simul; & actione corporali; unde vocatur juramentum corporale. *v. Bon p. 2.*

*Secundò.* In invocatorium seu Contestatorium, & in Execratorium seu Imprecatorium. Illud est, quo Deus simpliciter, ut testis invocatur: hoc autem; quo non solùm vocatur testis, sed etiam, ut vindex; cum jurans se, vel alium dilectum, vel aliquid sui aut suorum, subjicit Deo puniendum, si falsum dicat: ut; ita me Deus amet, adjuvet; puniat me Deus; faciat Deus, ut hinc nunquam sanus surgã; nec conjugem, nec liberos vivos hodie intuear; tollat me Deus subitanea morte; æternùm damnet; super animam meam, &c. in quibus, quãdo falsò juratur, an sit cõjuncta altera species malitiæ contra charitatem sui; aut proximi, Scholastici controvertunt. Negat, *Suar. Valent. &c.* quia non solet quis, etiam amico suo tale malum ex animo imprecari, sed potius cogitat Deum non facturum esse. *v. Bon. di. 4. q. 1. p. 2.*

*Tertiò.* In Assertorium & Promissorium. Illud est, quo præterita vel præsentia affirmantur, aut negantur: hoc autem est; quo aliquid futurũ promit-

mittitur. Addunt aliqui Comminatorium; ut v.g per Deum ego te cædam. Sed hoc referri potest ad promissorium. In confessione non opus est explicare; utrum per Deum, an Sanctos juraris: quia est ejusdem speciei malitia, cum jurans semper intendat Deum adducere in testem, *Suar, Less. c. 42. Lugo d. 16. n. 286.*

## DUBIUM III.

### *An, & quando sit licitum jurare?*

Resp. Juramentum, si debito modo fiat, licitum est. Est de fide. Et quidem est actus religionis, ut omnes docent. Tunc autem debito modo fit, cū in eo observantur hæc tria, 1. est judicium, quod exigit, ut cum discretione, prudentia, consideratione, ac reverentia, non sine necessitate, aut gravi causa fiat. 2. est justitia, quæ exigit, ut quod juratur sit res justa, licita, & honesta. 3. est veritas, ut nimirum sit res vera, aut saltem ex gravi ratione putetur esse vera; ita ut, prout ex defectu alicujus horum minor aut major in Deum injuria aut irreverentia redundare censeatur; ita quoq; majus aut minus committatur peccatum. *Unde resolvitur.*

I. Quoad judicium, si hoc solum desit, ut plurimum est veniale tantùm: ut si quis absq; necessitate juret, sive ex levitate quadam animi, sive ex consuetudine. *vid Sanch. l. 3. c. 6. n. 22. Less.*

II. Mortaliter tamen etiam hic, aut venialiter peccari potest, juxta quantitatem negligentiæ, quam jurans admittit in investigatione veritatis, vel tollenda consuetudine, *Sanch, n. 10.*

III. Et sic mortalis est status illorum, qui non tol-

tollunt consuetudinem jurandi sine attentione, sitne verum hoc an falsum, quod jurare solent.

IV. Quod ad justitiam spectat, peccat mortaliter, qui jurat se facturum rem mortaliter malam; ut se aliquem interfecturum: quia est gravis irreverentia, divina authoritate se ad peccatum mortale quasi obligare; ita, ut hic duæ malitiæ concurrant: una, quod velit malum; altera, quod ad hoc abutatur authoritate Dei, odientis omne malum. *Bon. l. c. p.* 3. *Less. l.* 2. *c.* 43. *d.* 3.

V. Venialiter autem peccat, qui jurat facere rem venialiter malam, aut vanam, aut inutilem; aut frivolam; cum ibi levis tantùm irreverentia censeatur. *Bon. ib. Less. l. c.*

VI. Item peccat venialiter, qui jurat aliquid contra consilia Evangelica; ut se non ingressurum religionem, non daturum eleemosynam, aut mutuum, *Suar. Less. Sanch. Bon. l. c.*

VII. Quod ad veritatem spectat, cùm hæc deest, peccatur mortaliter: quia committitur gravis in Deum irreverentia, quippe cùm adducatur in testem falsitatis, quasi vel ipse veritatem nesciat, vel velit aut possit decipere, testando falsum. Nec hic excusat levitas materiæ: quia sive hæc sit gravis, sive levis; seria, sive jocosa, æqualiter tamen repugnat Deo testificari falsum: & tale juramentum dicitur perjurium, *S. Tho.* 2. 2. *q.* 97. *a.* 7. *Less. Sanch. Bon. l. c.* An autem, & quando perjurium possit esse veniale per accidens, *v. Escob. t.* 1. *c.* 3. *n.* 6.

VIII. Nec excusatur, qui jurat verum, si is putabat esse falsum; vel qui jurat pro certo, de quo ipse dubitat, etsi à parte rei verum sit. *Sotus Nav. Bon. l. c.*

IX

IX. Peccat æquè graviter, qui ab altero exigit juramentum, sciens eum esse pẽjeraturum. Excipe, nisi justa causa, & necessitas exigat; quia tunc perjurium ex sola pejerantis malitia sequitur, nec alter moraliter censetur illius causa, cùm utatur suo jure. Quod tamen extra judicium rarò habet locum in privatis personis. *S. Thom. q. 89 Suar. l 3. c. 13. & 14. Sanch. lib. 3. c. 8.*

X. Non pejeravit, qui juravit aliquid re ipsa falsum, quod ipse bona fide, & cum ratione putavit esse verum.

XI. Excusari subinde quidam simplices à mortali perjurio videntur posse, ratione inconsiderationis, cùm usurpant quasdam formulas juratorias, ut, per animam meam; puniat me Deus. Etsi enim sciant id vocari juramentum, non tamen apprehendunt, quod jurare sit aliquid grave, & invocare Deum in testem; sed tantùm apprehendunt cõfusam aliquam rationem mali, non tanti momenti, *v. Bon. l. c. Lay. c. t. 14.*

## DUBIUM IV.

### *An in juramento liceat uti æquivocatione.*

Resp. Jurare cum æquicatione, quando justa causa est, & ipsa æquivocatio licet, non est malũ: quia ubi est jus occultandi veritatem; & occultatur sine mendacio, nulla irreverentia fit juramento. Quòd si autem sine justa causa fiat, non erit quidem perjurium, cùm saltem secundùm aliquem sensum verborum, vel restrictionem mentalem verum juret, erit tamen ex genere suo mor-

ta-

tale contra religionem; cùm sit gravis irreverentia, ad alterum in re gravi decipiendum usurpare juramentum. *Ita communiter DD. v. Sanch. l. 3. c. 6. Bonac. p. 12. Lay. cap. 13.* Unde resolvitur.

I. Graviter peccat, qui utitur æquivocatione, quando non rogatus, sed sponte sua jurat, quia tunc tenetur uti vocabulis secundùm communem significationem, inquit *Tol. l. 4. c. 21.* eò quòd non habet rationem æquivocandi.

II. Graviter item peccat, qui utitur æquivocatione, quando juramentum justè exigitur, ut à judice vel superiore, in re gravi. *Bon. l. c.*

III. Si autem fiat tale juramentum in re levi, per jocum, & citra inobedientiam, ac notabile damnũ alterius, erit tantum veniale; ut probabiliter docet *Sanch. lib. 3. cap. 6.* contra alios: quia sola discretione sive judicio caret. *v. Bon. l. c.*

IV. Licet æquivocè jurare, si juramentum exigatur injustè; ut v. g. si quis exigat juramentum, qui jus non habet, v. g. Judex incompetens: vel si non servet ordinem juris. Item, si exigatur per vim, injuriam, metum, v. g. si vir exigat juramentum ab uxore de adulterio occulto; si latrones exigant à te lytrum cum juramento. *Sayr. l. 4. c. 5. & l. 12. c. 17. Less. Trul. l. 2. c. 1. d. 15.*

V. Qui exterius tantùm juravit sine animo jurandi non obligatur, nisi forte ratione scandali, cùm non juraverit, sed luserit. In foro tamen externo potest cogi, ut servet, *Sanch. 7. mor. c. 10. n. 11. Trul. l. 2. d. 10.*

DU-

## DUBIUM V.

### *Quæ, & quanta sit obligatio Juramenti promissorii?*

Resp. In Juramento promissorio duæ affirmantur veritates: una de præsenti primaria, quòd scilicet jurans habeat animum implendi, quod promittit: altera secundaria de futuro, quòd scilicet impleturus sit suo tempore, quod promittit, sive promittat Deo, & est votum cum juramento, sive homini, & est jurata promissio humana. Unde oritur obligatio implēdi, si rationabiliter possit. *Ita communiter DD. ut Lay. l. 4. t. 3. c. 6. Bon. pag. 7.* Unde resolves.

I. Defectu primæ veritatis jurans verè pejerat mortaliter, si vel non habet animum implendi: sive materia sit parva, sive magna; licita sive illicita: vel si dubitat, an facturus sit necne, quod jurat, vel si putet sibi moraliter impossibile ut impleat, quod promittit: quia quoad istam veritatem præsentem, promissorium ab assertorio non differt: unde nec parvitas materiæ excusat. *Ibidem.*

II. Defectu secundæ veritatis verè pejerat is, qui quod promisit, postea non implet, si rationabiliter implere potest. Id solùm hic dubitatur, an qui promisit rem exiguam cum juramento, ut v. g. dare alteri unum pomum, vel nummum pro eleemosyna, vel castigare prolem, vel inter vendendum nolle se minori pretio vendere, vel nolle primum locum occupare, aut præcedere in ingressu portæ, &c. an inquam sub gravi peccato teneatur hęc servare? Ubi speculativè quidē videtur quod

quod sic, quia verè adductus est Deus, ut testis, quod sit facturus, ergo si sine causa non facit, quātum in se est, facit Deum testem falsum. *Cajetan. Valent. Tolet. lib. 4. cap. 22. alii.* Nihilominus probabiliter alii tenent contrarium, ut *Sanch. v. Lay. supra c. 14.*

III. Illud certum est, quod si ex eo, quod juraſti, tantummodò parum aliquid non serves, non esse grave, v.g. si juraſti te non bibiturum vinum, non peccas mortaliter parum bibendo. *Sanch t. 1. 4. c. 12, n. 21,* quia tunc excusat parvitas materiæ. Et sic excusantur, qui jurant servare statuta alicujus Capituli, collegii, Universitatis, &c. si postea parvum aliquod statutum violent. Et idem dic de tabellionibus juratis, & aliis ministris justitiæ, ut & de eo, qui ex summa, quam alteri se daturum juraſſet, parum tantum detraheret, *Navar. Sanch. vid. Laym. Bona. p. 14.*

IV. Obligaris probabiliter juramento promissorió, etsi extortum à te sit per injuriam, ac metū, ut si oblitus uti æquivocatione, juraſti prædonibus dare lytrum, usurario usuram. *Bec. 22. q. 89. &c.* Negat tamen *Az. tr. 1. l. 11. cap. 7. q. 2.* in materia matrimonii: quia matrimonium coactum metu cadente in constantem virum, nullum est: hinc etiam juramentum exortum de eo contrahendo, videtur relaxatum ipso jure, ait *Cajet. V. perjurium. Suar. c. 9. Sanch. Bon. p. 9.*

V. Obligaris item, etsi juramentum sit errore aut dolo extortū, si dolus vel error versetur tantū circa circumstantias accidentales, nō magni momenti; nam si versentur circa substantiam, ut v.g.

si annulum te daturum alteri jures, putans es ferreum, cum sit aureus, vel circa circumstanti magni momenti, quibus cognitis non juraſſe non obligaris. *v.Sanch.l.3.cap.11.n.41.Suar.&c.*

VI. Non inducit ullam obligationem, si jure rem malam, aut vanam, aut inutilem, aut, ut habe *Cajet.* indifferentem, quæ nec ex fine, nec circum stantiis cohoneſtatur: quia juramentum non poteſt eſſe vinculum iniquitatis, aut vanarum re rum ac otioſarum, ad quas Deus non vult nos ob ligari. *Bon.& communiter.* Ubi Nota ex *Lay supra cap. 6.* juramentum non convaleſcere etſi talis res illicita & vana, poſtea mutatis cir cumſtantiis fiat honeſta, cùm juxta *regulam* 18. *ju ris in 6.* non firmatur tractu temporis, quod initio non ſubſiſtit.

VII. Nec obligaris implere, ſi quid juraſti con tra conſilia Evangelica; ut non ingredi religionē non dare eleemoſynam, &c. *Moli. Sanch. Lay. l.4 t.3.c.6.* Et licèt peccaris talia jurando, non tamen peccas non implendo. *v. Cajet. V. perjurium.*

VIII. Teneris implere, nec potes commutare in aliud opus melius; ut v.g. religionem, ſi aliqui juraſti in utilitatem aut gratiam alicujus hom nis, aut aliquorum; dummodò ſit inhoneſtum, & ſine peccato impleri poſſit. Unde v.g. alumnus qui juravit ſe ſerviturum Principi, aut huic vel ill Eccleſiæ, &c. non poteſt ingredi religionem ſine relaxatione. Excipe tamen, ſi juraſſes Titiæ e am ducere: nam eo caſu potes ea relicta ingre di religionem; quia juramentum ſortitur naturā actus

actus, cui apponitur: promissioni autem matrimonii hæc tacita conditio inest, nisi ingrediar religionem. *vid. Lay. cap. 6. Bon. d. 4. q. 1. p. 3.*

Resp. II. Juramentum promissorium eandem habet conditionem, eodemq; modo explicandũ est, quo promissio, vel propositum cui annexum. Ratio, quia accessorium sequitur principale, ideoque quando non obligat promissio, nec obligat juramentum appositum, *Less. l 2. c 42. d. 2. Bon. d. 4. q. 1. p. 16. Trull. l. 2. c. 1. d. 17.* Unde resolves.

I. Titius, qui cum juramento promisit nuptias Bertæ diviti, sanæ, virgini, bonæ famæ, &c. non tenetur stare juramento, postquam Berta incidit in paupertatem, infirmitatem, fornicationem, vel infamiam: quia promissio ipsa nõ obligat eo casu.

II. Qui urbanitatis causa juravit se ante alterũ non sessurum, bibiturum, vel ingressurum domũ, &c. non peccat contra juramentum, si coactus ab altero priùs sedeat, bibat, vel ingrediatur: tum quia promissio illa vel propositum habet tacitam conditionem adjunctam (nisi me cogeris) quâ sublatâ non obligat, & consequenter nec juramentum: tum quia relaxatur ab altero cedente juri suo. *Bon. l. c. Sanch. Less. Trull.*

III. Qui juravit se servaturum decreta, & regulas, vel statuta alicujus congregationis, universitatis, vel Capituli, tantùm tenetur servare ea, quæ sunt in vigore, & quatenus sunt in usu, vel servantur à majore parte Capituli, nisi tamen aliud constet de mente jurantis, vel hic voluerit se ad illa impedẽter à statutis obligare. Ratio patet, quia promissio ipsa non aliter obligat. *Trull. l. c. Az. Less. Dian p. 2. tr. 6, in R. 39.*

IV. Qui juravit se servaturum secretum, non peccat contra juramentum illud detegendo; quando non potest illud celari absq; gravi suo, vel alterius damno: quia ipsa permissio secreti non videtur obligare, nisi hac conditione, (si non noceat) *Sylv. Bonac. Sanch. Trull. l. c.*

V. Qui juravit Judici se dicturum, quæ novit, non tenetur revelare occulta. Ratio patet, *Less. Bon. Trul. l. c.*

VI. Qui juravit se soluturum debitum intra mensem, non tenetur intra illum vi juramenti solvere, si à creditore terminus solutionis prorogetur: quia cùm hic cedat juri suo, cessat obligatio promissionis, & consequenter juramenti, *Azor. Bon. Trull. l. c. n. 18.*

## DUBIUM VI.

### *Quibus casibus excusetur ab impletione, qui in promissorio juramento obligationem contraxit?*

Resp. Tales casus præter ea, quæ ex superioribus colliguntur, à *Tol. & Cajet.* recensentur isti 1. Si quod bonum erat tempore juramenti, propter circūstantias postea fiat illicitum, vel vanum, vel impeditivum majoris boni, vel melius sit omitti, quàm impleri. *Sanch. cap. 15.* II. Si juramentum mutes in opus aliud apertè melius & Deo gratius: id enim quisq; per se potest, ut habet. *Tol. c. 23.* Excipe tamen semper, si quid in hominis commodum jurasses: nec enim Deus illum vult defraudari. III. Si notabiliter mutetur status rei; ut si v. g. ju-

juraſſes aliquem punire iſta punitione, is autem ſupplex veniam peteret, & ageret pœnitentiam, poſſes ei ſine perjurio condonare: quia juramentum obligabat ſervato eodem ſtatu, in quo non pœniteret. *Laym. cap.* 9 IV. Si res jurata facta ſit inutilis ad intentum, maximè, ſi magis illius deſtructiva, ut ſi v.g. ex correctione impœnitentis filii notaretur is magis deſtruendus, quàm emendandus; aut ſi turbanda familia; ſecuturæ rixæ cum uxore, & ſic præſtet non corrigere. *Regin. lib.* 18. *cap.* 56. *Bonac. l. c p.* 14. V. Si ita ferant conditiones illæ, quas in quovis promiſſorio juramento tacitè ſubintelligi, natura & Doctores docent. Tales autem ſunt, ut *Laym.* dicit *ſupra cap.* 9. 1. ſi potero. 2. ſalvo jure ſuperioris. 3. niſi res notabiliter mutetur. 4. niſi obligatio tollatur. De quo ſequens Dubium.

## DUBIUM VII.

### *Quomodo obligatio juramenti tollatur per irritationem, diſpenſationem, commutationem, & remiſſionem?*

Reſp. De hoc ex conditionibus jam poſitis, & poteſtate ſuperiorum in ſuos, ac ſuorum vota, à *Laym. hic c.* 11. *& aliis communiter* hæc traduntur.

I. Quod ſpectat ad irritationem, irritare & annullare poteſt juramentum omnis is ſuperior, maritus, aut dominus; qui & quomodo irrirare poteſt ſuorum vota. *Sanch. c.* 19. *n.* 7. *Suar. Azor. Fill. l.* 25. *c.* 9. *q.* 9. *p.* 17. *dub.* 6. *v. Caput ſeq.*

II. Poſſunt & iidem irritare juramenta promiſſoria, facta in gratiâ hominis, quotieſcunq; ipſam

promissionem seu contractum infirmare iis concessum est.

III. Quoad dispensationem, quicunque habet potestatem ordinariam vel delegatam, vel privilegium disponendi in votis, potest in iisdem dispensare, etiamsi jurata sint.

IV. Quoad commutationem, eadem est ratio, quæ de dispensatione.

V. Quod attinet ad remissionem, sive relaxationem, juramentum factum in favorem hominis non potest relaxari, nisi ab eo, cui factum est, aut cui is, & promissa materia subjecta est.

VI. Et is quidem potest remittere, etsi talis favor ei juratus esset propter Deum; v.g. si quis propter Deum jurasset pauperculæ eam ducere, potest ipsa juramentum illud relaxare, ut habet *Navar. & alii* contra *Sotum & Sylv.* quia licet juramentum principaliter factum sit propter Deum; quia tamen executio est in favorem hominis, ab hominis etiam voluntate dependet.

VII. An etiam civilis potestas relaxare possit juramenta suorum subditorū in temporalibus, quando justa causa subest, v.g. quia metu, vel per aliam injuriam extorta sunt, controvertitur. Alii negant, alii ajunt, apud *Laym.* Probabile est, quod docet *Sanch. l. 3. c. 12.* cum *Suar.* non posse relaxare directè, sicut potestas Ecclesiastica, quando dispensat; sed tantùm indirectè, v.gr. ratione materiæ: vel supplendo vicem ejus, cui juratum est, & qui remittere debeat. Plura ad forum externum spectantia circa juramentum, *v.* apud *Laym. supra cap. 11. Bonac. l. c.*

CA-

# CAPUT III.

## *De Voto.*

### DUBIUM I.

### *Quid sit votum, & quotuplex?*

Resp. I. Est promissio facta Deo, deliberatè, de bono possibili, & meliori. *D. Thom.* 2 2. *q.* 88. *vid. Sanch. & Lam l.* 4. *t* 4. Unde patet, quod Votum sit actus latriæ soli Deo debitus. Quare dum vovemus quiddam Sanctis, sensus est, voveri ea Deo in honorem simul Sanctorum; sicut templa, & altaria ædificamus Deo in eorundem honorem. Porrò ex singulis particulis datæ definitionis, multi casus resolvuntur: quos, ut vitetur confusio, & consulatur memoriæ, separatis dubiis proponam.

Resp. II. Dividitur Votum I. in Absolutum, & Conditionatum. Illud est, quod fit sine ulla conditione, ut, voveo eleemosynam: hoc autē, quod fit cum conditione, ita ut nisi hac posita non exurgat obligatio, ut, voveo eleemosynam, si sanitati restituar; vèl (quod dicitur Pœnale) voveo facere disciplinam, si hoc fecero. II. In Solemne, & Simplex. Illud est, quod ut tale acceptatur ab Ecclesia, & sunt hæc duo: votum castitatis, quod majoribus ordinibus annexum est, & votum professionis religiosæ. Simplex autem votum est omne aliud, quod tamen solennitatem non habet. Ubi sciendum, quòd votum solemne reddat personam jure inhabilem ad contractus, vel actus cōtra votum, ut ad matrimonium, vel dominium

bonorum habendum, prout *vide infra l.4.c.1.* *tract.de statu relig.* Simplex autem tale votū, v.g. castitatis, (excipio, quod in Societ. Jesu emittitur post Novitiatum) aut ingrediendæ religionis, et reddat contractum, v.g. matrimonii illicitum, ni tamen invalidū *vide infra l.6.de matrimonio.* III. In Reale & Personale. Illud est, cum pecunia, vel alia res externa pretio æstimabilis promittitur, ut calix, eleemosyna: hoc autē, cum aliqua hominis actio, vel cessatio ab actione, ut votum jejunii, peregrinationis, abstinentiæ à lusu. His aliqui adjungunt Mixtum ex utroque, ut si voveat peregrinationē cū oblatione alicujus rei. *v. Less. lib.2.c.40.*

## DUBIUM II.

### *Quæ requiratur voti deliberatio, & intentio?*

Resp. Cum voti obligatio sit gravissima, requiritur intentio, deliberatio, & libertas perfecta, qua quis liberè & directè in se voluerit promittere, cum animo se obligandi. *Ita Doctores communiter. Less. Bon. d.4.q.2.p.1.* Unde resolves.

I. Ætas & usus rationis ad vovendum ea sufficit, quæ satis est ad peccatum mortale, perfecto actu humano, & directo in se volitum. Excipe tamen votum solemne religionis, quod invalidum est ante certam ætatem.

II. Non obligat votum factum cum semiplena animadversione, vel deliberatione, v.g. ex repentino animi motu, vel consuetudine, lingua mentē præveniente, vel ex calore iracundiæ rationis usū auferente, *Az. Sanch. Trull. l.2.c.2.d.1.* Ubi notat,

non

non esse sufficiens judicium, quòd defuerit perfecta ratio, vel deliberatio, si voventem facto voto mox pœniteat: item motum iræ, rarò & vix unquam impedire usum rationis.

III. Quod si is, qui scit se voviſſe, dubitet, an cũ sufficienti deliberatione, & usu rationis, ob defectum ætatis, si quidem vovit ante septennium, votum non obligat, nisi constet de sufficienti rationis usu: quia eum jus in tali non præsumit, & possessio stat pro libertate. Si verò post septenniũ vovit, obligat: quia possessio est pro voto, cum præsumatur usus rationis, nisi constet oppositum. Si denique dubitet, utrum ante, an post septennium voverit, teneri voto vult, *Sanch. & Palaus*, negat *Dian. &c.*

IV. Vota facta in ebrietate, etiam ante prævisa, & sic volita in causa, non sunt valida, cum non sint volita in seipsis & directè; bonum autem non cõsurgat, nisi ex integra causa: quamvis ad peccatum satis sit voluntarium indirectè, & in causa, *Laym. l. 4 t. 4. c 1. n. 4.*

V. Vota facta in metu, non incusso ad hoc ipsũ, ut votum extorqueretur, valida sunt, quia sunt simpliciter voluntaria, & deliberata: facta autem in metu injustè incusso ad ipsum votum extorquendum, invalida sunt, *ex communi*, nõ quia sint voluntaria, sed quia vel jus ea irritat, vel Deus non acceptat, ne det vim injustæ coactioni: Idque sive metus sit gravis, sive levis, dummodo quis formaliter ex solo tali metu voveat, *Suar. de Voto l. 1. c. 8. Sanch Fill t. 26. c 1.*

VI. Quoad vota emissa ex errore, si error fuerit

circa substantiam materię promissę; vel circa conditionem substantialem, vel circa finem, sive rationem formalem ac motivum vovendi, votum nullum est, ut v. g. 1. Circa substantiam, si quis voveret certum aliquem suum calicem, quem putat argenteum, cum sit aureus, vel se ingressurum certum monasterium, putans esse Ordinis S. Benedicti cum sit Carthusianorum. 2 Circa conditionem substantialem, si quis v.g. voveret se ingressurum monasterium, ubi putaret religiosam disciplinam, & essentialia religionis servari accuratè, & tamen non ita esset, vel si voveret peregrinationem ad limina Apostolorum, putans tantum distare centum milliaribus, cum tamen distarent trecentis. 3. Circa causam finalem, si quis v.g. voveret aliquid in gratiarum actionem, pro sanitate parenti reddita, & is reipsa non fuisset ægrotus, vel esset mortuus. Et ratio nullitatis talium votorum est, quia hic deficit liber consensus, qui non fertur in incognitum, & nihil est tam contrarium consensui, quam error *Fill. t. 16. c 1.*

VII. Vota, quæ eduntur post Novitiatū, in quocunq; approbato Ordine, instar matrimonii carnalis non sunt irrita ob ullum errorem, nisi solum substantialem circa substantiam.

VIII. Si error circa conditionem substantialem sit de re parvi momenti, non redditur votum irritum, ut si iter peregrinationis, quam quis vovit, sit paulo longius, quam putabatur: quia parum reputatur pro nihilo. Item, si error sit tantū circa causam impulsivam, valet votum, quia illa est tantum causa secundaria, qua sepositā actus est sufficien-

ter

ter voluntarius secundùm substantiam. Neq; talis error in cæteris contractibus actum vitiat: v.g. vovit aliquis peregrinationem Romam, studio colendi Deum, & simul etiam habuit causam secundariam impulsivam, ut inviseret fratrem, quē putavit esse Romæ, quem etsi intelligat deinde istic non esse, non ideo desinit obligari voto. Et ex his patet, quomodo intelligendum sit, quod dici solet, vota non obligare ultra intentionem vovéntis. *Sanch. l. 4. c. 2. Less. l. 2 c. 40. d. 2.*

IX. Ad votum non sufficit nudum propositum, licet firmissimum: quia qui tantum proposuit, non tenetur sub peccato præstare, qui autem promisit, obligatur sub peccato, & nisi præstet, agit contra fidem Deo datam. *Bon. p. 1. Laym. l c.*

X. Ad votum aliquando sufficit promissio implicita; ut patet in susceptione ordinum sacrorū: ubi licet non dicatur voveo, vel promitto castitatem: votum tamē hoc fit implicitè, hoc ipso, quòd sciens Ecclesiam annexuisse iis ordinibus istud votum eos suscipis. An verò, si quis planè id ignoraret, adhuc censeretur vovere ex implicita intentione, dubium est. Aliqui ajunt, aliqui probabiliùs negant dicuntq; talem teneri ad castitatem, non ex voto, sed ex Ecclesiæ præcepto. *Sanch. de matr. l. 2. d 27. n. 11. Bon. q. 2. p. 1. & communiter.*

XI. Si quis haberet intentionem promittendi quidem, sed tamen se non obligandi, nullum esset votum, secundum *Navar. Sylv. Sanch. n. 27. Less. l. 2. c. 40. dub. 1. n. 6. Bon. & alios*, contra *Cajet.* quia talis non vult vovere, cum apponat conditionem contra substantiam actus. Unde *Lugo. d. 23. de just.*

*sec. 1. & alii*, contendunt talem non posse dici promittere. Verùm videtur esse quæstio de nomine. Si verò haberet animum vovendi & se obligandi, non tamen implendi, tunc etiam graviter peccaret, & votum esset validum. *Sanch. Fill. Bonac. p. 1. num. 14. Lay. &c.*

## DUBIUM III.

### *Quæ requiratur materia voti?*

Resp. Ea debet esse possibilis; (cum impossibile nec efficaciter possit intendi, nec ad illud sit obligatio) & non solum bona, sed etiam melior, quàm oppositum, sive ejus omissio: quippe finis intrinsecus voti est, honorare per hoc Deum: id autem non potest fieri, nisi offeratur illi aliquid gratum, gratum autem esse non possit, ut quis obligetur ad relinquendum id, quod est melius. *Sanch. l. 9. c. 7. Laym. Navar. &c.* Unde resolves.

I. Invalidum est votum nunquam peccandi venialiter, cum id moraliter & ordinariè sit impossibile. Aliqui tamen volunt, sic voventem teneri isto voto ad vitanda mortalia, & venialia graviora, de quo *Scholastici. Navar. c. 12. n. 65. Suar. l. 2. c. 1. Sanch. de mat. l. 9. d. 35.*

II. Invalidum est votum de re vana, vel inutili, vel indifferente, nisi ex circumstantiis, ut fine fiat bona: quia Deo displicet stulta promissio, & hinc eã non acceptat: ac peccat venialiter talia vovens: ut v. g. si quis decidens ex equo, voveat non amplius equũ ascendere. *Nav. c. 12. Sãch. 4. mor. c. 7.*

III. Invalidum est vovere mala: & qui vovet mortale, peccat mortaliter; qui autem veniale, eũ ve-

venialiter tantùm peccare dicit *Sa, Sylv. & c. V. juramentũ:* licet mortaliter peccare velit, *Caj. V. votum, & Leſſ. l. 2. c. 4. d. 5.* quod videtur probabilius.

IV. Invalidum eſt votũ, cui adjungitur finis, vel alia circumſtantia mala tenẽs ſe ex parte rei votæ, ut v. g. vovet quis eleemoſynam ad obtinendã vanam gloriam, aut impetrandum per eam victoriã injuſtam, felicẽ ſucceſſum furti, adulterii, &c. aut in gratiarum actionem pro ſucceſſu talis peccati: quia datio eleemoſynæ in talem finem, eſt actio blaſphema, quaſi Deus peccata promoveat, ideoq, non poteſt eſſe materia voti. *Cajet. Nav. c. 12. Sanch c. 6. Laym. l. 4. t. 4. c. 2. n. 6. Fill. t. 26. c. 5.*

V. Validum autem eſt, etſi ei adjungatur finis, vel alia circumſtantia mala tenens ſe tantùm ex parte voventis; ut v. g. ſi quis ex vana gloria, aut ex ira erga importunum mendicum, voveat ei dare eleemoſynam: quia tunc res iſta bona eſt, quam vovet, licet ipſe voveat malè, & cum peccato. *Ib.*

VI. Validum item eſt votum factum ex affectu erga rem bonam, ut bona eſt, etſi conjuncta cum cauſa mala: ut ſi quis voveret eleemoſynam, ſi ex duello evaſerit ſalvus, ſi non capiatur in furto, ſi filius ſibi naſcatur ex adulterio, quod parat, &c. licet enim duellum, furtum, adulterium velle, malum ſit, tamen his poſitis non lædi, non infamari, prolem gigni, mala non ſunt, ſed Dei dona: & votum non cadit ſuper iſta mala, ſed ſuper hæc bona, conſiderata (ut pono) quatenus in ſe bona ſunt. *Navar. Laym. l. c.*

VII. Invalidum eſt, & veniale peccatum, vovere bonum, quod eſt impeditivum boni majoris,

ut præsertim sunt vota contra consilia Evangelica; ut v.g. manere in seculo, ducere uxorem, ire ad militiam, facere mercaturam, *Nav. n. 29. Suar, Fill c. 1. q 7. n. 58. Sanch &c.*

VIII. Si tamen aliquod bonum per se, & absolutè minus, fieret per accidens majus bonum, tunc talia vovere valer, ut v.gr. si quis videret susceptionem ordinum sibi damnosam, *v Bon. p. 1.*

IX. Matrimonium ordinariè invalidè vovetur, quia ordinariè melior est cælibatus. Dixi, *ordinariè:* quia validè vovetur. 1. si quis ad hoc obligetur, ut quia sine injuria, aut gravi infamatione sponsæ, vel liberorum ex ea conceptorum, à sponsalibus non potest recedere. 2. si id Reipub. valdè utile futurum existimetur, ut, quia v.g. ex eo speratur pax inter Principes, conversio hæreticorum, regni tranquillitas. 3. si quis ob fragilitatem, & invetteratam consuetudinem peccandi, adeò sit pronus ad lapsum, ut prudentes judicent consultum ei esse, ut nubat: in quo tamen ultimo *Laym. & alii* dissentiunt *v. Bon. l. c. Fill. n. 6. Nav. Suar. l. c. Laym n. 22.*

## DUBIUM VI.

### *Quæ, & quanta sit obligatio voti?*

Resp. Tanta est, quantam tum quantitas materiæ permittit, tum intentio voventis, qua se vel multum, vel parum, vel absolutè, vel cum certa conditione, restrictione temporis, qualitatis, obligare vult, designat: ita, ut etsi obligatio voti sit juris naturalis, vis tamen ejus pendeat à voluntate, & facto hominis; tanquam prævia conditione,

ut

ut tantum obliget. *Ita communiter v. Laym. cap* 3. *Bon p.* 5. Unde resolves.

I. In materia levi nemo obligatur sub mortali; quia materia id non permittit. *Navar. num.* 40. *Sanch. l.* 4. *c.* 12. *Laym. l. c.* v.g. vovisti recitare quotidie Salve Regina: omittendo semel, iterumque, non peccas mortaliter; quia materia est parva. *Sanch. lib.* 4. *cap.* 12. *Laym. l. c. Az lib.* 11. *cap.* 15. Imò etsi toto anno omittas, esse tantum veniale, eò quòd materiæ istæ parvæ non coalescant in unã, probabiliter docet *Diana t.* 5 *misc. n.* 24. *x Soto Arag. & Tannero* 2. 2. *di.* 4. *dub.* 5. contra *Valent. &c.*

II. In materia gravi etsi quis possit se obligare tantum leviter, communiter tamen censetur se voluisse obligare graviter, nisi aliunde constet. Unde violans tale votum, peccat graviter ex genere suo. *v. ibid.*

III. Qui postquam gravi voto se obstrinxit, seriò deindè dolet, quòd fecerit, nõ peccat graviter, modo retineat animum implendi, *v. Sa. V. votum.*

IV. Qui violat votum de re jam ante præcepta, v.g. qui post votum castitatis fornicatur, debet in confessione addere, quod votum id habeat, aut quòd Ordines acceperit, si Confessarius nesciat, quia dupl'ex tunc est malitia peccati. *Suar. c.* 6. *Less. d.* 7. *Sanch. c.* 5. *Fill. c.* 2. *q.* 7.

V. Alieno voto nemo obligatur ex vi illius voti. Unde, si qui Canones videntur indicare, filium à patre religioni devotum teneri eam profiteri, intelligendi sunt, si filius votum patris semel ratificaverit. *Suar. c.* 9. *San. Lay. c.* 3. *n.* 6.

VI. Cum hæres teneatur solvere vota realia defun-

functi,non tenetur vi voti,sed ex justitia,sicuti tenetur alia illius debita,legata,&c.solvere.*Ibid.*

VII Eodem modo,si communitas aliquid vovit,in quod posteri non consenserunt, non tenentur id servare vi voti, sed interdum ratione pacti, statuti,vel longæ consuetudinis, *v Laym.hic.c.3.*

VIII. Cum quis vovet factum alterius,sensus est,se curaturum id eo modo, quo licitè potest,ut v.g.rogando,persuadendo, vel etiã præcipiendo, si sit superior, vel etiam aliquando paciscendo,& suppeditando sumptus. Sic parens,qui filium devovit religioni,ad nihil aliud tenetur, quàm ut conetur eam filio persuadere:sic qui Missas vel peregrinationem alterius curandam,quando stipendium ac sumptus ei persolvit, non tenetur alium substituere novis sumptibus, si prior non præstet, ad quod se obligavit, *Sanch. Laym.n.7.*

IX.Vota personalia non implentur, nisi per voventem : unde qui vovit peregrinationem Romam,v.g.non satisfacit,si conducat alium,neque ad id tenetur,si ipse non possit. *Ibid.*

X.Vota realia solvenda sunt ex proprio : unde qui nequit ex suo,non tenetur ab alio mendicare. Quòd si possit ex suo,& tamen alius,sive rogatus, sive sponte pro ipso velit solvere, id valet : quia tunc quod alter dat,sit ipsius,non autem actio alterius personæ potest fieri alterius, *v.ibid.*

XI. Vota conditionalia non obligant cessante conditione, etiamsi ipse vovens causa fuerit,ut conditio non poneretur;dummodo id non impediverit per dolum,vim,aut malitiã: ut v.g.vovisti peregrinationem,si eam Petrus approbet; deinde sub-

submittit, qui persuadeat, ut non approbet: illo igitur non approbante, non teneris. Imò etsi malitiosè per fraudem, dolum, &c. impediveris, adhuc probabile est, te voto non teneri, ut habet *Lay. c.* 6. *ex Suar. & aliis.* Interim *Lay.* rectè hic advertendum monet ad intentionem voventis, ut v.g. si filius vovit se ingressurum religionem, nisi pater contradixerit, videtur ejus intentio fuisse, nisi contradixerit ex se, sua sponte, sibi relictus, &c.

XII. Qui vovit rem certam & determinatam, v.g. hunc calicem, si ea res pereat, non tenetur ad alium, cum id non soleat intendi: si autē eam rem vendiderit, probabilius videtur esse, teneri dare pecuniam, quam accepit: quia qui vovit rem, censetur promittere omnem ejus utilitatem.

XIII. Qui vovit aliquid faciendum certo tempore, ut jejunare hoc, vel isto die, illo transacto, sive cum culpa, sive sine culpa ejus, ad nihil tenetur: & neque, si præviderit impedimentum eo tempore superventurum, tenebatur prævenire, cum hęc non soleat intentio voventis esse. *Suar. Nav lib. 1. v. Bon. p. 5.*

XIV. Qui vovit aliquid sine certo tempore, v. g. peregtinationem, tantum tenetur implere cum commodè primum potest: quia sic moraliter quisque censetur intelligere suam promissionem, ut habita commoditate non nimis diu differat, quamvis minor causa sufficiat ad differendum, quam ad omittendum. *Fill. c. 4. q. 10. Suar. Laym. c. 3. Bon. &c.*

XV. Qui vovit aliquid sine certo loco, v. g. ingredi religionem S. Benedicti, satisfacit intrando quod-

quodcunq; monasteriũ illius Ordinis, in quo seruentur substantialia regulæ. Neq; tenetur pro admissione peragrare provinciam, sed satis est, adire loca aliquot non nimis dissita. Et satisfecit voto, si postquam ingressus est, remittatur aut egrediatur (saltem cum justa causa, qualis est, v.g. gravis ac diuturna tristitia, & anxietas, sive ex natura ipsa, sive aliunde nata. *Escob. ex Sanch. t. 1. l. 4. c. 16. n. 100.*) ante professionem. *v. Trul. l. 2. c. d. 20. n. 7. & 8.*

XVI. Qui vovit aliquid sine certa qualitate, v. g. religionẽ in genere, potest ingredi quamcunq;, etiam laxiorem, modo serventur essentialia, & sit approbata. Similiter, si quis vovit triticum, &c. non tenetur dare optimum, quod habet, sed satis est, (loquendo de obligatione præcisè) ut det, quod non sit plenè ineptum.

XVII. Qui vovit aliquid sine certa quantitate, v.g. eleemosynam, pecuniam, frumentum, &c. satisfacit dando quantum voluerit, modo non tam parum, ut videatur potius irridere suum votum, quàm implere. Ratio horum omnium petitur ex intentione voventis, quâ nemo censetur se obligare, nisi ad id, quod commodè potest, & communiter est decens. *Suar. Sanch. l. 4. c. 13.*

XVIII. In dubio de mente voventis, debet fieri interpretatio secundum verborum, quibus usus est, proprietatem, vel potius communem & usitatam acceptionem. *Fill. t. 26. c. 2. Laym. c. 3.*

XIX. Qui vovit, si ludat chartis dare decem imperiales, tenetur secundum *Sanch.* dare toties decem, quoties ludit, quia pœna est actui accessoria. Videtur tamen negare, *Laym. l. 4, tr. 4. c. 5. n. 4. v. Trull. Dian. p. 5. t. 9. R. 60.* Du-

## DUBIUM V.

### *Quot modis tollatur obligatio voti?*

Resp. Dupliciter tolli potest: 1. Nullius authoritate interveniente: idq; vel materiæ mutatione; ut si materia ante honesta fiat turpis, indifferens, vel impeditiva majoris boni, ratione novæ circũstantiæ vel prohibitionis; vel si fiat impossibilis, absolutè aut moraliter; vel desitione conditionis, à qua pendebat. 2. Interventu authoritatis humanæ: idq; tripliciter, irritatione, commutatione, vel dispensatione: de quibus sequentibus dubiis. Est communis, *Sanch. l. 4. cap. 24. Less l. 2. ca. 40. Suar. Fill. t. 26. c. 8.* Unde resolves.

I. Etsi tua culpa materia facta sit impossibilis, inutilis, &c. tamen postquam jam talis facta est, cessat obligatio, & sufficit pœnitere de culpa.

II. Si concurrat obligatio duorum votorum incompossibilium, implendum est id, quod est præstantius, & Deo gratius; alterum cessat. Quòd si verò sit æquale, aut nescias utrum sit melius, implendum est quod prius vovisti, & ruit posterius: si & hoc nescis, libera est electio. *v Trul. l. 2. c. 2. d. 9.*

III. Si materia voti fiat impossibilis, quoad partem tantum, tunc si commodè talis materia dividi non potest, aut non solet, ad nihil teneris: v. g. vovisti ædificare templum, si totum non potes, non teneris ad partem.

IV. Si verò dividi commodè potest, & solet, manet obligatio ad illam partem, quam potes, ut v. g. 1. Qui non potest jejunare tota hebdomada, potest autẽ aliquot diebus, ad hoc tenetur. 2. Qui ma-

matrimoniũ contraxit, & consummavit post votum castitatis, tenetur non petere debitum, cum eatenus votum ad huc sit possibile (reddere enim debet) *v. Ben. p. 7. §. 1.*

V. Quod si votum dividi quidem possit, sed unum in eo sit principale, reliqua verò accessoria tantum, non per se seorsim intenta, sed dependenter à priori, tanquam illius appendices & modi, tunc si principale fiat impossibile, ruit etiam obligatio accessorii, non autem contra: ut v.g. voviſti peregrinationem Romam in cilicio, & ibi certa aliquid offerre, si peregrinatio impossibilis fiat, nõ teneris cilicių ferre, & oblationẽ mittere, *v. Sanch. l. 4. c. 10. Bon. d. 4. q. 2. p. 4. §. 4. Trul. l. 2. c. 1. d. 10.*

## DUBIUM I.

### *De voti irritatione.*

### ARTICULUS I.

#### *An, & quomodo tollatur obligatio voti per directam irritationem?*

Resp. Cum non debeat violari cujusquam dominium, ac quilibet dominus possit uti sua libertate, hinc si potestati dominativæ alterius sit subjecta alicujus voluntas, potest is subdiri istius omnia vota, qualiacunq; sint, ad suum libitum, sine ulla causa, valide irritare directè, hoc est, potest velle & pronunciare, ut illa vota nulla sint, ita ut nullo etiam casu obligatio postea reviviscat (etsi peccent, si absq; causa irritent, ut docet *Less. l. 2. c. 40. n. 75. Nav. Suar. Fill.*) Porrò hoc jus provenit ex jure positivo, quo datur alicui legitima potestas do-

dominativa in voluntatē alterius. *Ita communiter DD. v. Sanch. l. 4. c. 24. n. 30. & 31.* Unde resolves.

I. Quivis pater, & in ejus defectu, avus paternus, tutor imò etiam mater, nō tantum si tutrix sit, sed etiam in priorum defectu; & secundum quosdam, reliquis deficientibus etiā magister, vel herus, ut *Suar. Less. d. 10 n. 78.* contra *Sanch.* potest directè irritare vota liberorum impuberum: ut colligitur ex *cap. Mulier 32. q. 2 c. 1. & 2. 20. q. 1. & ca. Si quis de reg.* Impubertas autem secundum jura finitur in masculis, anno decimo quarto completo, in fœminis duodecimo completo, à die nativitatis computando, *ut Sanch. l. c. v. Laym. t. 4. c. 2. Bon. di. 4. q. 2. p. 6. §. 2.*

II. Vota religiosorum (non tamen novitiorum) etiam sub prædecessoribus emissa, irritare possunt, directè præter Papam, Abbates, Guardiani, Priores & Rectores, ac probabiliter etiam Abbatissæ, ut habet *Suar. l. 6. de voto c. 7. num. 19. Regin. l. 18. n. 342. Fill. Bon. l. c. n. 26.* Excipitur tamen votum transeundi ad religionem strictiorem. *v. Binsfeld. 3. p. Ench. c. 9. Less. n. 75. Sanch. 6. 24. num. 30. Bon. l. 5.*

III. Idem potest, secundum *Sanch. lib. 9. de matr. d. 39.* maritus respectu votorum uxoris: licèt probabilius id alii limitent ad ea vota, quæ mariti juri præjudicant. *Lay. hic. c. 7. Fill. tr. 26. c. 8. q. 8. Less. d. 10. n. 83. & d. 15.*

IV. Qui semel votum irritavit, si postea nolit, non ideò revalidatur, ut *v. Sa. V. Irritatio voti.*

V. Nullus supradictorum potest directè irritare vota emissa ante subjectionē: v. g. ante matrimoni-

nium:facta verò intra tempus subjectionis, de re implenda post tēpus subjectionis, v.g.in pubertate,vel post obitum mariti,possunt irritare. *Bon.l.c.*

VI.Votum,de quo dubium est,utrum emissum tempore libertatis,an subjectionis,non posse irritare superiorem,docet *Salas.*1.2.*q.*21. *& Caram. l.3.cap.*1.*d.*1. Sed contrarium tenet *Suar.Sanch, Bon.&c.* cum *Bardi.d.*6.*c.*1 §.28.

VII.Facta tempore subjectionis,possunt adhuc irritari post illud;v.g quando filius jam est pubes, Quod verum est, etsi in pubertate ea ratificasset, putans ex errore esse firma:secus tamen,si infirma esse novisset,& independenter à prioribus ratificasset.*v.Less l.*2.*c.*40.*d.*10.

VIII.Supradicti possunt revocare,ac directè irritare vota,etsi semel ea ratificaverint : quia non privarunt se dominio & potestate sua. *v. Suar.de voto l.*6.*c.*6. Quod si tamen id sine causa fiat,erit secundùm quosdam peccatum mortale;licet probabilius id neget *Suar.l.c.c.*4. *& Laym.hic.*

IX. Prælatus potest irritare votū subditi,à prædecessore æquali,vel inferiore,confirmatum;non tamen à superiore.*v.de his Bon.l.c.*§.3.*Laym.c.*7.

## ARTICULUS II.

### *Quis vota indirectè irritare possit?*

Resp.Si alicui,non quidem voluntas voventis, sed voti materia sit subjecta, ita ut in hanc jus habeat,is tale votum potest irritare,irritatione indirecta; hoc est ejus obligationem suspendere; in quantū suo juri præjudicatur:idq; ex lege naturæ docente, quòd nemo possit alteri promittere aliquid

quid in præjudicium tertii *S. Thom. in 4. d. 38. Suar. Leſſ. &c. ll. cc.* Unde reſolves.

I. Sic irritare poſſunt, præter ſuprà nominatos, mater reſpectu filiorum puberum, quamdiu manent in domo paterna, nec ſunt emancipati: item tutor puberis, uſq; ad annum vigeſimum quintũ, in iis, quæ eorum poteſtati officiunt. *Laym c. 7.*

II. Idem poteſt uxor reſpectu mariti; v. g. ſi is voverit longiorem peregrinationem, habitare alibi, cubare ſeorſim, quæ derogant vitæ ſociali, & uſui dominii, quod habet in corpus mariti. *Leſſ. n. 83. Fill. n. 273.*

III. Item dominus, & domina reſpectu famulorum; ut ſi ii voverint jejunium, quo fierent inepti ad obſequia domini: quale votum non eſt caſtitatis, vel brevis orationis. *Leſſ. n. 86.*

IV. Item non tantùm Pontifex reſpectu omniũ fidelium, ſed etiam Epiſcopi, & Principes reſpectu ſubditorum, quando materia illis præjudicat. Denique ſuperiores reſpectu novitiorum, in iis, qui impediunt novitiatus exercitia. *Leſſ. d. 13. n. 8.*

V. Non poſſunt irritare indirectè vota de re aliàs præcepta, v. g. non furandi; quia nemini præjudicant. Item neque vota implenda tunc, quando materia voti non erit amplius ſubjecta, v. g. vota ſervi, implenda, cùm erit liber; & conjugis, cùm alter erit mortuus.

VI. Poteſt quis etiam indirectè irritare vota longè ante facta, quàm ſibi materia ſubjiceretur; v. g. facta à conjuge longè ante matrimonium.

VII. Poteſt quis etiam vota à ſe, vel anteceſſore conceſſa & confirmata, indirectè irritare, ut patet

ex

ex art.ſuperiore.Excipe tamen,niſi ſuo jure ceſſiſſet,& hanc conceſſionem ſubditus acceptaſſet; ut v.g.in voto caſtitatis, mutuo mariti, & uxoris conſenſu facto.Secùs tamen eſſet, ſi vel ſola uxor vel uterq; independenter ab altero voviſſet.

VIII. Vota indirectè tantùm irritata reviviſcunt,& obligant,quando alteri deſinunt prejudicare.*v.de his Bon.p.7.Laym.c.8.*

## DUBIUM VII.

### *Quid ſit commutatio voti?*

Reſp.Commutatio eſt ſubſtitutio alterius operis honeſti loco ejus, quod voto promiſſum erat, ſub eadem obligatione. Circa quam,ut licitè fiat, traduntur hæ regulę:*Prima.* Ad commutationem voti requiritur authoritasEcclefiaſtica,1.quando commutatio fit in paulò minus bonum: quod ſi notabiliter minus ſit, miſcetur diſpenſatio. 2. Quando dubiū eſt de æqualitate boni. 3. Quando fit in bonnm æquale: licet aliqui tunc putent ſufficere authoritatem propriam. Hæc tamen ſufficit ad commutationem in melius; quia in meliori minus continetur. Voco autem melius,quod eſt tale in ordine ad utilitatem ſpiritualem voventis, & Deo gratius.

*Secunda.* Ad commutationem voti in æquale, requiritur cauſa,licèt minor,quàm ad diſpenſationem : quia diſpenſatio planè liberat ab obligatione voti;commutatio verò aliud ſubrogat. Unde ſi fiat in melius,nulla cauſa requiritur: ſi in æquale cum authoritate ſuperioris,ſufficit major in illud propēſio. Si verò dubitetur,an ſit æquale,ſufficit

ficit notabilis molestia implendo. *v. Less. l. 2. c. 40.* Unde resolves.

I. Quamvis oratio absolutè sit melior jejunio, non licet tamen propria authoritate hoc in illam commutare: quia hic & nunc potest jejunium esse Deo gratius; utpote utilius ad bonum spirituale hujus hominis. *Less. d. 16. Sanch. c. 56.*

II. Omnia vota personalia propria authoritate commutari possunt in votum religionis: imò ipso jure omnia vota realia sic mutātur in professione.

III. Qui habet votum religionis, non potest illud propria authoritate commutare in susceptionem Episcopatus: tum, quia hic non efficit hominem perfectiorem, quàm religio, licèt perfectiorem esse supponat: tum, quia non constat, quòd illud hic & nunc sit Deo gratius: tum, quia sic respondit Innocentius III apud *Bon. in 2. præceptum d. 4. q. 2. p. 7.* Idem docet *Less. l. 2. c. 4. d. 16. n 103. Azor. Sanch. Laym. l. 4. t. 5. c. 6. n. 15. Palaus d. 3, t. 16. n. 2. Fagund. Dian. p. 6. t. 6. R 92.*

IV. Qui habet facultatem dispensandi, habet etiam commutandi; non tamē contra: quia commutatio est pars dispensationis; qui autem potest majus, etiam minus potest. Qui autem habet facultatem commutandi tantùm, non potest mutare nisi in æquale: quod moraliter, & non scrupulosè æstimandum est, ut monet *Laym. c. 8.* In qua æstimatione, ait *Cajet.* non negligenda sunt concomitantia, v. g. in voto peregrinationis, habenda ratio non tantùm laboris, sed etiam expensarum, quas feciſſet. *Suar. Less. v. Bon. p. 7 §. 3.*

V. Si is, cujus votum mutatum est, malit dein-

de implere primum, id potest: tum quia id melius vel æquale: tum quia in ejus favorem factum est cum tacita conditione, si ei placuerit. *Less. num.* 97. *Sanch. n.* 286.

VI. Si voti legitimè à superiore commutata materia, sive opus fiat impossibile, vel indifferens non tenetur redire ad prius: quia obligatio extincta est, *v. Laym. Bon. ll. cc.*

## DUBIUM VIII.

### *Quid sit dispensatio, & qui possint dispensare in votis?*

Resp. I. Dispensatio est absoluta obligationis voti condonatio, nomine Dei facta. Ad hanc, ut valeat, justa causa requiritur; qualis v.g. est 1. Bonum Ecclesiæ, vel commune Reipub. 2. Notabilis difficultas in observatione voti. 3. Imperfectus actus, vel levitas ac facilitas, ex qua processit votum. *Suar. l. 6. a. 17. Fill. n. 660. Sanch. l. 4. cap. 45. v. Bon p. 7. num. 24. Laym. c. 8. num. 5.* Unde resolves.

I. Cum causa non sufficit ad integram dispensationem, partim dispensari, partim commutari potest. *Bon. l. c.*

II. Prælatus videns, ac (cum facile possit) non contradicens, videtur dispensare, ait *Sa.*

III. Potestas etiam delegata dispensandi in votis, extendit se etiam ad vota jurata, & juramenta pia soli Deo facta. *V. Suar. lib. 6. de voto. Sanch. l. 4. de matr. d. 3.*

IV. Ante voti acceptationem à certa persona aut

aut Ecclesia, non censetur ei jus acquisitum, ideoque sine ejus injuria potest dispensari vel commutari.

Resp. II. Potestas dispensandi convenit omnibus Prælatis, qui habent jurisdictionem in foro externo, vel privilegium. *Less. l. 2. c. 40. d. 12. Sanch. c. 37. & communiter.* Unde dispensare possunt sequentes: I. Papa, respectu omnium fidelium in omnibus votis. II. Episcopus, respectu suorum subditorum, non autem Parochus: quia tantùm habet jurisdictionem fori interni. *Suar. l. c. c. 12.* III. Prælati Regulares exempti, respectu suorum Religiosorum & Novitiorum: idque circa vota, quæ vel in seculo, vel etiam Novitiatu fecerunt. *Less. n. 8. & 107. Sanch. l. 9. de matr. d. 29.* non autem Prælati non exempti, neque Abbatissæ. *Suar. Less. ll. cc.* IV. Ex privilegio Papæ. Confessarii ordinum mendicantium, secundùm concessionem & moderationem suorum superiorum, ut notat *Less. d. 13. n. 108.*

Resp. III. Supradicti omnes Papa inferiores possunt dispensare omnibus votis, exceptis quinque soli Papæ reservatis, scilicet Castitatis perpetuæ, Religionis approbatæ, Peregrinationis ad limina Apostolorũ, ad S. Jacobum Compostellam, & Ultramarina, sive in Terram Sanctam. *v. Bon. Less. Laym. ll. cc.*

# TRACTATUS III.

## *De Tertio & Quarto Præcepto.*

## CAPUT I.

### *Quid tertium Præceptum? Memento, &c.*

PRæceptum hoc, quatenus vult tempus aliquod sanctificari, sive impendi cultui divino, est naturale, & adhuc obligat: quatenus verò tempus id designatur dies Sabbathinus, est cęremoniale, & in N. Test. abrogatum, ac pro eo ab Ecclesia designatus dies Dominicus, & festi; præscriptusq; modus colendi, ut quædam opera illis diebus fiant, quædam non: hæc prohibentur, illa præcipiuntur. *Bon. Laym ex D. Tho. 2. 2. q. 122.*

### DUBIUM I.

### *Quæ operatum hoc præcepto, tum ab Ecclesiâ prohibeantur?*

Resp. I. Die festo prohibentur omnia opera servilia, hoc est, quæ & versantur circa materiam externam; & vel mechanica & illiberalia sunt, v. gr. suere, fabricare; vel requirũt tantùm laborem corporis, & ab operariis tantùm & servis fieri solent. *Ita DD. communiter v. Lay. l. 4. tr. 7. cap. 1. Suar. Fil. &c, ex D. Thom. l. c.* Unde resolves.

I. Impertinens est ad rationem operis servilis, utrum fiat ex lucro, an ex recreatione; ex hac, an ista intentione, pia, vana & turpi, *Cajet. Suar. Lay. l. c. &c.* contra *Sylv. & Canonistas.*

II. Impertinens quoque est, sive fiat cum defa-

ti-

tigatione & labore, sive non; sive brevi, sive longo tempore, &c. quia nihil horum mutat naturam operis.

III. Servile non est, ideoq; nec prohibitum, festo ludere, choreas ducere, instrumenta musica pulsare, iter facere pedibus, equo, curru, vel navi: unde etiam ad hæc necessaria sunt licita. *Nav. cap. 13. Tol. & Lay. Suar. de fest. c. 27.*

IV. Nec servile est, ducere jumenta sine onere; cùm id sit iter facere, ut ait *Fill. hic. c. 9. n. 170.* Ducere autem jumenta, currus, vel navigium onustũ mercibus, est servile, *Suar. l. c. Fill. l. c.* Quòd si tamen ante festum talia itinera incepta sint, continuatio eorum permittitur, vel ob publicam utilitatem, vel damnum, quod aliàs sequeretur.

V. Item nec servile est, sive gratis, sive pro pretio docere, studere, scribere, transscribere: & secundum quosdam, ut *Medinam Lopez & Armillam*, quorum sententiam probabilem docet *Laym* cõtra *Sa. Fill. Azor & alios multos*, pingere etiam coloribus, (nam de rudibus lineamentis pleriq; concedunt) terere tamen colores, & non pingere, sed tingere, ut v. g. colorare asseres vel pannos, dealbare parietes, illiberale est.

VI. Videntur etiam excusari posse in typographiis, literarum collocatores, quando post divina collocant neglectum pensum, ut habet *Laym. hic.* Imprimere tamen, servile habetur, *Escob. E. 5. c. 4. Suar. Laym. &c.*

VII. Excusat etiam *Fill. hic n. 169.* distillationẽ, quæ sine corporis fatigatione, potiùs ad experientiam & peritiam fit, quàm ex officio, & arte.

VIII. Servile aliqui non putant, (alii contrarium tenent, & excusant per consuetudinem, ad otium aliaque pejora vitanda) venari, *Gran. 2. 2. c 3. t. 12. d. 4. s. 7. n. 6.* aucupari, militare, gladiari, piscari (saltem in fluminibus recreationis gratia) & similia: piscatio tamen moderata esse debet, *v. Lay. & Fill. tr. 27. c. 9. q 12. Bon. d. 5 q. 1 p. 2. n. 25. Escob.* qui docet, laboriosam, & ex officio, non licere. Similiter quidam excusant puellas ad otium vitandum acu pingentes, *Arm. Az. Palaus. Sa. March. v. Dian p. 5. t. 6. R. 15. & p. 4. tr. 4. R. 62.*

Resp. II. Prohibentur præterea quædam opera non servilia, quæ dicuntur forensia; ut sunt mercatus, placitum judicium ad mortem vel pœnam, & strepitus omnis judicialis, id est, actiones, quæ ad decisiones causarum, tàm civilium, quàm criminalium, tam secularium, quàm Ecclesiasticorum spectant. *Ita comm. Doct. ex cap. 1. de feriis.* Unde resolves.

I. Festo non licet citare, adducere testes, id est, exigere juramentum judiciale: proferre & exequi sententiam: quæ si feratur, est irrita. *v. Laym. l. 4. t. 7. c. 2. n. 7.*

II. Nec licet emere & vendere res non necessarias, negotiari publicè vel privatim, inire contractus emptionis, locationis, permutationis, &c. (nisi ex consuetudine, vel aliis justis causis excusentur) quia intelliguntur nomine mercatus, qui prohibitus est. *c. 1. de feriis.* ut docet *Bon.* ex *Suar. c. 13. & Fill. t. 27. c. 10. q. 2. n. 180.*

III. Festo licet excommunicare, dispensare, judicem privatim informare, advocatum consulere, con-

consilia conficere, eligere, &c. quia non requirunt strepitum judicialem. *v. Bon. l. c.*

## DUBIUM II.

### *Quæ causæ excusent ab observatione festorum, ob quas opera prohibita liceant?*

Tales præcipuè sunt septem:

*Prima.* Dispensatio Episcopi, vel habentis potestatem, quasi Episcopalem: ut superiores Religionum, imò & Parochi, quando non datur facilis accessus ad Episcopum. *Suar. c. 33. Lay. c. 4. num. 2. Bon. p. 1. n. 20.*

*Secunda.* Consuetudo: nam sic licent nundinæ illæ in festis passim haberi solitæ; & præparationes deliciarum non necessariarũ, ut cupediarum, placentarũ, & similium ciborum artificiosorum: item emptiones & venditiones recularum parvi momenti. *Bon. l. c. Laym. l. c.*

*Tertia.* Pietas in Deum: per quam licent operæ quæ proximè, (non quæ remotè) spectant ad cultum Dei; ut pulsare campanas, circumferre imagines, vel cruces, in supplicatione. Ornare autem, & verrere templa, ac similia, quæ ad ipsũ officium non spectant, si absque ratione in festum differantur, venialia habentur. *Fill. num. 218. Bon. l c.*

*Quarta.* Charitas erga proximum: per quam licent, & valent actus judiciales pauperum, orphanorum, viduarum, & miserabilium personarum, ne expensis graventur. Sic etiã possunt rusticanorũ in parvis oppidis, si aliis diebus adesse neque-

ant,causæ civiles agitari. Similiter licet pauperibus & infirmis,pro tunc egentibus,subvenire. Item emere &vendere rusticis,qui aljis diebus impediuntur.*Laym.c.2.n.7.v Dian t.1.R.34.*

*Quinta.* Necessitas propria vel aliena,corporis vel animæ; si nimirum sine gravi incommodo, aut detrimento aliquid omitti non possit. Quomodo excusantur. 1. Judicia,quæ celeritatem requirūt:v.g. si latro sit fugiturus,nisi tunc capiatur. 2.Servi & ancillæ coacti à dominis laborare, nec audentes recusare:quod si tamen frequenter contingat,eos deserere debent. *Suar. Laym.l.c.* 3. Iidem & similes reficientes suas vestes,cùm id aliis diebus non possint. 4. Pauperes, qui se suosque alere non possunt , operantes privatim, sine scandalo ; maximè, quando multi dies festi concurrunt,*Bon.n.*13. 5. Coci & culinarii.6. Pistores, laniones,& similes in oppidis populosis , & concursu festorum. 7. Chirurgi,& pharmacopolæ.8. Conflatores ferri & vitri,coctores laterum,calcis, &c. & quicunque , quorum opus semel cœptum non potest interrumpi sine damno. 9. Molitores, & naucleri pendentes à ventis. 10. Piscatores halecum,tinnorum, &c.qui certò tantùm anni tempore id possunt. 11. Instauratores fontium,pontium,viarum publicarum, & similium, quæ moram non patiuntur. 12. Sartores in operibus necessariis, ut funeribus, nuptiis, &c. si aliter fieri non potest,ut satisfaciant. 13. Agricolæ ad cavendum damnum ruri laborantes ; ut si ob pluviam imminentem segetes vel fœnum congregent, *Bo. n.*13.*Fill.n.*211.14.Deniq; excusantur etiam mercato-

tores, qui clausis tabernis quædam vendunt, cùm præsupponere possint, emptoribus ea tunc esse necessaria, nec aliàs commodè emere posse. De supradictis *v. Suar. Fil Laym. Bon. ll cc.*

*Sexta.* Utilitas, non simpliciter necessaria, sed ad communem lætitiam, vel splendorem: sic enim licet in adventu vel ortu principis laborare, ut perficiantur theatra, ignes, vestes, &c. Quanquam monet rectè Suar. præstare in hoc casu petere veniam à pastoribus. *v. Bon.*

*Septima.* Excusat item, saltem à gravi peccato, parvitas operis, seu temporis. Unde grave non videtur una hora laborare, ut habet *Suar. l. 2. de festis c.* 32. maximè, ut notat *Laym.* si labor non sit nimis servilis, & fatigans corpus. Imò durum videtur mortalis damnare, si quis duas aut tres horas impendat, *v. Fil. t.* 27. *c.* 11. *q.* 1. *n.* 105. In forensibus autem & judicialibus, materiæ quantitatem non ex quantitate temporis, sed qualitate operis desumendam, monet *Escob. E 5. c.* 3. *n.* 14. *ex Palao. tom.* 1. *tr.* 9. *d.* 2. *p.* 3. *n.* 4. Sic grave peccatum esse asserit venditionem rei magni momenti, cum magna solennitate, licet brevi tempore fiat. Quod intellige (secundum supradicta) nisi consuetudo, vel necessitas excuset.

## DUBIUM III.

### *Quæ opera festis præcipiantur?*

Resp. Præcipitur 1. Auditio concionis: non tamen sub mortali, nisi quatenus quisq; tenetur discere necessaria ad salutem. *v. Trid. sess.* 24. *c.* 4. *de re-*

*reform. Fill hic c.8. Bon.t.1. d.5.q.1.p.2. n.27. Suar. &c.* Dixi, *nisi quatenus, &c.* quia homines rudiores ignorantes præcipua mysteria fidei, ea præsertim, quæ sub gravi obligatione eos scire teneri, dictum est supra *l.2.t.1.c.1.* tenentur lege charitatis, (si aliàs commodè addiscere non possint) sub gravi peccato concioni, vel potius catechesi interesse. *Bon.d.5.in præc.2.n.28.* addens eo casu concionem etiam missæ præferendam esse. *Trull.l.c.1.d.4.n.12 Fagund. &c.2.* Præcipitur speciali præcepto, obliganti sub mortali, audire missam, h.e. moralì & humana assistentia, sive præsentia ei interesse. Est communis ex *cap. Omnes fideles,* & ex *cap. Missas de consec.dist.3.* contra *Anglum & Rosellam,* qui semel vel iterum negligere, dicunt esse veniale. Obligat hoc præceptum, omnibus festis, omnes baptizatos usum rationis habentes: non autem infantes, amentes, vel catechumenos. Ratio primæ partis, quia est universale. Ratio secundæ, quia assistentiam humanam habere non possunt. Ratio tertiæ, quia non sunt Ecclesiæ subjecti, *C.Lugo d.22.f.1. & 2. ex Nav. Sanch. & Con.* Unde resolves.

I. Non est obligatio audiendi concionem in Parochia propria: tum quia DD. multi nullum hac de re præceptum agnoscunt, cùm *Trid.s.24.c.4. de ref.* dicat, *teneri ubi id commodè fieri potest:* tum quia, si qua obligatio fuit, ei derogatum est per privilegia Regularium, & generalem consuetudinem contrariam. *Suar.de rel.t.1.l.2.c.16. Az. Nav. Cened. Zerol.p.1.V. prædic. Trull.l.2.c.1.d.4.v. Barbos. in Trid sess.24.c.4.* Imò Fratres Prædicatores, & Mi-

& Minores, & qui cum ipsis in privilegiis communicant, concionantes in suis Ecclesiis, quovis anni tempore possunt auditoribus suis concedere 18. annos, & 320. dies Indulg. nomine Papæ. *Dian. p. 4. t. 4 R. 22. ex Rodriq. &c.*

II. Non est obligatio ad audiendam Missam feria quinta & sexta, & Sabbato Majoris hebdomadæ, neq; diebus Rogationum. *Az. Henriq. Suar. d. 88. s. 5.*

III. In die Nativitatis Christi tantùm teneris audire unam Missam. *Navar. Suar. Fill.*

IV. Satisfacit, qui recitat sub Missa (ex obligatione) Horas Canonicas, vel pœnitentiam injunctam in confessione, ut contra *Cajet. Sylv. Aug. Armil.* docent *Suar. Sa. Rodriq. Fil. &c.* Ratio, quia duob. præceptis potest simul satisfieri, ut *v. supra l. 1. t. 2. c. 3. dub. 3.* Idem de eo, qui confitetur tempore Missæ, affirmat *Regin. li. 19. n. 14.* dummodò intentionem habuerit audiendi Missam. Negat autem *Suar. d. 88. sess. 6. Azor. c. 7. q. 6. Gordonus C. Lugo l. c.* si quidem possit differre confessionem, nec adsit necessitas præcepti confessionis. Idem dicit *Bonac d. 4. q. ult. p. 11.* ubi contrariam praxin, quorundam excusat, vel ob necessitatem communicandi, vel intentionem audiendi Missam aliam, vel denique ob bonam fidem.

V. Satisfaciunt etiam inservientes Missæ, si recedant allatum necessaria, v. g. vinum, hostiam, thus, &c. quia cùm hæc ordinentur ad officium, non censentur abesse: dummodò non recedant ab Ecclesia, vel saltem non longè. *v. Bon.*

VI. Peccat, qui non audit integram missam; &

quidem venialiter,si omittatur parva pars,mortaliter,si notabilis,v.g. media, vel tertia pars,*Laym.* tamen *& alii* durum putant,mortalis damnare eum,qui ab Offertorio,usq; ad finem adsit. Addit que communiter excusari à mortali, qui audiunt à principio Epistolæ,vel secundùm alios,Evangelii usq; ad finem;vel ab initio usq; ad Communionem,*v.Bon.c.1.d.4.q.ult.C.Lugo d.22.sec,1.n.3.*

VII. Non peccat saltem mortaliter,qui à duobus Sacerdotibus successivè duas dimidias Missas audit, ut habet *Nav. c.21. Sa. Sotus. Henriq.Dian. tom.1.tr.3.R.18 Bon.d.4.q.ult.p.11.Hurtado* contra *Suar.Côn.Fagund.* quia audit integram Missam. Ob quam causam est probabile,etsi simul audiat, ut habet *Bon.l.c.Hurt. & Dia.* contra *Reg. Côn. C.Lugo,&c.* quorũ sententia videtur probabilior.

VIII.Non satisfacit,qui sub sacro dormit, pingit,docet; vel qui est post murum,aut aliam rem, tali loco,unde nihil audiri,videri,vel notari possit quid fiat : quia non censetur moraliter præsens. Satisfacit tamen surdus,cœcus,& quicunq; ( licet post ostium , aut columnam, vel in fenestra,vel procul à templo ) ita est præsens, ut ex signis externis colligere possit, quid à celebrante agitur, spectata loci natura , etiamsi ipse per accidens nihil audiat,videat, aut intelligat,sitq; pars per moralem conjunctionem ejus multitudinis., quæ dicitur præsens,& est in conspectu altaris,*Bon.l.c.*

IX. Audiens debet esse attentus, saltem virtualiter,& in confuso, ut aliquo modo advertat quid fiat. Hinc si quis nunc attendat,nunc fabuletur,ut tamen semper advertere possit,quid fiat,licèt pec-

cet irreverentia, non tamen damnandus est mortalis. Imò *Cón.3 p.q.*83.cũ *Sylv. Rosel. & Medi.* docet, eum satisfacere, qui voluntariè toto sacro est distractus, modò sibi sit præsens, & cum reverentia externa assistat. Quod probabile esse docet, *Laym.* contra *Suar. Bon.* & alios. *v Cón. l.c. & C. Lugo.n.*26.27. Plura de tota hac materia. *v. supra l.1.tr.2.cap.3.dub.*2.3.& 4.

X. Præceptum audiendæ Missæ impletur quocunque in loco, sive in Parochiali, aut Cathedrali, sive in Regularium Ecclesia, sive in oratoriis privatis, sive extra Ecclesiam audiatur. Ratio, quia Ecclesia tantum auditionem Missæ præcepit, non autem locum; ergò quovis loco impletur. *Tol.l.9.c.7. Azor cap 6. Rodriq. Nav. Fill. Nung. Suar. Cón. Bon. d.4 q.ult pu.12.n.4.& plures.* Quæ doctrina licèt certa satis sit; nihilominus, quia post omnes supra citatos Authores, à quodam moderno, viro aliàs docto, in dubium vocatur, peculiari dubio examinanda est, nec cui (quia liber obvius est) scrupulus, aut conscientia nascatur erronea.

## DUBIUM IV.

### *An sit obligatio audiendi Missam in Parochia, Dominicis, & festis majoribus?*

Resp. Etsi id quidem decens sit, non tamen est obligatio. Est communis Authorum (quos *vide superiore dub.casu ult.*) & ut ait *Ca Lugo.di.22.s.1. n.2* certa; etsi *Marchantius in Candelabro mystico, t.4.c.7.* & in *Resolutionibus moralibus*, in forma ma-

nualis editis *cap.*8.in dubium vocat,ſcrupulumq; movere conetur. Ratio eſt. 1. Quia nullum extat ea de re præceptum. 2. Quia *cap. Vt dominicis*,jubetur Parochus ante Miſſam ejicere eos, qui proprio Parocho contempto ; iſthic Miſſam audire vellent ; ergò ſine contemptu( formali)licet. 3. Quia *cap.Si quis de conſec.* jubentur iis,qui habent oratorium domi in majoribus feſtivitatibus audire ſacrum in Parochia , vel in civitatibus. 4. Quia univerſalis fidelium,& ipſorummet etiam Parochorum doctorum , & confeſſariorum ( qui pœnitentes hac de re non interrogant)conſuetudo,id non tantùm,(ut loquitur *Marchantius l.c.*) inſinuat,ſed manifeſtè docet. 5. Quia *Trid.Seſſ.22. c.8.* tantùm dicit,populum debere monere, (nõ autem teneri ) ut frequenter adeant Parochias, ſaltem Dominicis,& feſtis majoribus, *v.Fagund. Lugo Barb.Zenedo Trull.l.3.c.1.d.6.*

Neq; obſtant,quæ *Marchant.*objicit,*ut:*

I. Quod jura antiqua decernant contrarium; eò quòd *Sixtus IV.de treuga & pace*,præcipiat,ne Mendicantes prædicent,non teneri audire Miſſam in Parochia,Dominicis & feſtis. Nam imprimis ex illo Sixti decreto nihil ſequitur;cùm is non dicat teneri , ſed tantùm prohibeat , ne publicè *prædicetur,non teneri.* Cùm enim honeſtiſſimum ſit, populum audire Miſſam in Parochia , idque ſuadere deceat,minimè deceret, id (publicè prætim ) diſſuadere : nam inde ſcandala,& proprii Parochi contemptus,ſequi poſſent. Et hoc eſt, quod Sixtus cavere voluit. Deinde eſto antiqua forſan aliqua jura id habeant, eis poſterioribus

temporibus, per varia privilegia, receptamq; consuetudinem universalem, est derogatum, *Ca. Lugo & cateri Autt. citi.*

Nec obstat II. Quòd multos Canonistas eam opinionem secutos asserit. Esto enim olim quidam sic senserint: hoc tamen tempore, post tot & tam ampla privilegia, post tam claram & diuturnam consuetudinem, post Eminent. Cardinalium declarationes, & ipsorum etiam Pontificum nota decreta contraria, (ut *v. sequenti Resp.*) an aliqui id doceant, nescio.

Nec III. Locus Tridentini paulò ante in resp. citatus, quem objicit: ut patet ex ipsis verbis, & declaratione Eminent. Card. Authorumq; communi explicatione.

Resp. II. Episcopus non potest censuris, mulctis, aliisq, pœnis cogere ad audiendam Missam in Parochia. Est contra *Marchant. l. c.* ubi ait. *Regulares ita communiter respondere, ut privilegiorũ suorũ fimbrias magnificent & dilatent philacteria:* & contra *Authorem Parochiani obedientis.* Ratio autem est. Quia, ut ait *Nav.* Episcopus non potest tollere (nec restringere) jus commune, & generalem totius orbis consuetudinem. Ita docent præter *Auth. supra cit. S. Anton. p. 2. tit. 8. cap. 10. §. 1. dub. 4. Sylv. V. Missa Tolet. Laym. l. 4. t. 7. cap. 3. &c. & commun. omnes Theologi, & Canonist. moderni:* afferuntq; *Azor. tom. 1. l. 7. c. 8. q. 6. & C. Lugo d. 22. s. 1.* pro hac sententia declarationem Cardinalium in Triden. quæ expressè habet: *Non posse Ordinarium mulctis & pœnis cogere ad audiendam Missam, vel Concionem in propria Parochia, etiam in*

*ca-*

*casu negligentiæ & contumaciæ.* Et si his duobus, tanquam regularibus minus fidat, legere potest eandem declarationem apud *Barbosam in Trid. sess. 22. cap. 8. de sacrif. Missæ, & sess. 24. de reformat. 4. n. 12.* Item *Tractatu de officio & potestate Parochi*, ubi eandem sententiam Barbosa ipse sequitur, & pro ea supra viginti Authores celebres, partim Theologos, partim Canonistas, quà Regulares, quà non Regulares, citat. Vide ejusdem *Remissionem in Tridentinum, impressum Antverpiæ An.* 1644. *& Zerolam in praxi Episcopali p. 2. V. Parochia, & & p. 1. V. Missa §. 6.* Idem disertis verbis confirmat Clemens VIII. Anno 1592. 22. Decemb. decreto suo circa hanc ipsam controversiã Duaci excitatam, quo eã dirimit his verbis. *Præsenti nostro decreto sancimus, licere secularibus, Christiq; fidelibus universis, Missas diebus dominicis & festis aliis majorib. audire in Ecclesiis, tam Fratrũ Prad. quã aliorum Mendicantium, nec non etiam Collegii Societ. Iesu, juxta eorum privilegia, & antiquas consuetudines, dummodò id in contemptum parochialium Ecclesiarum non faciant, & tam dictis Fratribus Prædicatoribus, ac Presbyteris dictæ Societatis, quam aliis privilegiatis, quibus id à Sede Apostolica indultum est, idoneis tamen, & ab Ordinario approbatis, peccata sua, etiam Quadragesimali, & Paschali, & quovis alio tempore, confiteri licitè posse, &c.* Quòd si verò dicta privilegia, & alia similia clarius cognoscere lubet, inspiciatur, (ut alia taceam) Compendium privilegiorum Societ. Jesu, ubi præter Leonis X. clara sunt verba Pauli III In *extrau.* data Anno 1649. Kal. Novemb, quæ incipit, *Licèt de-*

*debitum*, quà *omnibus Christi fidelibus, cujuscunq; conditionis, qui verbi Dei prædicationibus, in templis ejusdem Societatis interfuerint, concedit, ut ibidem Missas audire, & Sacramenta recipere, liberè & licitè valeant; neq; ad id ad Parochiales Ecclesias accedere teneantur.* Porro, ne quis miretur, tam ampla privilegia Regularibus concessa à variis Pontificibus, placebit inspicere eorum Bullas, in quibus reperiet motiva gravissima: aut si nec inspicere lubet, recogitet saltem, Deum ipsum Innocentio III. (dum vidit Ecclesiam Lateranensem jam jam ruituram) ostendisse eam sustentari à S. Dominico, & S. Francisco. Consideret, quòd sicut olim in varias orbis plagas, & in ipsam Germaniam, doctrina Christi, translata est opera Regularium, ita sine eorum subsidio conservata diu non fuisset, vel saltem minus floruisset. Et denique ne Regularibus succenseat quisquam, quod privilegia sua tueantur, sciendum est, quòd sine consensu Sedis Apostolicæ iis renunciare, aut cedere non possint: *ut v. l. 2. Decret. tit. 43. de arbit. c. 5.* imò etsi faciant, irritum fore, & peccaturos, quia injuriam inferent Ordini, & Ecclesiæ toti.

*Nunc ad argumenta Marchantii breviter respõdeo.*

I. Affert authotitatem cujusdam P. Capuccini, qui *Parochianum obedientem* scripsit. Et huic quidem me paulò ante sat multas gravesq; authoritates opposuisse existimo.

II. Ait, quorundam Episcoporum praxin esse contrariam, eamque fundari in jure antiquo, & novo. *Trid. l. c. sess. 22. & sess. 24.* ubi dicit; Teneri unumquemq; Parochiæ suæ interesse, ad audiendum

dum verbum Dei, & rudimenta fidei: hæc autem in pleriſq; locis ruralibus docentur in Miſſa; ergò etiam ad Miſſam poſſunt compelli.

*Reſp. 1.* Praxin iſtam (ſic ubi eſt) paucorum eſſe, & contrariam praxi communi Epiſcoporum, in omnibus regnis & provinciis, & inſuper Præſulis ſummi.

II. Praxin iſtam, nec fundari in jure antiquo, cùm illi, (ſi quod fuit) per privilegia ſit derogatũ, & abrogaverit conſuetudo: nec in novo. Tum quia *Trid. l. c.* loquẽdo de concionibus & catecheſi, nullam facit mentionem Miſſæ: & in pœnalibus non valet illatio. Tum quia Tridentinum expreſſè addit, (quod *Marchantius* in ſua citatione omittit, cum tamen ad rem plurimum faciat) *ſi commodè fieri poteſt.* Tum quia nec illam quidem obligationem, quoad conciones, eſſe receptam, oſtendit univerſalis Eccleſiæ conſuetudo, eò quod fortè regulariter *commodè fieri non poterat*, ut notat *C. Lugo l. c.* Neq; Catecheſis communiter docetur in Miſſa, niſi fortè in pagis, ubi rarius contendunt Regulares cum Parochis de re præſenti. Denique neſcio, an non Epiſcopi, de quibus loquitur, ex numero fortè ſint eorum, de quibus Pius V. in Bulla: *Etſi Mendicantium*, queritur, quod etſi Epiſcopi Ordines mendicantes meritò colere, & adjuvare deberent, nõ ſolum id negligant, verùm etiam Concilii Tridentini verbis in parvum ſenſum detortis, eos incommodis & perturbationibus afficiant.

III. Citat decreta Synodi Leodienſis, & Namurcenſis ſubjungitq; : *Quis verò audiat hæc con-*

*de-*

*demnare, & Patres istius Synodi, inter quos multi Theologi fuerunt?*

Resp. Decreta ista (& si quæ fortè sunt similia) intelligenda esse, ne cum contemptu proprii Parochi audiant sacrum extra Parochiam: aut si quę sensum alium habent, non esse recepta, vel usu abrogata. *Ita Autt. citt. communiter.* Videri potest *C. Lugo l. c. Barbosa, & Zerol. a ll. cc.* & dignissimus lectu libellus *Francisci Fontani*, Concionatoris regii, cujus titulus: *Responsa, ad quæsita cujusdam primarii Prælati, &c.* excusus primum gallicè Nancæi, Anno 1625. postea verò latinitate donatus, & recusus Viennæ Austriæ, typis Michaelis Rictii, Anno 1634. Mitto rationes cæteras, quibus frequentationem Parochiæ (sine obligatione tamen) persuadere conatur; cum eam, utpote honestam imprimis atq; decentem, minimè improbare, sed erroneam tantum conscientiam impedire intendam, ne videlicet cum persuasione obligationis Parochialia, vel cum apprehensione peccati, Regularium templa frequententur.

## DUBIUM V.

### *Quæ excusent ab auditione sacri?*

Resp. Duæ sunt causæ, quarum altera si adsit, non teneris curare celebrari privatim in portatili cum privilegio, neq; (etsi id consilii sit) preces interim alias loco Missæ dicere, ut habet *Nav. c. 13. Suar. Fill. t. 5. c. 5. q. 11.*

*Prima* causa est impotentia, vel simpliciter, vel moralis, aut difficultas ex notabili incommodo, proprio vel proximi; corporis, vel bonorum, vel et-

etiam honoris: quia hæc est mens Ecclesiæ præcipientis instar discretæ & benevolæ matris. *Bon. d. 4. q. ult. p. ult. Nav. Fill. t. 5. cap. 7. q. 11, Suar. d. 85.*

*Secunda* causa est, quodcunq; motivum rationabile, quo quis bona fide putat se excusari. *v. Suar. in 3. p. s. 6. c. 5. Lay, & Bon. l. c.* Unde resolves,

I. Excusatur, qui sunt in navigatione, vel carcere. Item in morbo, vel convalescentia, in qua obsit prodire foras. Item, qui sunt in excommunicatione, vel interdicto; de quo suo loco.

II. Item, qui custodiunt castra, urbem, gregem, infantes, (vel puerũ, qui in templo quietus, & sine perturbatione aliorum contineri non potest) vel domum, aut ægris solatio sunt, aut coquere debent, & similia curare, quæ omitti non possunt. *Bon Con n. 86. & 314.*

III. Item, cui periculum est gravis offensionis mariti, parentum, vel dominorum. *Henr. Suar. Fill. n. 227.* Si tamen id ferè semper fieret, de alio medio laborandum esset.

IV. Item, si quis alioqui omissurus esset occasionem commodam itineris, v. g. socios, cum viam ignoret, vel pericula metuat. Alias vero tenetur ad Missam ante iter vel in itinere. *Suar. s. 6. Rodriq. Bon. l c.*

V. Si sit gravis difficultas eundi ad Ecclesiam ob distantiam, v. gr. unius vel alterius milliaris Germanici, vel etiam minoris spatii, maxime, si via sit molesta, cœlum pluvium. Ubi habenda est ratio personarum, loci, temporis, & consuetudinis *Bon. Suar. Fill. l. c. Marchant, Resol. past. t. 4. c. 6. n. 7.*

VI.

VI. Si ex consuetudine patriæ fœminæ egredi non soleant tempore luctus, vel etiam post partum, *Sylv. Cajet. Fill. n.* 229.

VII. Si quis non habeat vestes statui suo convenientes, *Nav. Henr. Sa. Azor. Bon. l. c.*

VIII. Si quæ ex occulta fornicatione prægnans metuat, ne id advertatur, si prodeat. *Laym. l.* 4. *t.* 5.

IX. Si quæ sciret, alteri, à quo perdite amaretur, secuturam occasionem peccati, si prodiret, *Sa. Fil. n.* 227.

## Caput II.

## *De IV. Præcepto: Honora Patrem, &c.*

### Dubium I.

### *Ad quid teneantur liberi erga parentes?*

Resp. Tenentur vi hujus Præcepti, tum genitoribus, tum superioribus, in iis rebus, in quibus quisque, & quamdiu subjectus iis est, amorem, reverentiam & obedientiam præstare; ita ut si notabilis horum defectus sit, in re gravi graviter peccetur: quod facilius fiet respectu parentum, quàm aliorum, *Ita communiter v. Fill. t.* 18. *p.* 2. *c.* 1. *Regin. l.* 2. *c.* 1 *&c.* Unde resolves.

I. Contra amorem graviter peccat filius, 1. si signa odii parentibus ostendat, & asperè tractet. 2. si torvo oculo ferè semper intueatur, ac ita asperè loquatur, ac si odio haberet, si non subveniat in gravi necessitate spirituali vel corporali. 4. si non impleat eorum testamenta & legata, modò hæres sit. 5. si grave malum, v. g. mortem illis optet. *Na. Regin. l.* 20. *n.* 8. *Fill. t.* 28. *c.* 1 *q.* 3. *&* 7.

II. Con-

II. Contra reverentiam graviter peccat filius, 1. Si percutiat etiam leviter, & secundum *Regin.* 2. Si manum ad percutiendum deliberatè attollat. 3. Si graviter contristet. *Regin. l.* 20. *n.* 24. *Fill. n.* 17. & 18. 4. Si animo deliberato ad gravem iram provocet verbis contumeliosis, vel talibus, quibus sciat graviter offendendos. 5. Si maledicta, convitia, &c. in eos conjiciat, *Nav. Fill. &c.* 6. Si pauperes despiciat, vel nolit agnoscere, quòd si tamen exterius tantùm dissimulet se nosse, & nolit apud se habere, ex justa causa, dummodo provideat de necessariis, *Bon.* excusat à peccato gravi, eò quòd rationabiliter non sint inviti. 7. Si in foro externo etiam de vero crimine accuset, extra crimen hæresis, proditionis, vel conjurationis in Principem, cum non est alius corrigendi modus, *v. Bon. d.* 6.

III. Contra obedientiam graviter peccat. 1. si in re gravi sit inobediens circa ea, quæ pertinent ad gubernationem domus, bonos mores, vel animæ salutem. *Fill. n.* 20. 2. si contra voluntatem parentis ducat uxorem se indignam. Indigna autem dicitur, cum qua non potest contrahere sine dedecore juxta suæ regionis usum, non tamen potest exhæredari idcirco. 3. si sine justa causa nolit eam ducere, quam vult parens; maximè si inde sopirentur odia, aut parentum necessitas levaretur. Erit autem justa causa, v. g. si sit impar familia, si infirma, deformis, fatua, vel immorigera. 4. si inconsultis parentibus nubat, ut habet *Sanch.* Potest tamen, ubi consuluit, ipsis invitis prudenter contrahere cum se digna: cum circa electionem status

sit

sit sui juris. *Less. l. 2. c. 40. n. 43. Sanch. l. 4. c. 15. Fill. q. 10. n. 20.* An & quomodo peccent liberi furando parentibus, vid. infra *l. 3. tr. 5. c. 1. dub. 4.* Item, an alienare possint bona, vid. infra *l. 3. tr. 5. d. 2. & li. 3. tr. 5. c. 4. d. 1.*

IV. Tenetur proles alere parentes egentes, adeò, ut si in gravi necessitate aliter juvari non possint, teneatur manere in seculo (nisi tamen in hoc illi certum, vel certò valdè probabile periculum salutis immineret) & si religionem sit ingressus, teneatur egredi, & juvare parentes, dummodo eorum necessitas ejus professionem antecesserit. *Fill. q. 5. n. 9. Bon. q. 1. p. 6.*

V. Si verò necessitas post professionem superveniat, si ea extrema sit, tenetur egredi, petita prius, licet non obtenta venia. Si autem sit gravis tantùm in qua ut cunque possint vivere, non tenetur quidem, potest tamen egredi, si Prælatus permittat. Quo casu tenetur, in quantum non obstat suo intento, deferre habitum, & observare substantialia Religionis: at postquam parentibus subventum est, redire. *v. Less. l. 2. cap. 41, dub. 3.* vid. & infra *tr. 5. c. 1. dub. 4.*

## DUBIUM II.

### *Ad quid teneantur parentes erga filios?*

Parentes, quo nomine etiam intelliguntur ascendentes, v. g. avus, proavus, &c. tenentur gravi obligatione juris naturalis, conservationem & educationem liberorum curare Circa quod ex *Bon. d. 6. q. 1. Azor. p. 2. l. 2. q. 17. Fill. tr. 28. c. 2.* resolvuntur hi casus.

I. Gra-

I. Graviter peccant parentes, qui sine justa causa, prolem hospitali, vel locis publicis exponunt, *v. Bon. hic & Fill. t. 21. p. 2. c. 2. & infra tr. 1. c. 1.*

II. Mater tenetur (sub veniali tamen) lactare proprio lacte, nisi habeat justam excusationem: tunc verò tenetur sub gravi peccato, bonam nutricem quærere. *Bon. d. 6. q. 1. p. 6. Laym.* Item tenetur secundum jura prolem alere ad finem anni tertii: postea educatio usque ad emancipationem spectat ad patrem. Excipe, nisi hic esset pauper, & mater dives. *Fill. Laym. l. 5. t. 10. cap. 3. Reg. l. 20. n. 32.*

III. Pater tenetur proli, non tantùm legitimæ, sed etiam (in quo jus civile à Canonico correctũ, juxta *cap. Cum haberet*) spuriæ curare alimenta, hoc est cibum, potum, vestitum, & honestas artes, juxta suum statum: nisi tamen aliunde se alere possit, & non indigeat; deinde etiam dotem filiæ. Et quidem Clerici, etiam ex fructibus Ecclesiasticis possunt hæc suis spuriis præstare. *Fill. l. c. t. 28. c. 2. n. 28. Laym. l. 5. t. 10. p. 3. c. 5.* vid. infra *tr. 5. c. 4. d. 5. q. 1.* Hinc peccant, 1. si non adhibeant diligentiam saltem mediocrem, ut acquirant bona, quibus filii alantur, habeantq; hæreditatem secundum suum statum. 2. si bona dilapidando impotentes se reddant, ad liberos honestè secundum statum suum educandos, ac dotandos. *Bon. d. 6. q. 1. p. 6. Az. Fil. &c.* si sine legitima causa filiæ dotem negent, (vel filium exhæredent) v. gr. quia vult ingredi, vel est ingressa Religionem, vel quia ipsis invitis nupsit, licet se indigno. *Bon. l. c. §. 2. ex Az. Reg. &c.* vel quia filius ordinem sacrum suscepit. Sicut enim

enim Pater tenetur dotare suas proles pro matrimonio vel ingressu Religionis, ita etiam ad suscipiendos sacros ordines. Neque hæc donatio est revocabilis: imò sic donata non posse computari in legitimam, aut divisionem cum fratribus, docet *Barb. & c.* 17. Contrarium tamen tenet *Mol. & c.* cum *Dian. p. 8. t. 6. A. 91. & 92.*

IV. Parens tenetur proli subvenire relicta religione, iisdem casibus, quibus proles parenti, quos vid. *superiore dubio cas. 4. & 5.*

V. Parentes gravi obligatione tenentur instruere liberos per se, vel alios, in necessariis ad salutem. Hinc graviter peccant, 1. Si quantum in ipsis est, non curent ut bonis moribus imbuantur, doctrinam Christianam, seu fidei rudimenta addiscant, pravorum consortia vitent, mandata Dei & Ecclesiæ observent, Sacramenta frequentent, à peccatis abstineant. *Az. Fill. Bon. l. c.* 2. Si occasiones peccandi ab iis nõ avertant, vel in locis, aut domibus suspectis habitare permittant. *Trull. l. d. 3. n.* 4. 3. Si consilio, vel exemplo malo depravent. 4. Si non objurgent, puniantque dissolutos: moderatè tamen; nam peccant etiam verberando immoderatè, v. g. ut notabiliter lædantur. *Sot. Sylv. Bon. l. c. & d. 3. de contract. q. ult. p. 3.*

VI. Tenentur etiam proli relinquere libertatem circa electionem status. Unde peccant, invitos ad matrimoniũ vel religionem cogendo, vel abstrahendo. Et quidem *Trid. sess. 25. de Reg cap.* 26. excommunicat cogentes ad monasterium filias.

VII. Etsi frater fratri, vel sorori, saltẽ in extrema, vel quasi extrema necessitate teneatur subvenire,

lege tum charitatis, tum pietatis: non tamen est ea obligatio, quæ inter parentes & liberos, cum non sit ista depẽdẽtia, *v. Less. l 2. c. 41. n. 54.* Unde si Professus est in religione, non tenetur egredi, ut succurrat. *Trull. l. 2. cap. 2. d. 24. n. 8. ex Suar. &c.*

*Quæres.* An filius aliquando possit à Patre privari hæreditate.

Resp. Potest ex justa causa, alias non, eaq; in testamento debet exprimi. *Auth. Sed hodie. C. de inoff. test.* Talis autem censetur,

1. Ingratitudo, ( nisi in gratiam Patris redierit ipsumq; pœnituerit ante testamentum conditum) ut si affecit Patrem gravi injuria, vel ejus vitæ insidiatus est, vel manus injecit, vel maleficis se immiscuit. *Bon. d. 3. q. 7. p. 5. ex Cov. Sanch, Azor. Molin. &c.*

2. Si novercam, seu Patris uxorem cognoverit carnaliter: si Parenti furioso, vel carcere detento, noluit succurrere, fide jubendo; si impedivit Patrem testari: si bona Parentum dilapidaverit, cum gravi ipsorum dispendio.

3. Si filia minor 25. annis luxuriosam vitam elegerit, &c. Circa quas.

*Nota.* Valere has causas, quando filius aliunde habet unde vivat: nam alimentis ad vitam necessariis privari non potest, cum debeantur jure naturæ, quod à jure civili tolli non potest. *Bon. d. 6. q. 1. p. 6. §. 3. ex Sanch. Mol. Azor. Reg. Fill. Trul. l. 4 c. 1. d. 3. & tom. 2. l. 7. c. 17.*

Du-

## DUBIUM III.

### *Ad quid teneantur tutores, & curatores, qui parentum sunt loco?*

Tutor (idem est de curatore) tenetur curam gerere pupilli, ejusq; bona ritè, & fideliter administrare. Ratio. Quia in hunc finem constituitur, & assignatur pupillo patris loco. Quare si delinquat, vel notabiliter sit negligens hac in re, peccat graviter, & ad compensationem damni, quod pupillus ex eo accepit, obligatur, (& saltem de dolo & culpa lata) imò etiam, si tutoris officium exercet pretio, (quod tamen si ab initio non est constitutum, censetur suscepisse gratis) tenetur etiam de levi culpa. *Bõ. de cont. di. 3. q. 19. p. 4.* Unde resolves.

I. Tutor tenetur tueri personam pupilli dum opus est, eumq; moribus imbuere, & benè educare, per se vel alios. *Bon. l. c.*

II. Tenetur bona pupilli fideliter administrare, ideoq; (officium tutoris suscipiens) inventarium conficere, alioqui damna ex ejus defectu secuta resarcire: nec licet illi pupillo pecuniæ nimium ad usus inutiles concedere.

III. Tutor (uti & Curator) tenetur conservare omnia jura, bona & actiones pupilli, (vel Minoris) & bona alias peritura vendere, pecuniamq; convertere in emptionem bonorum stabilium, vel in censũ, &c. prout fuerit utilẽ. *Ib. ex Reb. p. 2. l. 17 q. 1.*

IV. Si tutor, vel curator pecuniam pupilli convertit in suos usus, tenetur ad restitutionem totius lucri cessantis, vel damni emergentis, quod inde accepit pupillus, vel Minor. *l. c. Rebel. q. 17.*

V. Tenetur item ad restituendos fructus (deductis expensis) quos ex bonis pupilli percipere poterat, & sua culpa non percepit. *Sylv.V.tutor.§ 4.Rebel.l.c.*

VI. Tenetur nomina debitorum exigere, & debita pupilli persolvere, ita tamen ut quantum fieri potest, bono pupilli consulat. *Sylv.Rebell.ll.cc.Tabiena ib.*

VII. Tutor vel Curator non potest donationes, vel remissiones gratiosas facere de bonis pupilli: quia non ad destruendum, sed tuendum est constitutus. *Ibid.* Excipe donationem remuneratoriam, sic enim potest, v.g. stipendio debito pro liberali servitio aliquid addere, ex liberali donatione. *Moli.Lug.d.23.s.10. Sanch.Trull.l.7.c.17.d.8.v.Dian.p.8.t.6.R.17.*

VIII. Denique tenetur (officio finito) reddere rationes: quia hoc onus est commune eorum, qui bona aliena administrant. *v.Bon.de contr.d.3.q.19. p.4.* & infra hoc libro, *t.4.c.3.in appendice ad contractus.*

## DUBIUM IV.

### *Quæ obligatio Dominorum & famulorum, aliorumq; Superiorum & inferiorum erga se invicem?*

Resp.I. Domini, & Superiores tenentur habere curam famulorum, aliorumque suorum subditorum. Patet ex 1.*ad Tim.1.Si quis suorum, &c.* Et ratio est, quia sunt ipsorum caput, & vices parentum gerunt, ideoq; tenentur quodammodo ad eadem, ad quæ parentes. Imprimis verò curare tenentur, quan-

quantum in ipsis est, ut servent præcepta Dei, & Ecclesiæ, *Bon. d. 16. q. 1. p. 8.* Unde resolves.

I. Peccant Domini graviter, 1. Si sine justa causa impediant famulos, ne festis Missam audiant; vel si festis opera servilia imponant, vel si jubeant ea, quæ sine peccato fieri non possunt, *Nav. c. 14.* &c. Si peccandi occasionem permittant, cum possint impedire: aut si graviter delinquentes non corrigant, vel negligentes necessaria ad salutem non moneant, corripiant. *Bon l. c.*

II. Peccant item graviter, 1. Si gravibus injuriis afficiant, diabolos, canes, &c. appellent. *Bon. l. c. & Trul. l. 4. c. 1. d. 6.* licet *Dia. p. 7. t. 7. R. 47.* excuset à peccato talem contumeliam: quòd ex ira & indeliberatione soleat proferri. 2. Si alimenta convenientia non præbeant: mercedem justam (dummodo fideliter serviverint) non solvant, vel differant absq; rationabili causa, *Ibid. 3.* Si ante elapsum terminum temerè domo expellant: in quo casu, (nisi gravissima ex causa id fecerint) tenentur ad solutionem integræ mercedis, *Less. Azor. c. 14. q. 1. n. 117, Regin. Mol. &c. Esc. t. 3. E. 9. n. 33.* 4. Si eum, qui liberos aliosve domesticos, verbis, exemplo, vel moribus pravis corrumpit, & reprehensione non emendatur, è domo non dimittant. *Nav. c. 14. Azor. Trul. d. 61. n. 2.*

III. Herus non tenetur famulo infirmo (quamdiu ægrotat) dare salarium, (nisi in extrema, vel gravi necessitate: tunc enim debet ex charitate) imò sumptus in ejus curationem impensos potest repetere. *Mol. l. 1. t. 28. c. 4. n. 8. Esc. t. 3. c. 9.*

Resp. II. Famuli, cæteriq; subditi, tenentur suis

dominis & superioribus aliquo modo eadem, quæ filii parentibus, nimirum amorem, reverentiam & obedientiam præstare. Ratio patet ex dictis, quia sunt illis, quasi loco parentum, *S.Thom 2.2.q.103. Regin.l 20.n.62.* Unde resolves.

I. Peccant famuli graviter, 1. Si non laborent, vel serviant fideliter; tenenturq; ad compensationem damni, *Molin. Less.l.2.ca.24.* 2. Si grave damnum inferant, vel inferri permittant, cum possint impedire. *Navar.cap.14.n.22. Fill.t.28.c.3.q.10. Regin.l c.* Et quidem si damnum illud inferatur, (sive à consamulis, sive ab extraneis) in rebus, quarum cura ipsis commissa est, à restitutione non possunt excusari, *Molin. Less.l.2.ca.23.d.10.n.65. Fill.t.36.c.6.q.9.n.114.* 3. Si absque gravissima causa discedant à domino ante terminū elapsum: ultra hunc verò manere tenentur, etiamsi morbo impediti servire aliquamdiu non potuerint, *Mol. l.c. Regin.n.517. Escob.E.7.n.50.* 4. Si domino in rebus magni momenti non obediant. *Bon.l.c.*

II. Famuli non peccant; si sustentationem, vel mercedem justam domino negante, utantur compensatione occulta. *Molin.l.c. Fill. tr.36.ca.6.q.3.* dummodo tamen alius modus non sit impetrandi; nec plus accipiatur, quam debetur, neq; scandalum, aut aliud incommodum grave timeatur, *v. Bon. de restit.d.2.q.ult.p.2.n.16.*

III. Similiter pro obsequiis, ad quæ non tenebantur, præstitis, (si quidem illa non gratis & liberaliter, sed animo mercedis exhibuerint) licere ex rebus domini accipere compensationem, quæ aliter obtinere non possit, docet *Nav.c.17.n.108.*

Less.

*Less. l. c.* Plura de his v. infra *t. 5. c. 1. d. 4. & c. 3. d. 10. & Bon. d. 6. q. 1. p. 8.*

## DUBIUM V.

### *Quid teneantur Conjuges erga se mutuò, vi hujus præcepti?*

Resp. Uxor in iis, quæ spectant ad domus gubernationem, & bonos mores, tenetur obedire marito, hic verò uxorem, non ut servam, sed ut sociam tractare. Ratio est, quia maritus est caput, & uxor commembrum. *Nav. c. 14. n. 20. Tol. Fill. t. 28. c. 9. q. 6. n. 144. commun.* Unde resolves.

I. Conjuges peccant 1. Si debita intentione non contrahant matrimonium. 2. Si sine dispensatione prætermittant proclamationes. 3. Si Sacramentum matrimonii in statu peccati mortalis recipiant. 4. Si utantur matrimonio contra naturam, vel modo indebito, vel cum periculo abortus. 5. Si debitum sine justa causa negent. 6. Si cum periculo pollutionis tactus habeant impudicos.

II. Peccat graviter uxor, 1. Si maritum rixis, vel aliter verbis ad gravem iram, vel blasphemiam provocet. *Fill. l. c. n. 145. & Bon.* 2. Si quid notabile expendat contra voluntatem viri, & consuetudinē fœminarum similis status, nisi tamē ex paraphernalibus, si habet. 3. Si spreto viro sibi imperium vendicet. 4. Si nolit sequi virum domicilium mutantem, dummodo possit sine periculo vitæ, & salutis, & contrariū nō sint pacti; & maritus post nuptias non sit factus vagus. *Nav. Tol. Bon. p. 7.* v. infra *t. 5. cap. 1. d. 4. §* 5. Sine sufficiente indicio malè

judicet de mariti incõtinentia. 6.Si sine justa causa debitum neget,v.infra *l.6.* 7.Si se ingerat in administrationem domus sine justa causa,qualis est, si v.g. maritus prodigus bona familiæ dilapidet. *Sylv.Trul.c.1.d.4.n.18.*

III. Peccat graviter maritus,1.Si verbis contumeliosis,vel infamatoriis afficiat uxorem.2.Si impediat illam circa præcepta Dei vel Ecclesiæ,sine justa causa.*Sayr.l.7.c.7.Nav.c.14.*Si verò impediat,etiam sine causa,circa ea bona,quę consilii tantum sunt,ut est confessio, communio,&c. communiter tantũ peccat venialiter,nisi constet,quod magnam ex iis utilitatem percipiat,*Sayr.Fill.Bon. q.1.p.7.Trul.* 3.Si cædat graviter,moderatè tamen castigare verbis,vel etiam ex gravi causa moderatis verberibus,habita ratione conditionis&status, quandoq; potest. 4. Si alimenta neget,nisi tamen uxor à consortio mariti propria culpa discesserit, 5.Si negligat gubernationem do mus,&rem familiarem.6.Si uxori nõ cohabitet, vel sine justa causa diu absit. 7.Si cum possit alimenta non procuret,v.*Fill.n.*140 *&*141.*Nav.c.14.n.19.Tol.l.5.c.2. Sanch.l.*10.*de matr.di.*18.*n.*16.*Bon.p.7.*

## DUBIUM VI.

*Quæ obligatio Parochorum erga suos?*

Resp. Curatus, sive Parochus jure divino tenetur,

I. Residere in sua Parochia. *Trid.sess.*23.*c.*1.*de refor.Bar.de off.Paroch.ca.*8.*n.*1.alioqui in conscientia fructus non facit suos, teneturque pro rata absentiæ restituere fabricæ Ecclesiæ,vel causæ piç.

Po-

Potest tamen ex justa causa & licentia Episcopi ad breve tempus abesse, *v. Nav. c. 25. Az. t. 2. l. 2. c. 4. Posseu. Barbos. Trul. l. 4. c. 1. d. 8.*

2. Tenetur administrare Sacramenta, quoties & quanto cum periculo. *v. infra &* Bon. *t. 1. d. 4. q. 5 p. 2. Poss. Barb. ll. cc.*

3. Orare pro populo, & celebrare, ut populus audiat Missam: quam etiam teneri eum eidem applicare diebus saltem festis, & aliquot aliis, docet *Tol. l. 3. c. 5.* Sed negat *Suar. Côn. in 3. p. q. 83. a. 1. d. 11.* cum nullo jure id cautum sit. *v. Bon. q. ult. Barb. l. c.*

4. Docere populum, concionando, arguendo, &c. per se vel alios, *Tol. l. 5. c. 5. Poss. Barb. Trul. ll. cc. v.* supra.

5. Tenetur singulis diebus Dominicis, & festis solennibus populo doctrinam Christianam explicare, per se vel alium, ut constat ex *Trid. Sess. 24. c. 4. de ref.* idque sub gravi obligatione etiam juris divini, ob summam necessitatem, propter quam eos ab Episcopis, aliisq; Prælatis ad id cogi posse sub pœna excommunicationis, (omnesque alios, ut eam audiant, discant & sciant) docet *Trul. l. 1. c. 1. d 4. n. 7. &* 8. *Baldel. to. 2. l. 1. d. 48. ex Sanch. Pala. Barb. &c.*

6. Tenetur infirmos visitare, pauperum curam habere, peccata corrigere, &c. de quibus *Poss. Reg. t. 2. l. 20. c. 5 s. 3. Barb. c. 7.* v. supra.

## DUBIUM VII.

### *Quæ obligatio Præceptorum & discipulorum?*

Resp. Inter Præceptores (idem est de pædagogis)

gis) & discipulos est quodammodo eadē obligatio, quæ inter parentes & liberos: *Vnde resolves.*

I. Discipuli peccant. 1. Si Præceptoribus & pædagogis non exhibeant honorem & reverentiam. 2. Si non obediant in rebus pertinentibus ad studia, & bonos mores. 3. Si eos convitiis, vel contumeliosis verbis traducant 4. Si negligenter studeant, scholarum aut studiorum tempore lusui vacent, vel otio. 5. Pecunias parentum dilapident, vel inutiliter expendant. 6. Malo fine studeant. 7. Gymnasii sui leges, vel Academiæ statuta (siquidem ea ad peccatum obligent) non servent. 8. Scientias superstitiosas aut vetitas addiscant, vel libros prohibitos legant 9. Stipendium debitum doctori suo non solvant, cum possint, *v. Nav. c. 13. & 21. Fil. tr. 28. p. 2. c. 10 q. 1.*

II. Magistri & pædagogi peccant, 1. Si peccata discipulorum dissimulent, & non corrigant, quando possunt. 2. Profectum eorum in literis non sedulò promoveant, 3. Non doceant bonos mores. 4. Si ex proposito falsa doceant, ut vera, vel superstitiosa & saluti noxia. 5. Non studeant ipsi, ut officio satisfaciant. 6. Si stipendium exigant majus justo, vel quàm Gymnasii leges, aut consuetudo permittat. 7. Doctoratus insignia negent dignis, vel indignis conferant, quod *Nav.* dicit esse mortale, præsertim in Theologia, Jure Canonico, Civili, & Medicina: nam in Philosophia fortè veniale tantum esse censet *Caj. V. Doctoratus.* 8. Si discipulis malo sint exemplo. 9. Si malis moribus imbutos, & qui aliis pernicioso sunt, ad scholas admittant, vel eos non dimittant. *v. Trul. l. 4. cap. 1. dub. 11.*

TRA-

# TRACTATUS IV.

## *De V. & VI. Præcepto.*

## CAPUT I.

### *Quid Quinto Præcepto prohibeatur?*

*Non occides.*

PRohibetur hominis occisio, mutilatio, verberatio, aliaque similis affectio injusta; de qua quæritur, quæ & quando sit injusta?

### DUBIUM I.

### *An aliquando liceat occidere, vel mutilare semetipsum?*

Resp. Absque divina authoritate non licet seipsum directè, & ex intētione occidere. Ratio, quia est contra charitatem sui, & fit injuria Reipub. & Deo, qui est solus directus & absolutus Dominus humanæ vitæ. Dixi 1. *absq; authoritate Divina*, propter Samsonem & quosdam Martyres, qui seipsos occiderunt, vel ex divina inspiratione, vel inculpata ignorantia. Dixi 2. *directè*: quia indirectè quandoq; licet se occidere, h.e. aliquid facere vel omittere, ex quo præter intentionem mors certò sequatur: quia præceptum conservandi vitam, utpote affirmativum, non semper obligat, sed potest omitti propter bonum finem, necessitatem, vel magnam utilitatem, *S. Thom. 2. 2. q. 94. v. Fill. hic t. 29. c. 4. q. 5. & Bec. 2. 2. t. 3. c. 7. q. 8.* Unde resolves.

1. Miles potest, imò tenetur persistere in statione, etsi moraliter certus sit se occidendum. *C. Lug.*

*d.*10.*q.*1. Item posse ad evertendam turrim hostilē, aut perdendos hostes , pulverem incendere, etsi sciat se obruendum, uti & navem mergere, vel incendere , ne hostis ea potiatur cum gravi Reipub. damno, docet *Less l* 2.*c.*9.*n.*32. *Fagund. tom.*1 *l.*5.*c.* 11. Similiter licet se objicere telo, vel ictui, ad servandam vitam Principis , amici ad mortem injustè damnati vices subire, *Less l.*1 *c.*9.*n.*10. vel in naufragio tabulam cedere, ex *Tol. Less l. cit. Lopez.* 1.*p.c.*65. Item servire peste infectis, vel ad fugiendum incendium ex alto se præcipitem dare, cum certo periculo mortis, *Less & Fill. l. La.*; *c.*1.*n.*3. *c.* *Lug. di* 10.*s.*1. Ubi tamen eversionem illā turris & combustionem navis (si quidem nulla sit spes evadendi) timidè, & nonnisi ex gravissima , v.g. boni publici causa, videtur concedere, *vid.n.*51.52 *&c.* *Malderum tr.*3.*cap.*1.*dub.*19. *Dian.p.*5.*tr.*4.*Res.*26. *Fagund.p.*5.*c.*11.*n* 6.*& seq.*

II. Etsi virgini non liceat ad castitatem servandam directè se occidere, licet tamen ei certo periculo mortis se exponere, etiam pro sola integritate corporali, licet rationabiliter præsumere se non consensuram : quia integritas ista magni æstimatur: *v. Laym.c* 1.*n* 3.

III. Reo licet non fugere, imò etiam sponte se sistere judici plectendum , licet positivè se ipsum perimere non possit, etiamsi à judice id ei committatur, *v. Less.c.*9.*d.*6. *C. Lugo d.*10.*de just.s.*1, *n.*38. contra *Vasq.*1.2.*d.*173.*c.*3.

IV. Etsi Carthusianus in extrema ægritudine possit servare vitam vescendo carnibus, idq; probabiliter ei tum liceat, (atq; adeò non peccet, qui

inscio præberet cibos ex carnibus, *Sanch. Dia. p. 8. t. 7. R. 70.*) licitè tamen & laudabiliter etiam tum omittit, cũ certo periculo mortis, ut contra *Vasq. & Gran.* docet *Dia. p. 5. d. 4. R. 32. ex Vict. Lorc. &c.* quia rationabiliter negligit vitam pro bono communi ordinis, *de Lug. d. 10. n. 33.* contra *Az. & Esc. t. 6. c. 7.* ubi docet, teneri carnib. vesci, si exigit necessitas, ita ut aliter vitã conservare non possit: quod *Sanch. p. 2. cons. l. 5. c. 1. d 35.* cum *aliis sex* ita distinguit: si necessitas vescendi sit ab intrinseco, v. gr. morbo, ex quo judicio medicorum convalescere non possit, nisi esu carnium, ait probabilius esse, nõ teneri vesci, (tametsi licitè possit) quia morietur naturaliter ex morbo, cujus ipse non est causa: si verò sit ab intrinseco (v. g. si ob inopiam aliorum ciborum fame moriendum esset) teneri vesci, quia mors illa, cum sit violenta, ipsi imputaretur.

V. Licet carnem vigiliis & inediâ moderatè affligere; qui autem advertens vitam iis notabiliter minui, nihilominus cõtinuaret, peccaret graviter, ut notat, *Lay. di. 3. de just. t. 3. p. 3. cap. 1. n. 5. ex Cajet.* Etsi hic multi ob bonam fidem, & zelum Deo placendi excusentur, *v. Bon. d. 2. q. ult. s. 1 p. 7. n. 9 Fill. l. c. C. Lugo. de just. di 10. s. 1, n. 32. 33. 36. &c.* Ubi rectè notat, aliud esse procurare abbreviationem vitæ, seu mortem positivè sibi afferre; aliud permittere, vel periculum ejus subire, vel non adhibere media ad avertendam. Prius ait esse illicitum, v. g. pœnitentiis indiscretis, carnisq; macerationibus, vitã notabiliter abbreviare: posterius verò sæpè licere, ideoque non teneri Carthusianum carnibus vesci, nec aliquem alium uti pretiosâ & exquisitâ

medicina ad mortem vitandam; nec ſecula rem relicto domicilio quærere ſalubriorem aërem extra patriam.

VI. Excuſantur ægri, qui paulò ante mortem, cauſa humilitatis; vel boni exempli, petunt humi collocari: quia non intendunt vitam abbreviare, *v. Vaſq. l. c.* Addit *Lay. l. 3. t. 3. p. 3. c. 1. n. 5.* non teneri quenquam mediis extraordinariis, & nimis duris, v. g. abſciſſione cruris, &c. vitam conſervare: niſi tamen ea communi bono ſit neceſſaria, *v. Leſſ. l. c. Sanch. in opuſc. tom. 2. l. 5. c. 1. d. 34.* Ubi dicit, infirmum in periculo mortis, ſi ſit ſpes ſalutis, non poſſe medicamenta reſpuere. Non videtur tamen virgo ægrotans (pe ſe loquendo) teneri ſubire manus Medici, vel Chirurgi, quando id ei graviſſimum eſt, & magis quàm mortem ipſam horret, *Eſcob. E. 7. c. 8. ex Turrian ſum. p. 1. c. 263. dub. 5.*

Reſp. II. Non licet ſe mutilare, niſi ſit neceſſarium ad conſervationem corporis totius: quia nemo eſt ſuorum membrorum abſolutè dominus, *Leſſ. l. 2. c. 9. d. 14.* Unde reſolves.

I. Non licet ſe caſtrare ad conſervandam caſtitatem, vel ſedandas tentationes: quia hoc ad eum finem non eſt neceſſarium. *S. Thom. 2. 2. q. 65. a. 1. Leſſ. Moli. Fill. tr. 29. c. 4. q. 3. &c.*

II. Peccant parentes, qui filios etiam conſentientes caſtrant, ut ſint utiles cantui, *v. Laym. l. 3. t. 3. c. 1.*

*Quæres.* An ſepeliendus ſit in loco ſacro, qui ſe ipſum occidit?

Reſp. Id vetant Eccleſiæ Canones: qui tamen non ſunt intelligendi de iis, qui ex furore, amentia vel

vel passione gravissimæ tristitiæ, turbata phātasia, id fecerunt, vel qui ante mortem verè de hoc doluerunt. Quòd si constet quempiam se ipsum occidisse, & dubitetur utrum deliberatè, an ex animo turbato factum, in praxi privatur sacrâ sepulturâ, cum præsumatur secundùm opus externum volūtariè esse factum: nisi tamen ex circumstantiis contrarium colligatur. Si verò dubitetur, à seipso, an ab alio, v. g. sit præcipitatus in aquam, delictū tam atrox & contra naturam non præsumitur sine evidentib. indiciis. *Mol. t. 3. di. 20. v. Lay. l. c. n. 8. V. etiā Escob.* E. 7. c. 8. ubi dicit, eum qui moritur ex vulnere in duello accepto, si vivus ex loco discessit, non esse privandum sepulturâ Ecclesiasticâ.

## DUBIUM II.

### *An & quomodo liceat occidere malefactorem?*

Resp. Extra causam necessāriæ defensionis, de quo infrà, nulli id licet, nisi authoritate publica, & juris ordine servato, ut patet *Exod.* 12. *Rom.* 13. Unde resolves.

I. Non licet marito uxorem, aut patri filiam occidere in adulterio deprehensas: quia ad id non habent auctoritatem publicam; & leges civiles id permittentes, à Jure Canonico sunt correctæ, tanquam iniquæ. Secus est de proscriptis, quos occidendi cuivis authoritas publica datur: idque non injustè, cùm ad Republ. defensionem sit necessarium. Peccant tamen, qui non ex zelo justitiæ, sed odio, aut privatæ vindictæ causa faciunt, *v. Laym. l. c.*

II. Peccat Princeps, vel Magistratus, (regulariter loquendo) ut *v.infra l.5.c.3.dub.1.* qui occidi jubet eos non citatos, vel non auditos, vel non damnatos, etsi privata scientia constet esse nocentes, quia ex jure naturæ actus publicus fieri debet ex scientia & authotitate publica, *vid.Cajet.V.homicidium.Fill.tr.29.cap.2.q.6.n.27.Bon.l.c.p.1.n.7. v.& infra l,5.c.3.d.1.*

## DUBIUM III.

### *An, & quomodo liceat occidere privata authoritate iniquum aggressorem?*

Resp. Jus naturæ permittit, ut vim vi repellas, & aggressorem, qui iniquè eripere tibi conatur vitam, aut quæ ad eam honestè agendam tibi sunt necessaria, ut bona temporalia, honores, pudicitiam, membrorum integritatem, prævenias & occidas: ita tamen, ut id fiat animo te defendendi, & cum moderamine tutelæ inculpatæ; hoc est, non inferendi majus damnum, nec utendo majore vi, quàm necessarium est ad arcendam injuriam, *Ita commun.S.Thom.q.74.a.7.Mol.&c.Less.dub.8.n.* 44 Unde resolves.

I. Non licet reo occidere ministros justitiæ, à quibus ad carcerem, vel supplicium trahitur: uti nec licet id proscripto, ut notat ex communi *Lay. l.3.t.3.p.2.* quia non sunt iniqui aggressores.

II. Etsi ob contumeliam aliquam, v.g. si viro honorato dicatur, *mentiris*, non liceat alterum occidere, eò quòd aliter repelli possit, ac soleat, *Less. Az.Hurt.&c.Dia.p.5.t.4.R.12.&13.* licere tamen, si

si aggressor fustem, vel alapam viro valdè honorato impingere conaretur, quam aliter avertere non posset, docent cum *Dian.l.c.R.4. Less. Hurt. & alii.* 12. verum & hoc videtur in praxi periculosum.

III. Si fuste, vel solo vulnere, vel amputatione brachii, vel aliter arcere injustam vim potes, non licet occidere. Unde si quis sit persona talis, cui non sit dedecus fugere, debet fugere potius, si potest; & salvare se: secus autem, si turpe sit fugere, v. g. viro nobili, vel officiali bellico; nisi rursus hic & nunc id tali turpe non esset, ob præstantiam invasoris, vel alias ejus qualitates, v.g. quia ebrius est, vel amens; talem enim occidere non licet, quando potes fugere *Mald. Dian. p. 5. t. 4. R. 9. v. Laym. l. 3. t. 3. p. 3. c. 3.*

IV. Non licet occidere furem, ob res exiguas: licet autem, si quis auferat honorem valdè notabilem, aut bona magni momenti; nisi tamē alia via, v.g. juris, vel aliter, arceri aut recuperari possint. Quare quando jura significant, furem nocturnum occidi impunè, non autem diurnū, præsupponunt, quòd plerunq; nocturni non possint aliter arceri, diurni autem possint. Alioquin enim, si nocturnus potest capi, non debet occidi; & si diurnus nō potest capi, nec reperi ab eo, quod aufert, nisi occidendo, id licet: ea tamen non debent esse parvi momenti, & minimum unius aurei secundum *Mol. to. 4. t 3. di. 16 num. 7. v Laym. c. 3.* vel potius secundum alios apud *Dian. p 5. t. 4. R. 18.* duorum; quanquam & hoc *Dianæ l. c.* nimis laxum videatur, imò *Bon. de rest.* rem non magni valoris hic censet, etsi sit trium vel quatuor aureorum m. Si tamen talē

V. 31. Jun. XI.

(tur,

(fur. v.g.) usurpet vidente ac resistente Domino, aut Custode, aut huic vim faciat, v.g. repetentem incipiat ferro invadere, permittunt cędē, *Bon. Dia. &c. l c.* uti etiam, si dubium sit, an res possit aliter salvari, aut recuperari. *Bonac. l.c.* quia nemo inquit tenetur se exponere periculo amittendi res suas. *v. Laym. c.3. Navar. Less. Dian. l c.*

V. Probabilius est, hæc etiam licere Clericis & Religiosis, ob bona temporalia. Jura verò in contrarium afferri solita, intellige, quando non servatur moderamen inculpatæ defensionis, *Laym. l.c. Tan tom.3. di.4.q.8.d.4. Escob.E.7.c.8.* ubi etiam docet ex *Tan.tom.3.d.4.n.68.* licere virgini occidere invasorem pudicitiæ, si violationem nequeat aliter evadere.

VI. Cùm tamen iniquus aggressor sit in periculo salutis, potest quis ex charitate ei parcere, & injuriam potiùs pati: sed non tenetur, eò quòd alter sua malitia sit in isto periculo. *Laym. Ibid.*

VII. Non licet occidere, si injuria jam est contracta, vel aggressoriam fugit: quia id non esset defendere, sed vindicare, ut docet *Tol. Rodriq.* Sed *Henriq. & Navar. c.15.n.5. Fernandez p.1.c.9.§.1.* dicunt, si lęsus magnam faceret jacturam honoris, nisi fugientem mox persequeretur, posse eum persequi, & percutere, quantum esset satis ad defensionem honoris. Quod *Laym. Bon. Less. Fill. C Lugo, &c.* putant practicè vix posse fieri, sine vindicta; etsi speculativè videatur esse probabile, *v. Dian. p.2.t.1. misc. Res.15.* Concedit tamen *C. Lugo, Molin. Less. &c.* cum *Dian. p.8.t.7.R.47.* licere furem fugientem, v.g. cum equo tuo, conficere telo vel sagit-

gitta; quia invasio adhuc durat. Etsi verò id non liceat, postquam in tutũ se recepit, si tamen per Judicem non possis recuperare rem tuã, potes ingredi locum, ubi illa detinetur, eamq; tibi vindicare, & si alter vi impediat, vim vi repellere, *Tan. Less. Mald. Hurt. Dian. p. 5. t. 4. R 37. & p. 8 t. 7. R. 47.*

VIII. Ad defensionem vitæ, & integritatis membrorum, licet etiam filio, religioso, & subdito, se tueri, si opus sit, cum occisione, contra ipsum parentem, Abbatem, Principem: nisi fortè propter mortem hujus, secutura essent nimis magna incommoda, ut bella, &c. *Sylv. Bon. p. 8.*

IX. Licet quoque occidere eum, de quo certò constat, quod de facto paret insidias ad mortem: ut si uxor v. gr. sciat se noctu occidendam à marito; si non potest effugere, licet ei prævenire, *Nav. Less. n. 45. Fill. n. 39.*

X. Quandocunq; quis juxta supra dicta habet jus alium occidendi, id potest etiam alius pro eo præstare, cum id suadeat charitas. *Fil. Tan. tom. 3. d. 4. q. 8. Molin. d. 18.* An autem, & quando ad hoc teneatur, *v. Less. l. 2. c. 9. d. 13. Dia p. 5. t. 4. R. 9. 14. 20.*

## DUBIUM IV.

### *An aliquando liceat occidere innocentem?*

Resp. Directa intentione, & scienter nunquam licet, nisi Deus omnis vitæ Dominus concedat. Indirectè autem, & per accidens, aliquando licet, utendo nimirum suo jure, & dando operam rei licitæ, & necessariæ, ac tanti momenti, ut vitæ æquivaleat, *S. Tho. & Doct. commun.* Unde resolves.

I. Si

I. Si Tyrannus minetur urbi excidium, nisi innocens occidatur, id non licet directè. Neq; valet, sicut membrum licet abscindere pro salute corporis, ita ut civem pro Repub. quia homo est tantùm pars moralis Reip. à qua non accipit esse, & vivere, sicut membrum corporis à corpore, *Mol. tom.4.t.3.d.19. Less Fill &c.*

II. Potest tamen Respub. eo casu talem cogere, ut Tyrannum adeat, & si nolit, tradere; cùm ex charitate & justitia legali teneatur vitam exponere pro Repub. Unde si id renuat, fit nocens. Neq; hoc erit cooperari ejus morti, sed tantùm permittere; cum traditio de se sit indifferens, & mors tantum sequatur indirectè, & præter intentionem Reipub. *Mol.l.c. Less.l.2.c.9.d.7. Fill.t.29 n.11 Lay. &c.* Limitat autem *C. Lugo d.10. de just.* si innocens sit subditus, vel peregrinus teneatur mori pro Rep. aliena.

III. Si fugere non possis mortem, persequente hoste, nisi per viam angustam, qua quispiam istic sedens esset obterendus, licet nihilominus (dummodo tamen, si infans est, sit baptizatus, ut monet *C. Lugo & Escob. Ex.7.c.8.*) fugere cum ejus periculo & interitu, præter tuam intentionem, *Less.n. 59. Fill.n.36.*

IV. Similiter ad expugnandam urbem, & victoriam reportandam, si necessarium sit, licet tormenta in eum locum dirigere, ubi multi sunt innocentes: quia horum mors præter intentionem sequetur. *Less.l.c.*

V. Non licet occidere obsides, etsi, qui eos miserunt, non servent fidem: quia sunt innocentes.

*Bon.*

*Bon. t. 2. d. 2. q. ult. ſ. 3. p. 7. Dia. p. 5. t. 4. R. 35.* contra *Azor. &c.*

*Quæres.* An aliquando liceat procurare abortum?

*Reſp.* Quicunq; malitiosè in ſe, vel altero curat abortum, peccat graviter, ſive fœtus ſit animatus, quia eſt verum homicidium; ſive non, quia tendit ad occiſionem hominis, & eſt contra naturam generationis. *Leſſ. d. 10. n. 71.* Si tamen ad vitam matris conſervandam omninò ſit neceſſarium, ſequentes Regulæ tenentur. 1. Si fœtus mortem matri allaturus probabiliter necdum ſit animatus anima rationali, (animari autem communiter ajūt, marem die quadrageſimo, fœmellas verò octogeſimo, quę res valdè incerta eſt) quidam permittunt, etiā directa intentione expelli, ut *Sanch. l. 9. de matr. d. 20. n. 9. & 10. Henriq &c.* contra *Leſſ. l. 2. ca. 9. d. 16.* & alios, quorum ſententia in praxi ſuadenda: quorſum enim directè expelles, cum indirectè liceat, & ſufficiat? 2. Si verò fœtus ſit animatus, materq; judicetur moritura cum prole, niſi medicinam ſumat, licet eam ſumere, & ſecundum quoſdam, tenetur, intendendo directè, ſuam tantùm ſanitatem, etſi indirectè, ac conſequenter deſtruatur fœtus: quia in pari neceſſitate mater poteſt magis proſpicere ſibi, quàm proli 3. Si verò cum morte matris, ſpes vitæ & baptiſmi prolis affulgeat, tenetur mater ſecundum plerosque ſub mortali abſtinere ab omni remedio deſtructivo prolis: quia tenetur vitam corporalem exponere, pro extrema neceſſitate ſpirituali infantis. Contrarium tamen docet, *Lud. Lopez.* quod

quod *Sanch.* T. *Charitas* dicit esse probabile. *v. Less. l. c. Sanch. Fill. c. 29. d. 6. q. 1. Bon. t. 8. n. 3.*

## DUBIUM V.

### *De Duello & Bello.*

### ARTICULUS I.

#### *Quid sit, & an liceat duellum?*

Resp. Duellum est duorum (vel subinde etiam plurium) certamen, quod ex condicto, uno indicente, & altero acceptante, suscipitur, ita ut id, non sit vitam defendere, sed exponere periculo. Quod etsi communiter sit mortale peccatum, licitum tamen est ex justa causa, quæ semper est attendenda. *v. Triden. sess. 25. c. 19. de reform. Sanch. 2. mor. c. 39.* Item de pœna duellantium. *vid. infra de excom. & Sanch. l. c.* Unde resolves.

I. Duellum non est licitum, ad indagandam veritatem vel justitiam, vel purgationem objecti criminis, aut litem terminandam: quia est fallax, imò superstitiosum medium ad eum finem; cùm etiam innocens homicidium & facere, & pati possit. *Trull. l. 5. cap. 2. d. 13. n 12.*

II. Nec ob inimicitias, aut ad injuriam vindicandam, neq; ob solam ostentationem virium, aut delectationem.

III. Nec item ad evitandam ignominiam: quia apud bonos & prudentes honorem non perdit: imò nec apud alios, si provocanti dicat, se eum non æstimare dignum, cum quo congrediatur, contra leges divinas, & humanas. Interim iturum se indies liberè suas vias, paratumque semper fore, & nunc

nunc esse contra quemvis invasorem se tueri, *Trul. l.c.n.4.*

IV. Duellum non licet acceptare, vel offerre ad conservandam æstimationem exercitus apud hostem, eosque debilitandos; vel ad terminandum bellum cum minore damno. *v. Sanch. l.c.*

V. Acceptare item licet, si quis aliàs te occisurus, concedat tamen arma, ut sic fortunam experiaris; quia est tantùm defensio, positoque, quod aliter non possis evadere. Similiter, si Judex duos ad mortem damnatos vellet duello congredi: quia alter alterius esset constitutus minister justitiæ. *Trull. l.c.*

VI. Denique; si vir nobilis in aula regia, vel militaris in castris, provocatus sisteret se, meræ defensionis gratia, cum spe prævalendi, privandus alioqui, ob suspicionem ignaviæ, dignitate, officio, vel favore Principis, non audet eum damnare, *Laym. l.3.p.3.c.3.* eundem excusat, *Hurt.2.2.d.170.s.8.§. 76. Less.cap.9.8. Fill.c.8.q.6. & Nav.cap.15.*

## Articulus II.

### *An & quousq; liceat bellum?*

Resp. Bellum defensivum, quo scilicet vis injusta repellitur, licet etiam privata authoritate: offensivum verò, quo vis infertur, ut liceat, tres conditiones requirit: 1. ut geratur authoritate Principis, vel Magistratus, nullum agnoscentis superiorem; qualis est Papa, Imperator, Reges, & quædam Resp. v.g. Venetorum, Genuensium, &c. 2. ut adsit justa causa, eaque gravis, v.gr. necessitas boni communis, & quietis conservandæ, recuperatio in-

injustè ablatorum, coërcitio rebellium, defensio innocentum, &c. *v. Laym. hic, & Molin. t.1. d.104. Dian. p.6. t.4. R.33.* ut fiat ex recta intentione, hoc est, non ex odio, sed ex amore boni communis, quanquam si hæc ultima desit, non sit obligatio restitutionis. *Ita communiter* cum *D. Thom. q.41. Laym. l.2. t.2. ca.12.* Unde resolves.

I. Si quis justum bellum gerat, non potest alter licitè se defendere: quia circa eandem rem non possunt duo habere contraria jura. Fieri tamen potest, ut neutra pars peccet, ob ignorantiam invincibilem. *Fill. n.185.*

II. Tenetur Rex, antequam bellum incipiat, omni diligentia curare, ut certus sit de ejus justitia, & gravi causa. Ad quod sequentia conducent. 1. Ut curet habere non tantùm peritos, sed etiam bonos consiliarios. 2. Ut attendat, an etiam à suis impediantur, vel intervertantur literæ: aut instructiones ad ipsum. 3. Si non tantùm à suis consiliariis, sed etiam à diversis Theologis curet justitiam belli, secundùm leges Evangelicas examinari: & liberè edici. 4. Si auditis omnibus, ipse quoque coram Deo illam examinet statuatq; id, quod in puncto mortis se fecisse vellet. Deniq; licet sufficiat opinio probabilis de justitia belli; si tamen justitia maneat æqualiter dubia, & alter sit in possessione, non licet ei bellum indicere, cum melior sit conditio possidentis. *Fil. t.29. cap.9. q.4. Trul. l.5. c.2. d.3.* ubi cum *Dian. p.4. t.4. R.72.* docet licere etiam principi concedere repressalia, servatis tamen conditionibus certis, quas v. apud *Palaum. tom.1. 2.6. d.5. p.4.* & hic infra *Art. seq.*

III.

III. Perspecta justitia belli, debet ea proponi parti adversæ: quę si offerat competentem satisfactionem, non debet bellum inchoari. Imò ut probabilius est, etsi cœptum sit, debet, si non ex rigore justitiæ, saltem plerumq; ex charitate mox finiri. *vid. Mol. supra d.* 103. *Trul. l.* 5 *c.* 2. *d.* 3.

IV. Potest Princeps pro satisfactione petere restitutionem ablatorum, & expensarum; item aliquid in pœnam illatæ injuriæ. *Dunal.* Hinc potest victos privare bonis, etiam innocentes, tributa eis imperare, extruere arces, &c. quæ ad securitatem sunt necessaria. *Côn. Dian. p.* 6. *d.* 4. *R.* 22.

V. Principes tenentur stipendia solvere militibus; alioqui tenentur compensare damna, tum ipsis militibus, tum aliis, qui ab iis damnum acceperunt. *Côn. Palaus, Dian. p.* 6 *t.* 4. *R.* 29.

VI. Tenentur etiam aliquando Principes Catholici à bello, alioqui per se justo, abstinere, si inde oriturum sit scandalum, & spiritualis ruina multorum, ac detrimentum Ecclesiæ, *v. Palaum Dian. p* 6. *t.* 4. *R.* 7.

VII. Etsi per se loquendo, in bello justo liceat advocare infideles in auxilium, per accidens tamen subinde, imò plerumque non licet, ratione scandali, vel periculi in fide, v. g. ne subditi pervertantur, sacra profanentur, &c. *Reg. t.* 2. 21. *n.* 100. *Fill. n.* 181.

VIII. Similiter licet alteri Principi, etiam alterius fidei, in bello justo auxilium ferre, nisi tamen sit periculum scandali, incrementi hæreseos, & damni veræ fidei, *vid. apud Côn. tract. de Charitate, d. de bello.*

IX. Duces, Tribuni, Centuriones, aliiq; officiales peccant, tenenturque ad restitutionem. 1. Si pauciores habeant milites, quàm in solutione stipendii exhibent. 2. Quando debent ex officio cõmeatum curare, & dant militibus cibum, vel potum corruptum, ex quo morbi oriantur. 3. Si in transitu per regiones accipiunt pecunias à variis pagis, ne isthic pernoctent, aut morentur. 4. Si uni militi dent plura syngrapha ad domos diversas. *Mol. Bec. Dian. p. 6. t. 4. R. 27. & 28. 5.* Si stipendium militibus subtrahentes, permittant extorquere ab innocentibus necessaria.

X. Miles, qui in bello, & justo & injusto, paratus est mereri stipendia, est in malo statu, & incapax absolutionis, nisi mentem corrigat: & quidem similiter in bello injusto, tenetur ad restitutionem damnorum; nisi inculpabilis ignorantia excuset: tum enim sufficit restitutio eorum, quæ in specie habet, vel eorum, in quibus factus est ditior. *v. infra.*

XI. Si vocatus ad bellum sit subditus Principis, qui bellum gerit, aut ab eo ante conductus, non tenetur inquirere de justitia belli, quamdiu nulla vehemens suspicio occurrit in contrarium, quæ positivè reddat dubium: quia potest præsumere pro suo Principe, cui in dubio debet obedire, ejusq; authoritas plerumq; illi sufficiet, ad formandum etiam positivè judicium probabile, de justitia causæ, ne cum dubia fide operetur. *v. C. Lugo d. 13. de just. l. 1. n. 21.* Si verò non sit subditus, tenetur prius inquirere, postea saltem probabile formare judicium, bellum esse justum, *Molin. d. 113. Fill.*

171

171. *Laym. l. 2. t. 3. cap. 12. n. 8. Az. Mald. Regin.* contra quosdam apud *Dian. tom. 2. t. 5. misc. R. 69. & tom 3. t. 3. Res. 7. C. Lugo l. c. Escob. E. 7. c. 8.*

XII. Miles intelligens bellum esse injustum, in quo est, non potest absolvi, nisi velit, quam primum potest, curare dimissionem, & interea abstinere ab actibus hostilitatis, v. g. cæde, præda, &c. *v. Laym. lib. 2. t. 3. c. 12.* An autem talis possit occidere militem hostilem se invadentem, *v. Escob. E. 7 t. 8.*

## ARTICULUS III.

### *Quid in bello justo liceat?*

Resp. Etsi circa hostes in bello justo liceat ea omnia facere, quæ ad finem belli sunt necessaria, v. g. occidere, spoliare, &c. innocentes tamen (quo nomine intelliguntur pueri, qui arma gestare non possunt, mulieres, senes, Religiosi, Clerici, peregrini, mercatores, & rustici) directè vitâ spoliari non possunt, bonis tamen externis possunt, si sint pars Reipub. hostilis, aliterque finis belli obtineri non possit. *Moli. Bec. p. 2. c. 10. 21. & 12. Laym. Fil. n. 191. & c.* Ratio est, quia cum sint pars Reipub. possunt propter hujus delicta puniri in iis bonis, quæ Reipub. dominio subsunt. *Unde resolves.*

I. Per accidens licet aliquando comburere etiam Ecclesias, & hostes ex iis extrahere, in iis spoliare & occidere, si v. g. Ecclesia velut castro, ad repugnandum utantur. *Sylv. V. bellum n. 11. Sa. Bon. p. ult. §. 3.*

II. Contra hostem licet uti insidiis, & stratagematis, dummodò absint mendacia, etsi etiam hęc,

v.gr.quando exploratores se fingunt amicos,non sunt mortalia. Ea verò,ad quæ cavenda nulla prudentia datur,v.g. veneno inficere puteos,aquas, glandes, sunt contra jura belli, nec licent. *Moli. d.*III.

III.ª Fides hosti data servanda est,nisi vel coactus dederis, vel in grave detrimentum cedere Reip.aut Religionis;aut si hostes eā non servent, aut denique conditiones ac circumstantiæ planè sint mutatæ. *Dual.Palaus. Dian.l.c.R.*10.*v.etiam Laym.l.*2.*t.*3.*c.*12.I

IV. Capti in bello,etiam ex parte capientium justo,nisi obstet scandalum, aut specialis promissio,possunt fugere, & bona hostium secum auferre, *Laym. l.*2. *t.*3.*c.*12. *num.*16. An obsides liceat occidere,v.supra *dub.*4.*cap.*5.

V. Potest quidem aliquando,( rarò tamen,& non nisi ob causas gravissimas ) dari urbs in prædam:milites tamen privata authoritate prædas agere,aut hostibus damna inferre non possunt,quia sunt executores tantùm & ministri, *v. Sa, V.bellum.Laym.hic l.*2 *tr.*3.*c.*12.*Fill.n.*198. *Dian.p.*6.*t.* 4.*toto*.dum autem urbs spoliatur injustè, gregarios milites tantùm teneri ad damnum, quod ipsi intulerunt,probabile esse;docet *Dian.l.c. R.*31. *ex Sylv.Nav.&c.* Item *p.*3.*t.*5.*R.*86.v. infra *t.*4.*c.*2. *d.*3.

VI. Milites peccant cum onere restituendi, si à Rusticis, aliisve apud quos hospitantur, vel per quorum loca transeunt, auferant, aut invitis extorqueant, vel etiam donata accipiant ( nisi constet omninò liberè fieri,si quidem donationes iste ple-

plerunque non ſpontaneæ, ſed coactæ ſunt) præter ea, quæ ex conſtitutione Principis iis debent ſubminiſtrare: niſi tamen ſint in extrema, vel ſaltem gravi neceſſitate, *Moli. Cón. Palaus. Bec. &c. Dian. p. 6. t. 4. R. 26.*

VII. Repreſſalia licita ſunt his conditionibus, 1. ut manifeſtè conſtet cives alterius Reip. feciſſe injuriam. 2. ut ſuperiores illorum rogati recuſent adminiſtrare juſtitiam. 3. ut conſtet eos culpabiliter id recuſare. 4. ut Princeps ſupremus cauſa cognita id concedat. 5. ut non inferatur plus damni, quam juſta ſatisfactio requirit. 6. ut non concedantur in perſonas Eccleſiaſticas, *Moli. Dian p. 4. t. 4. R. 72. ex 18. aliis.*

*Quæres.* Ad quem pertineant bona hoſtibus erepta.

Reſp. I. Immobilia cedunt Principi, aut Reipublicæ: mobilia fiunt capientis, niſi conſuetudo habeat, ut pars cedat Principi, & communitati. II. Jure Cæſareo, niſi conſuetudo ſit contraria, bona ablata juſto bello, qui ea injuſtè poſſidebant, fiunt capientium, poſtquam ea in ſua præſidia deportarunt. *Valent. tom. 3. d. 4. q. 18. p. 3. Molin. d. 18. & Hurtad. tom. 2. d. 169. ſ. 119.* ubi requirit, ut una ſaltem nocte poſſederint, *v. etiam Sylv. Bonac. l. c.* de peccatis in bello committi ſolitis. *Trul. l. 2. d. 10. & ſeq. Dian. p. 6. t. 4. R. 23.* ubi contra *Durand.* docet hanc ſententiam eſſe in praxi tutam.

# CAPUT II.

## *De VI. Præcepto & IX.*

### *Non Mœchaberis, &c. Non Concupiſces, &c.*

Conjungo hæc duo Præcepta, quia utroque eidem explicitè, vel implicitè prohibetur; ſcilicet peccata Impudicitiæ, & Luxuriæ. Eſt autem luxuria inordinatus appetitus, vel uſus delectationis, ſeu ſenſus venerei, qui fit cum commotione ſpirituum generationi ſervientium, circa partes corporis venereas; ita ut appetitus vel delectationes aliæ, etſi etiam ſenſitivæ aut ſenſitivorum, ſi tamen non ſint venereæ, aut venereorũ, nec ad ea ordinentur, non ſpectent ad luxuriam. Porrò actus, ſeu peccata luxuræ diſtinguuntur in imperfectos, in quibus non intervenit ultimus terminus venereorum, quæ eſt deciſio ſeminis, ut ſunt actus interni deſideriorum, & oblectationum moroſarum, qui ſpeciem ſumunt ab objectis: & perfectos, ac conſummatos, qui terminum jam dictum habent adjunctum. Qui rurſus ſunt duplices. Alii enim ſunt naturales, qui naturæ non repugnant, nec ſpecie differunt in ratione luxuriæ, (etſi per deformitatem ſuperadditam aliquando ſpecie differant) v.g. adulterium, inceſtus, &c. Alii innaturales ſunt, ſeu contra naturam, in quibus conditiones à natura inſtitutæ, v.g. identitas ſpeciei, vas debitum, &c. non ſervantur. Et hi etiam in ratione luxuriæ differunt ſpecie, quæ in illis variatur ſecun-

cundùm modos, quibus committuntur naturæ repugnantes.

## DUBIUM I.

### *An, & quanta peccata sint, oscula, amplexus, tactus, verba obscœna, & similia, extra matrimonium?*

Resp. Ad id dignoscendum, distinguenda est imprimis intentio, & delectatio venerea, & venereorum, ab intentione & delectatione sensitiva, & sensitivorum aliorum, quæ consistit in quadam proportione, & conformitate rei tactæ cũ organo tactus. Deinde sciendum, intentionem & sensum venereorum esse mortalem, & excludere à regno cœlorum, secundum Apostolum ad *Gal.* 5. Unde resolves.

I. Oscula, amplexus, aspectus, tactus, & similia, si extra matrimonium fiant, ex intentione actus luxurioſi, vel ob delectationem veneream, etiamsi non illam perfectam, quæ est in seminatione, sunt tamen semper peccata mortalia: quia eo animo, extra matrimonium, sunt impudica, & natura sua talis delectatio tendit ad perfectam, *Fill. t.* 30. *c.* 9. *num.* 174. *Less. l.* 4. *c.* 3. *d.* 8. *Sanch. l.* 9. *d.* 46.

II. Tales actus sunt ejusdem naturæ cum perfectis sive consummatis, ideoq; in confessione explicandum, utrum sint habiti cum simili sexu, an diverso; cum libera an conjugata, cognata, persona sacra, &c. *Less. d.* 15. *Sanch. l.* 1. *c.* 2.

III. Oſcula, amplexus, compreſſiones manuum, & ſimilia non obſcœna, ſi fiant tantùm officii, aut moris patrii, aut amoris honeſti, vel benevolentiæ augendæ cauſa, etiamſi delectatio venerea ſuboriatur, (modo in eam non conſentiatur) non ſunt peccata. *Leſſ. Fill. l.c n.*171.

IV. Si verò iſta fiant ex aliqua veniali vanitate, joco, curioſitate, levitate, petulantia, (dummodo non cum delectatione venerea, nec ejus cauſa; & ſi præter intentionem ſuboriatur, ea repulſa, ac tunc abſtinendo) venialem culpam non excedunt, ut *v. Fill. hic Leſſ. Sanch. l.c. Dian. p.4. t.4. R.*136. Contrarium tamen eſt tutius, ut v.g. *Trull. l.6.c.1. d.*12.*n.*8.

V. Idem dicendum de tactu; & aſpectu inhoneſtarum partium corporis proprii, aut commixtionis animalium, non cum animo venereo, ſed ex curioſitate tantùm, aut levitate, ſecluſo tamen ſcandalo, & periculo conſenſus venerei. Imò ſi tactus talis, aut aſpectus proprii corporis naturali aliquo, ac non malo fine fiat, nec veniale quidem erit, ut v.g. ſi fricatione extinguere velis pruritum non venereum: dummodo tamen abſit periculum pollutionis, aut conſenſus in eam, ſi improviſò præter intentionem fortè obveniret, *Leſſ. n.*63. *Fill n.*215. *Sanch. l.*9. *d.*4.

VI. Tactus nudi, & aſpectus partium inhoneſtarum alterius corporis, maximè diverſi ſexus, aut concubitus humani ex curioſitate, (nam de neceſſitate aliud eſt) etiam ſecluſo affectu venereo, videntur non poſſe excuſari à mortali, propter gravem indecentiam, & periculum proximum actus

ctus venerei: nisi tamen aspectus fiat ex loco tam remoto,& ita obiter,ut hæc absint,*Sanch.n.*23.& 29.*Fill.n.*218.*Laym.&c*

VII. Aspectus verò,& subinde etiam(rariùs tamen,propter periculum adjunctum)tactus,ex petulantia vel curiositate,patrium inhonestarum alterius corporis,ejusdem tamen sexus,citra affectũ & periculum consensus venerei, excusari posse à mortali,ut v.g.quando simul aliqui natant,vel lavant, docet *Laym.l.*3.*s.*4 *ex Sanch.l.*5.*mor.c.*6.*n.* 2.13.*&n.*27.*&* 28.*Trull.d* 12.*n.*15.

VIII. Verba turpia,lectio obscœnorum,spectatio comœdiarum turpium, cantiones inhonestæ, gestus,literæ,& dona amatoria,si tantùm fiant ex curiositate, vel vano solatio, non sunt mortalia : secus tamen si fiant,vel animo inhonesto,sive venéreo,vel cum periculo ruinæ spiritualis sui,vel aliorum,*Sanch.d.*46.*q.*3.*Fill t.*30.*c.*10.*q.*3.

IX. Choreæ nisi malo fine fiant,aut cum periculo,aliquos,aut se ipsum incitandi ad libidinem, vel cum alia circumstantia mala,secundùm se non sunt malæ,nec actus libidinis;sed lætitiæ. Quando verò Sancti Patres eas interdum valdè reprehendunt,loquuntur de turpib.& earum abusu, *v. Cajet.V.Chorea.Fill.n.*223.

X. Exhibentes comœdias turpes,item facientes libros , aut picturas incitantes ad libìdinem, peccant mortaliter:quia sunt ruina proximi; cum moraliter certum sit multos inde ad peccatum incitandos, *Fill.n.*211. Similiter Magistratus; qui permittunt exhiberi turpes comœdias, peccare mortaliter docet,*Hurt.*&cõcedit *Baldel.*si autho-

ritatem illis præstent, approbent, vel foveant: addit tamen posse aliquando excusari, si ad majus malum impediendum non puniant, & tantùm tolerent. *v. Dian.p.5.t.13.R.82.*

XI. Persona soluta permittens se tangi ab alia, tactu, qui vulgò censetur pudicus, ut prehensio, contrectatio manus, amplexus, & oscula, juxta morem patriæ, non peccat; nisi ei constet fieri pravo affectu: huic enim cooperari non licet. Docet tamen. *Fill.* etiam tunc admitti posse, ne tangens infametur. Admittens autem tactus impudicos, (ut mamillarum & obscœnarum partium) vel oscula furtiva, & morosa vel indecentia peccat: quia præsumitur affectus malus, *v. Fill.t.30.n.196.* & infra *l.5.c.1.dub.2.*

*Quæres.* An & quatenus liceant tactus, aspectus, &c. inter conjuges, vel sponsos?

*Resp.I.* Conjugibus licent, si referantur ad copulam: ad hanc enim licitè se excitant. Alio autem fine, v.g. voluptatis causa si fiant, sunt peccata venialia: quia matrimonium eos cohonestat, ac defectus debiti finis non est mortalis; nisi tamen habeantur cum periculo pollutionis; quæ cum iis sit illicita, eo casu erunt mortalia, regulariter saltem. *Sanch.l.9.d.46.n.7. Fill.n.357. & alii.*

*Resp.II.* Sponsis tactus impudici non licent; pudici verò in partibus honestis licent), si ex iis tantum intendant delectationem sensitivam: secus, si veneream, *Sanch.l.c.n.50.&c.*

*Bon.p.9.n.7.&c.*

## DUBIUM II.

### *Quæ sint species luxuriæ consummatæ naturales?*

Resp. Eæ dicuntur, in quibus fit commixtio eo modo, quo natura instituit, v.g. quando servatur sexus diversus, species eadem, vas & modus naturalis, &c *ut vide in principio hujus cap.* Unde resolvitur, tales esse has sequentes, quæ ideò in confessione sunt exprimendæ.

I. Est Fornicatio, quæ est concubitus soluti cũ soluta, (hoc est, quæ sit libera à voto, matrimonio, religione) ex mutuo consensu. Ad hanc reducitur. 1 Concubinatus, qui est fornicatio continuata. Unde concubinarius (sicut & meretrix) ordinariè non debet absolvi, nisi dimissa concubina, aut muliere suspecta, cujus retentio scandalum daret, licèt cum ea non peccaret, *Sanch. l* 1. *mor. ca.* 8. *Nav. c.* 3. *Fill. tr.* 30. *c.* 2. *n.* 56. 2. Congressus cum alterius sponsa, quæ est fornicatio intra eandem speciem gravior, & in confessione aperienda, saltem respectu sponsæ, ut docet *Rodriq. tom.* 1. *cap.* 109. *Sanch. de mat tom.* 2. *l.* 1. *d.* 2. *num.* 6. *Fagund. t.* 2. *l.* 4. *c.* 3. *Fill. t.* 2. *tr.* 30. *c.* 2. *n.* 53. contra *Covar. Vivaldum. Ledes. Azor.* quorum sententiam (etiam respectu sponsæ) probabilem, & in praxi tutam, censet *Dian. p.* 1. *tr.* 7. *R.* 5.

II. Stuprum, hoc est defloratio virginis, ipsa invita; quia si consentiat, erit tantùm fornicatio simplex, nec circumstantia in confessione aperienda, ut probat *Less. Sanch. l.* 17. *d.* 12. contra *Nav. Azor.* & alios.

III. Raptus, cùm scilicet persona aliqua, (sive masculus, sive fœmina; sive nupta, sive innupta) libidinis causa abducitur, illata vi, sive abductæ, sive iis, quorum potestati subest. Si quæ tamen sponte discedat cum Amasio, insciis parentibus, non erit propriè raptus, sed fuga non addens malitiam specie distinctam fornicationi. *Lugo.d.16.n.237. Fill.num.110.v Bonac.* Idem dicit *Dian.p.1.t.7.R. 37.ex Less l.2.cap.10.dub.4. Sanch. de matr.to.2.l. 7.d.4.n.5.&c.*

IV. Adulterium, cum scilicet uterque, vel alteruter coeuntium, est conjunctus matrimonio, etiamsi adulterantis conjux sit contentus: esto enim tunc illi non fiat injuria, fit tamen ipsi statui, Sacramento, & huic præcepto. Quòd fœmina adulterans sit conjugata, gravius habetur, quàm si vir; propter incommoda graviora, v.g. damnum veri hæredis, prolis incertitudinem, &c. Si verò uterq; sit conjugatus, adhuc gravius est: quia sunt duæ injuriæ in utriusq; conjugem, in confessione exprimenda, *Fill.t.29.c.4.n.85.& 89.*

V. Incestus, hoc est congressus cum consanguinea, vel affine, usq; ad quartum gradum: eò gravius peccatum, quo gradus est propinquior: quem proinde in confessione exprimere, saltem securius est, ut habet *Nav.c.6.C.Lugo d.16.n.312.* Sicut etiam multo gravior est incestus cum consanguinea, quàm cum affine in eodem gradu, v.gr. cum matre, quàm cum noverca; cum sorore propria, quàm cum sorore uxoris. Et rursus, gravior est cum affine, quàm cum cognato spirituali vel legali. Addi verò debet, si in primo gradu fuerit, utrum

cum

cum matre, an cum filia, an sorore, *C. Lugo l.c & Escob. de actibus humanis E.2.c.6.* ubi *ex Hurta.d. 9. de pœn. dif.4.* probabile dicit, incestum in eodē gradu & linea, ejusdem esse speciei, (eò tamen graviorem, quo gradus est vicinior stipiti) & satis esse dicere, habui rem cum consanguinea in linea recta. Ad hanc speciem revocatur tanquam analoga, fornicatio cum filia confessionis, cum propriè non sit cognatio spiritualis, quam tamen circumstantiam in confessione exprimendam esse, probat *Sanch 7 de matr. d.55. Cōn.d 32. Fagund. & cateri probabiliter* contra *Sa. V. Confessio & Dian. vide C. Lugo n.355.*

VI. Sacrilegium, hoc est violatio rei sacræ per actum venereum. Res autem sacræ, quæ sic violantur sunt locus, & persona. Unde sacrilegium est 1. omnis actus luxuriosus exterior, (qualis etiam est v.g. pollutio, & probabiliter etiam tactus impudici, ut *v. C. Lugo n.464.*) in loco sacro, hoc est templo, vel cœmeterio: nisi tamen fiat à conjugibus, ex necessitate, v.g. ad vitandam incontinentiam. 2. Omnis actus luxuriosus tam interior quàm exterior in persona, vel cu[illegible]ersona voto castitatis consecrata: circa quem[illegible]en probabile est, non opus esse exprimere, utrum fuerit votum solemne, an simplex. Sicuti neque, si duplici titulo sit sacrata, v.g. quia est Sacerdos & Religiosus: quia moraliter est una numero malitia *Sanch. de matr. l.7.d.27.n.27. Henriq. & cateri*, quos citat *Diana*, & sequitur *p.1.t.7. R.3. vide C. Lugo d.16. de pœn. s.4. Bon. q.4. p.17. Esc. E.8.*

## DUBIUM III.

### *Quæ sint species luxuriæ consummatæ contra naturam?*

Resp. Cum contra naturam esse dicantur eæ, in quib. fit seminatio modis repugnantibus institutioni naturæ, ita, ut juxta tales modos species varientur, hinc resolvitur tales species esse sequentes.

I. Congressus inordinatus, hoc est, innaturalis, sive indebitus concumbendi modus, cum scilicet servatur quidem idētitas speciei, diversitas sexus, & debita naturæ organa, sed inordinato tantum modo acceditur: v.g. cum vir succumbit, vel aversè accedit more pecorum, vel à latere, vel stando aut sedendo, aliave ratione insolita, quod est contra naturam: mortale, quando inde periculum est impediendæ generationis, ut effundendi seminis, alias si hoc periculum caveatur, aut non sit, eò quòd matrix fœminæ satis attrahat semen, & retineat, ut fit plerumque, non contra, sed præter naturam erit, & veniale grave, imò nullum, si gravis causa adsit, v.g. quia mulier est prægnans, vel quia corporis dispositio, sive utriusque, sive alterius conjugis aliter fieri non patitur. *Fill.t.30.c.8.q.8. n.137.*

II. Mollities sive pollutio, & est, cum absq; congressu seu copula, voluntariè procuratur fluxus seminis, sive id foras effundatur, uti in maribus, sive intus diffluat in matricem, ut in fœminis. Et hoc peccatum præter propriam malitiam, sæpè aliam habet adjunctam, ut v.g. fornicationis, adulterii, & incestus, & c. cum quis nimirum simul ima-

gi-

ginatur, ac desiderat congressum alicujus personæ liberę, cōjugatæ, &c. quod proinde si fiat, in cōfessione aperiendū est. Plura de mollitie. *v sect. dubio.*

III. Sodomia imperfecta, & est congressus cum debito quidem sexu, maris nempe cum fœmina, sed extra vas naturale. Potest etiam simul habere alias malitias, v. g. adulterii, si fiat cum conjugata, incestus, si cum consanguinea, *Bonac. q. 4. de mat. p. 11. n. 1. Fil. l. c. n. 158.*

IV. Sodomia perfecta, & est congressus duorū ejusdem sexus, ut maris cum mare, vel fœminæ cum fœmina. Et potest etiam habere alias malitias adjunctas: v. g. incestus: quo casu cognationis gradum non necessariò explicari docet *Escob. de act. hum. E. 2. c. 6.* sed satis esse dicere, coivi cum cōsanguineo, vel affine, quia nec miscetur caro, nec contrahitur affinitas, nec linea variat speciem. Ita ille. Explicandum tamen esse, fuerisne agens an patiens, dicit *C. Lugo d. 16. n. 423.* contra *Dianam tom. 2. t. 4. de sacram. R. 159. & p. 6 t. 6. R. 36.*

V. Bestialitas, quod est gravissimū inter omnes, & est congressus, in quo non servatur identitas speciei, v. gr. si homo coeat cum bestia, sive ejusdē sexus sit, sive non. Neque opus est explicare, qualis, sive cujus speciei fuerit, quia est differentia tantum materialis, & in genere entis: non autem formalis, & in genere moris, *Escob. E. 2. c. 6. ex Fill. tom. 2. tr. 30. cap. 7. num. 131.* Huc revocatur peccatum cum Dæmone succubo, vel incubo. Cui peccato superadditur malitia contra religionem, & præterea etiā Sodomiæ, adulterii, vel incestus; si affectu viri, vel mulieris, Sodomitico, adulteri-

no,

no, vel inceſtuoſo, cum Dæmone coeat, *v.Bonac. matr.q.4.p.12.Fill.n.162.*

## DUBIUM IV.

### *An aliquando liceat procurare pollutionem?*

Reſp. Authoritate Scripturæ, quæ molles à regno cœlorum excludit, 1.*Cor.*6. docent omnes, nullo caſu licitum eſſe intendere, vel procurare directè mollitiem, ne quidem cauſa ſanitatis: ac vitandæ aliàs certæ mortis, Cauſam dat *Sanch.lib.9. d.17.* quòd natura adminiſtrationem ſeminis, extra matrimonium, in omni eventu, homini denegarit, eò quod adeò vehemens ſit in ea re ſenſus voluptatis, ut homines paſſione excœcati, paſſim ſibi facile perſuaderent, habere ſe juſtam cauſam irritandi ſeminis, unde plurima graviſſimaq; vitia contra bonum commune, & in impeditione generationis emergerent, *Nav.ca.16.Leſſ.& commun* Unde reſolves.

I. Diſtillatio, quæ eſt fluxus humoris, quaſi medii inter urinam & ſemen, (cum quo coloris & viſcoſitatis ſimilitudinem gerit) ſine ingenti illa delectatione, non eſt vera pollutio, & ſi proveniat ſine omni commotione ſenſus venerei, ut quandoque fit, de ea non magis laborandum, quam de ſudore, dicit *Cajetan.* Si verò fiat cum ſenſu carnis, & commotione ſpirituum generationi ſervientium, tum ei cooperari, vel cauſam præbere, non eſt, vel eſt peccatum, idque veniale, vel mortale, ad eundem modũ, quo de pollutione dicetur, *Sanch. l.9.d.45.n.32. Laym.l.3.ſ.4 n.18.*

II. Si

II. Si semen judicio medicorum transivit in materiam venenosam, licet eam medicamentis expellere, etsi præter intentionem sequatur aliqua veri seminis emissio, *Sanch. l. 9. de matr. d. 17. n. 56. Fill. t. 30. c. 8. n. 150. Trul. l. 6. ca. 1. d. 8. §. 1.*

III. Non tenetur quis (modo tantùm absit periculum consensus in voluptatem, nec voluntariè promoveat) impedire pollutionem sponte sua evenientem, aut jam cœptam, v.g. in somno, reprimere, sed potest sanitatis causa sinere, ut natura se exoneret: quia id non est procurare, sed pati ut effluat, quòd aliàs corruptum sanitatem læderet. Unde idem admittit *Sanch.* etiamsi orta esset prius ex culpa; modo de ea doleat, & consensum ulteriorem abstrahat, additque, plerumq; expedire, munire se cruce, & sine alio attactu, quietis manibus, rogare Deum, ne permittat lapsum in delectationem, *Sanch. d. 17 n. 17. Trul. l. 6. c. 1. d. 10.*

IV. Licitum est ob finem honestum, v.g. minuendæ tentationis, sanitatis, tranquillitatis animi, optare simplici affectu spontaneam, & naturalem exonerationem naturæ, modo desiderium illud non sit causa efficax pollutionis. Similiter licet etiam de ea gaudere, via naturali & sine peccato facta: quia objectum istius desiderii & gaudii non est malum, quanquam ejusmodi desideria simplicia inutilia esse, nec periculo carerere, quidam benè observent, *Less. d. 14. n. c. 15. Lay n. 17.*

V. Si quis facturus rem aliquam necessariam, vel licitam & honestam, prævidet inde naturaliter secuturam pollutionē (idq; multò mgis valet de distillatione) quā tamen ille nullo modo velit, nec in-

intendat, tunc, modò absit periculum consensus in delectationem non tenetur abstinere à tali actione: quia prosequenti suum jus, non imputatur effectus per accidens, & præter intentionem secutus. Hic non obstante periculo pollutionis, licet audire confessiones mulierum, studere casibus conscientiæ, tangere se ex necessitate, fœminas cautè & cum necessitate alloqui, osculari, amplecti juxta morem patriæ, si alioqui incivilis habendus esset. Quod si tamen periculum esset consentiendi in delectationem, quod colligitur inde, si sæpius ex simili occasione mortaliter sit lapsus à causa illa, quantum vis licita, abstinendum esset; proindeque confessarius tali casu teneretur relinquere officium. *Fill. Sanch. l. 9. d. 45. Nav. c. 19 Lay. n* 16. Monet autem *Laym.* eum, qui in actionibus honestis & utilibus talem miseriam experitur, facilius liberari contemnendo, quam æstimando; quia imaginatione & timore augetur.

VI. Si pollutio secutura prævideatur ex re illicita, otiosa, vel minus necessaria, & hæc sit causa propinqua, ac natura sua ad venerem ordinata, ut sunt actus luxuriosi, tactus, aspectus, lectio, auditio, locutio turpis, mortale est ab illa non abstinere: quia in eam consentiens, mortaliter in effectū consentire censetur. Quod si verò res illa sit causa tantum remota, per accidens tantùm ad pollutionem concurrens, qualis est, v. g. esus, aut potus calidorum, equitatio, confabulatio inutilis, crapula, ebrietas etiam mortalis, (modo pollutionem nō intendas, & absit periculum venerei consensus) secuta pollutio non est mortalis: quia in talem rem con-

consentiens, non ideò velle censetur effectum. *Fil. tr.30.cap.8.q.16.n.152. Sanch.l.c. Less.l.4.c.3. d.14. v. Dian p.5 t.13.R.4.* Addunt quidam DD, hanc regulam, pollutionem in causa volitam tantum esse peccatum, quantum est ipsa, ut si causa sit peccatum mortale, etiam ipsam fore mortalem; si sit veniale, venialem: si verò causa nullum sit peccatū, nec ipsam fore (secluso semper periculo consensus) hinc venialem v.g. esse illam, quæ provenit ex lectione curiosa, vel aspectu per se non mortali. *Trul. l.6. c.1. d.9. ex Lopez. Henriq. Vasq. Bon. de mat.p.10. v. Dian.p.1.t.2.misc.R 56.*

VII. Pollutio in somno facta est mortalis, 1. si antè directè, vel formaliter est procurata, & causa non est retractata, 2. quando post somnum placuit, & approbata est propter delectationem veneream, alias non, *Fil.q.5.n.148. Trul.l.c.n.9.*

*Quares.* An mutua pollutio inter mares, vel fœminas procurata, sit mollities tantùm, an Sodomia.

Resp. Si fiat ex solo affectu ad veneream libidinem, absque concubitu, esse tantùm mollitiem: si verò fiat ex affectu ad personam illam indebiti sexus (præsertim si adsit aliqua conjunctio, & commixtio corporum) est quoad malitiam Sodomia. *Fill.t.30.cap.8.* Plura de tota hac materia v. infra *lib.5.c.1.dub.2.art.2. de peccato in genere, & Authores citatos.*

TRA-

# TRACTATUS V.

## *De VII. Præcepto.*

## *Non Furtum facies.*

CUm hoc prohibeatur omnis injusta damnificatio in bonis proximi, quæ fit 1. per furtum, & rapinam. 2. per omissionem reparationis damni illati. 3. per iniquitatem contractuum; de his tribus hic agendum.

## CAPUT I.

### *De Furto.*

### DUBIUM I.

### *Quid sit furtum, & quale peccatum?*

RESp. Est occulta & injusta rei alienæ ablatio, invito rationabiliter domino. Quod si res sit sacra; dicitur Sacrilegium, de quo supra. Si aperte cum vi fiat, est Rapina, à furto specie distincta. Licet autem furtum cæteris paribus, quàm rapina levius sit, & ex genere suo minimum inter ea, quæ circa proximum committuntur, est tamen mortale, si quantitas sit notabilis. *Ita communiter omnes, v. Bon d. 2. q. 8.* Unde resolves.

I. Qui alienum accipit per jocum, vel ob bonum aut commodum illius, à quo accipit, non furatur: v. g. si uxor auferat marito pecunias, ne ludis aut commessationibus prodigat; aut vinũ, ne inebrietur, aut librum hæreticũ ne legat; aut famulus

det

det eleemosynam non nimis magnam valdè indigenti, in qua dominus rationabiliter non sit invitus, à quo tamen ob verecundiam vel aliam causam non ausit petere, *v. Less. l. 2 c. 12.*

II. Qui pro se, vel alio in extrema necessitate constituto, alienum accipit, quantum necessariũ est, nec furatur, nec tenetur restituere postea sic absumptum; si quidem re & spe indigens fuit. Idẽ docent *Less. l. c. d. 12. Malderus, Dian. &c.* de necessitate gravi. Verum id probabilius alii negant; cum *Laym. l. 3. t. 3. p. 1. ca. 1. num. 7. ex S. Th. 2. 2. q. 66. a. 7. Sylv. Angl. vid. Dian. to. 1. p. 2. t. misc. Ref. 20. C. Lugo d. 16. s. 7.*

III. Nec item furatur, qui accipit in compensationem justam, si aliter sibi debitum accipere nequeat, v. gr. si famulus justum stipendium non possit aliter obtinere; vel inique inductus sit, ad serviendũ iniquo pretio, *v. Lay. l. c. & Tol. l. 5. c. 15.*

## DUBIUM II.

### *Quid sit quantitas notabilis ad mortale peccatum?*

Variæ ea de re sunt sententiæ. *Nav.* nimis scrupulosè statuit medium regalem; alii nimis laxe 100. aureos: moderatius *Tol. Med Less. &c.* duos regales; etsi minus sufficiat, si notabiliter noceat.

Resp. Ea non mathematicè, sed mortaliter metienda est, non tantum ex valore rei ablatæ, sed etiam ex circumstantiis personæ cui infertur, si nimirum ei grave damnũ inferatur, aut saltẽ charitas Christiana graviter lędatur: quomodo respectu valde divitis, imò etiã Regis, unº vel alteraureº no-

v. 36. Inn. XI.

ta-

tabile quid videtur; respectu verò mediocrium divitum, quatuor circiter regales, sive medius imperialis, respectu mechanicorum duo, respectu pauperis, unus. *Ita nunc plerique* cum *Bonac.* Unde resolves.

I. Grave peccatum est auferre rem parvam domino valde proficuam, v.g. sartori acum, quam unicam habet, nec habere aliam potest, qua se alat. *Less.l.2.c.12.d 8.*

II. Grave item est (etsi non in specie furti) si fursciat ex jactura rei parvæ domino secuturam valde magnam molestiam, v.g. quia valdè ad eam afficiebatur, nec similis recuperari potest: nisi tamen res sit nullius prorsus momenti, *vid. Bon.2.q.8. p.1.*

III. Plus requiritur ad notabilem quantitatem in reb. quæ ultrò proveniunt, & sunt valdè expositæ, v.g. fructus ad viam publicam, *v. Less.l.c.*

IV. Plus item, si quis à diversis, vel ab uno interpolatim, parva & plura furetur, *v. Less.l.c.n.46.*

## DUBIUM III.

### *Quam graviter peccet, qui multa minuta furta committit?*

Resp. Hic quoq; quantitas læsionis, vel damnificationis, quæ fit proximo, & quam fur intendit, est mensura quantitatis peccati, *v Less.l.c. Sanch. l.7.c.21.* Unde resolves.

I. Si quis ex occasione tantùm furatur, sive uni, sive pluribus, modicum, non intendens notabile aliquid acquirere, nec proximo graviter nocere, singulis furtis non peccat graviter, neq; ea simul sum-

sumpta unum mortale constituunt: postquam tamen ad quantitatem notabilem pervenit, eam detinēdo mortaliter peccare potest, *Less. d. 7. Sanch. l. 7. c. 21. Bon. q. 8. p. 2.* Verùm & hoc mortale evitabit, si vel tunc restituere non possit, vel animum habeat paulò post restituendi ea saltem, quæ tunc accipit, *Gran. Dian. p. 3. t. 6. R. 25.*

II. Si autem per plura parva furta uni vel pluribus facta, habeat intentionem paulatim ditescendi, vel inferendi grave damnum, peccat graviter ea intentione: ac licet executio singulorum sit tantùm venialis ex se, ut tamen substat tali intentioni, est continuata executio peccati mortalis, *Less. l. 2. c. 12. d. 7. Sanch. l. c.* quia nocent graviter Reipub. & praxis illa valdè perniciosa est societati humanæ: v. g. si sartor particulas panni à diversis surripiat, si mercatores utantur brevioribus ulnis, &c. Interim hi excusantur subinde à gravi peccato, 1. ex eo, quod dictum est casu primo. 2. Si id faciant, ut se servent indemnes, quia aliàs non lucrarentur, vel pretium augere deberent, & tunc non invenirent emptores. *Rosella V. emptio. 3.* si aliàs non habeant, unde se vel suos alant.

III. Si plures simul, vel successivè, plura furta parva alicui faciant, quæ simul sumpta graviter illi noceant, tunc si alter de altero non sciat, nullus peccat graviter, v. g. si viatores ex vinea unam alteramve uvam rapiant & comedant: etsi hoc licere dicat *Govar. Valerus & Ripa* contra *Dian. p. 3. t. 6. R. 20.* si autem singuli conspirent, singuli graviter peccant. Si denique de se mutuo sciant, nullus tamen alteri sit causa furti, probabilius est

non

non esse mortale, ut docet *Less. Tann. &c.* contra *Suar. Vasq. v. Bon. l. c.*

## DUBIUM IV.

### *Quid sentiendum de furtis domesticorum, vel amicorum?*

Resp. Licet verè furtum sit, si uxor, liberi, amici, servi, patrifamilias invito, quid auferant, plerumque tamen major quantitas requiritur, ut sit mortale, cum plerumque hic dominus, aut non rationabiliter invitus, aut saltem minus invitus sit, ut ab his, quam ab aliis auferatur. Vel etsi valdè invitus sit; sæpè tamen id fiat, non tam ratione rei acceptæ, quàm modi accipiendi clam; aut ratione finis, ob quem accipitur, v. g. ad ludendum, potandum, &c. *v. Cajet. V. Furtum, Less. l. c. 12. n. 76.* Unde resolves.

I. Uxor graviter peccat, si notabilem summam accipiat invito marito, etiam ex dote, vel bonis communibus, quia licet media pars ad eam spectet, maritus tamen habet usumfructum illius partis, ideoq; teneretur ad restitutionem *Trul. l. 7. c. 6. d. 8. n. 7. &c.*

II. Similiter peccat graviter maritus contra justitiam, cum obligatione restituendi, si aliquid notabile uxori surripiat absque ejus consensu, ex bonis ipsius paraphernalibus, vel aliis propriis, si quidem libera eorum administratio ipsimet uxori competat; quia par est ratio mariti & uxoris, quoad bona propria. *v. Villalob. tom. 2. t. 13. Trul. l. 6. c. 1. d. 9.*

III.

III Uxor potest dare eleemosynam & munera, secundum consuetudinem aliarum mulierum istius loci & conditionis, etiamsi maritus eleemosynas omnes illi prohibeat: quia consuetudo hoc jus ei tribuit, quo maritus eam privare non potest. *Ibidem num* 3. *Dian. p. 1. t. 3. R. 23. & p. 5. t. 8. R. 34.* ubi cum *Molin. &* 10. *aliis* docet, posse eam nescio marito dare vigesimam partem annui census vel lucri, eò quod hoc pertineat ad decentiam status, & maritus irrationabiliter sit invitus. Hinc etiam potest cum Abigail moderatas eleemosynas dare, ut mariti conversionem impetret, vel ne Deus illum puniat, *Vasq. Bon. Regin. & alii* 10. conta *Cön. &c. v. Dia. p. 2. t. 16. R. 23. & p. 5. t. 8 R. 34.*

III. Uxor potest bona expendere, marito absente vel fatuo: quia tunc ad illam spectat, administratio domus. Item quæ acquirit sua industria, item paraphernalia, hoc est, bona, quæ præter dotem marito allatam, sibi reservavit, *Trul. l. c. & cæteri communiter.*

IV. Non peccat uxor, subducendo aliqua, vel compensationis causa, si vir sit prodigus, quia is tunc facit uxori injuriam, partem ipsius profundendo: vel pro victu, vestibus, cæterisque sibi vel familiæ necessariis, quæ mariti sæpe intelliguat, & frustra ab illis peterentur. *Bon. Trul. l. c.*

V. Uxor, si ejus pater, mater, vel proles ex alio matrimonio sit pauper, ita ut miserè secundum statum suum vivat, & maritus eis noluit succurrere, potest ex bonis suis propriis, vel etiam ex communibus; (dummodò post mortem viri

omnia computet in sua parte ) eis subvenire quia jure naturæ tenetur eos alere , & maritus in id consentire. *Nav. Palaus. Less. l.2. c. 12. d.14. Dia.p.5.t.8. R.34.* ubi illam potestatem extendit ad fratres & sorores, quod etiam *Less. l.c. & Trul. l.6.c.1.d.9* judicant probabile.

VI. Filius peccat graviter, invitis parentibus notabilem summam accipiens, qualis non semper est, secundum *Less. c.12.* si filius patri prædiviti duos vel tres, imo secundum *Sanch.* quinque vel sex aureos furetur, eò quòd parens sit minus invitus, & filius sit aliquid patris. Unde non tenebitur ad restitutionem, nisi fortè cohæredibus graviter noceat.

VII. Si filius notabilem summam expendat in res turpes, aut vanas, contra voluntatem parentũ, ex pecunia sibi suppeditata ad usus honestos, putat *Lass c.12.dub.13.* eum peccare mortaliter, etsi excusetˆ è restitutione, si pater rogatus facilè condonaturus putetur.

VIII Si filius, v.g. mercatoris, vel cauponis administret bona parentis, potest à patre exigere salarium, quantum dare deberet extraneo : & si id impetrare non possit, vel exigere non ausit, potest clam accipere. Ita probabiliter *Laym. l.3.s.5.t.4. c.8. Dian p.4.t.4.R.66.*

IX. Etsi famuli in esculentis , & poculentis, quæ domo exportant, aut divendunt , graviter peccent, quæ tamen ipsi domo consumunt, in iis facilius (uti & Religiosi ) excusantur ; cum in his dominus, aut Prælatus sæpè tantùm sit invitus quoad modum accipiendi clam, non quoad rem,

Quod

Quod tamen timeri posset, si extraordinaria acciperentur, *Laym. Escob. & Less. l. 2. ca. 14. d. 8. num.* 48. Ubi docet quod furta minima famulorum ex comestilibus, quæ claudi non solent, non coalescant, si non ad vendendum, sed comedendum tantùm accipiantur.

X. Cum à gravi peccato furtum domesticum non potest excusari, tunc uxor tenetur restituere ex paraphernis, filius ex castrensibus, vel quasi, vel si ea non habet, post mortem patris afferre in divisionem hæreditatis, (si quantitas rei ablatæ sit valde magna, nec pater restitutionē tacitè vel expressè dimiserit.) Famuli verò, si sine magna difficultate restituere non possint, jubeantur compensare officiis & obsequiis extraordinariis, quantum possunt, *Laym. l. 3. tr. 5. part. 3. c. 2.*

## CAPUT. II.

### De Restitutione.

### *DUBIUM. I.*

### *Quid sit Restitutio, & qui teneantur ad eam.*

Resp I. Restitutio est actus justitiæ ad salutem necessarius, necessitate præcepti, quo reparatur damnum proximo illatum per injuriam, ita ut radix restitutionis non sit quævis læsio proximi, v.g. contra charitatem, &c. in quibus non habet jus quod violetur, sed ea tantùm, quæ est contra justitiam, in qua propriè injuria infertur, hoc est,

læditur aliquod jus proximi, quod is habet in re, vel ad rem, in qua damnum patitur. Quod variis modis fieri potest, v. g. furando, defraudando, destruendo, rem alterius negligenter custodiendo, occidendo, mutilando, detrahendo honorem, convitiando, & similibus.

Resp. II. Ex data responsione patet; teneri ad restitutionem eos, qui intulerunt injuriam damnosam. Hæc autem est duplex, scilicet materialis, ut v. g. cum quis rem alienam destruit, accipit bona fine, vel retinet, id est probabiliter, judicans id sibi licere, vel esse suam: & formalis, qua quis rem alienam destruit, accipit, vel retinet mala fide, id est, cum sciat, vel scire possit, ac debeat, id sibi non licere, & rem non esse suam, *v. Laym. l. 3. t. 2. c. 1. Less. lib. 2. c. 7. dub. 6. Bon. n. 3. q. 1. p. 6.* Unde resolves.

I. Qui injuriam intulit, ex qua alteri nullum est damnum secutum, ut si adulterium commisit, sine damnificatione alterius, non tenetur in conscientia ad restitutionem, cum hæc sit reparatio damni: potest tamen à judice cogi ad satisfaciendum pro injuria.

II. Quisquis intulit injuriam damnosam, etiam materialem tantùm, tenetur restituere; sed non nisi id, quod ex alterius re adhuc habet, vel quo ex ea factus est ditior.

III. Qui intulit injuriam formalem, sive rem adhuc habeat, sive non, tenetur restituere, & quidem tantum, quantum est damnum secutum. An vero sufficit culpa venialis, controvertunt Authores, & sententia utraque probabilis videtur,

videtur, ac in praxi tuta, saltem quando non commodè potest restituere, *vid. Authores citt. & Lay. lib. 3. tr. 2. Less. l. 2. cap. 7. du. 6. n. 27. C. Lugo di 8. sect. 5. n. 56.*

## DVBIVM II.

### *An qui cooperantur ad damnum alterius, teneantur ad restitutionem?*

Resp. Tenentur omnes illi, qui quoquo modo sunt causa influens. & efficax damni secuti, ac qui ex officio, & obligatione justitiæ obligati cavere damnum, non caverunt. Ita communiter Doctores. Unde concludunt, teneri ad restitutionem comprehensos sequentibus verbis:

*Iussio, consilium, consensus palpo, recursus,*
*Participans, mutus, non obstans, non manifestans.*

patet ex sequentibus Casibus.

I. Tenetur ad restitutionem mandans, sive expresse mandet, sive tacitè, dicto nimirum, vel facto, ex quo v. g. famulus colligat, hero gratum fore, si faciat; non autem tenetur, qui ratum tantùm habet opus suo nomine factum uti nec mandans, si ante executionem mandatum retractet, idque mandatario innotescat: qui tunc non est vera causa. *Mol. Less. l. 2. c. 13. dub. 3. Fill. t. 32. n. 54.*

II. Tenetur item consulens, aut precibus ac promissionibus ad damnificationem inducens. Quod si tamen ante executionem consilium suum retractet, & quantum potest contrarium suadeat,

deat, etsi non persuadeat, probabile est excusari à restitutione, maximè si eum, cui damnum paratur, moneat ut caveat. *vid. Bonac. & Tann. t. 2. d. 4. q. 6. dub. 14. Sa V. Consilium, & Dian. tr. 2. misc. resol. 18. & t. 5. resol. 83.*

III. Tenetur item, qui suo consensu, calculo, vel suffragio, est causa efficax damni. *Less. d. 3. n. 23. Fill. t. 32. c. 3.*

IV. Item palpo, ut qui laude, adulatione, vel exprobatione ignaviæ, aliterve alium ad damnum inferendum excitat, animat. *Less. Fill. l. c.*

V. Item qui inferenti damnū præbet recursum, illum receptat, illius furta aut instrumenta occultat, vel ea emendo rapinas fovet, &c. *Ibid.* Hi enim omnes, uti & is cui res furtivæ traditæ sunt in custodiam, tenentur (non manifestato fure) restituere domino. Et sic peccare eos, qui à sartoribus emunt fragmenta panni, seu vestium, docet *Villalo*: apud *Dian. p. 4. t. 4. R. 176.* licet *ibid. Sanch.* excuset eos, qui ista emunt à sartoribus magistris, eò quòd his plerumq; detrahatur plus à justa mercede, quam mereantur ista fragmenta, ideoq; licitè ea retineant. Neque hic à peccato excusari caupones, quia à filiis familias acceptant pecunias, aliasve res parentibus surreptas, notat *Laym. l. 3. t. 2. c. 5. Bon. &c.* Qui verò post delictum ipsum reum juvat ad fugiendum (non concurrendo ad delictum) non tenetur restituere: modo non det illi spem refugii imposterum. Tum quia est causa damni, tum quia reo licet fugere, ut infra dicetur. *l. 4. d. 7.*

VI. Item

VI. Item partitipans de præda, aut quoquo modo operans; ut agens excubias, applicans scalas, parans instrumenta, conficiens literas, &c. in bello iniquo tormenta advehens, &c. Excusantur tamen (modo actio per se non sit mala) qui ea non sponte, seo justo metu coacti faciunt, ut v.g. cum rustici furto à solis militibus facto, coguntur eorum prædas avehere, vel peccora abigere. *Less. dub. 5. n. 19.*

VII. Item tenentur causæ, quæ privativè ad damnum alterius concurrunt, nimirum mutus, sive non clamans, cum potest, aut non obstans, non manifestans; sed tunc tantum, quando tales ex aliquo pacto, vel officio, vel stipendio &c. tenentur ex justitia damnum cavere *S. Tho. 2.2 q. 62. a. 7.* Sic Princeps, Magistratus, belli Dux, tenentur ad restitutionem damnorum, quæ à feris, latronibus, militibus, ob ipsorum culpabilem negligentiam dantur. Item Consiliarii, Canonici, tacentes, absentantes se, non impedientes iniquam constitutionem, vel electionem. Item tutores, administratores bonorum, &c. non impedientes damna pupillis, Minoribus, Ecclesiis provenientia. Item custodes montium, vinearum, sylvarum, agrorum, piscinarum, qui damna non impediunt, vel facta non manifestant. *Molin. d. 116. Fill. t. 32. c. 3. q. 12.* v. supra *l. 3. t. 3. cap. 2.* Item Principes & domini Territoriorum si sciant vias publicas infestari prædonibus, & cum possint, non impediant, tenentur mercatoribus & ceteris viatoribus damna, quæ ab istis accipiunt, compensare, *Dian. p. 8. t. 7. R. 38.*

VIII. Supradicti non tenentur ad restitutionem quando non fuerunt causa efficax damni, ut v. g. si fur, homicida, non fuerit efficaciter motus mandato, consilio alterius sed nihilominus absolutè erat facturus. Item, si v.g. in Capitulo alii ante te dederint suffragium, ita ut videas te nihil impetraturum, etsi neges: tunc enim non teneris restituere, licet pecces, pro qualitate damni, addendo tuum, vel mandando, consulendo, &c. *Bon. l. c.*

IX. Probabile est, non teneri supradictos, si non sit moraliter certum, eorum mandatum; consilium, efficaciter influxisse: quia in dubio melior est conditio possidentis: præsertim circa materiam justitiæ, *Less. c. 13. d. 4. Bon. q. 2. q. 4. Dian. t. 3. misc. R. 84. Tan. 2. 2. d. 4. q. 6. d. 14.*

X. Nec tenentur, si efficaciter tantum concurrant ad circumstantias, & modum actus damnosi; v.g. si quis tantum impellat alium, ut citiùs, vel animosius, hoc vel illo loco, vel modo noceat, v. *Laym. l. 2. s. 5. t. 1. c. 5.*

XI. Nec tenetur, qui deliberatè volenti inferre magnum damnum, suadet, ut minus eidem inferat: quia tunc utiliter alterius negotium gerit. Dico eidem, quia non licet impedire damnum unius, cum iniuria alterius.

XII. Non tenetur item (contra *Nav. Ang. &c.*) Confessarius, etsi ex officio confessiones audiat, ut Parochus, &c. si ex negligentia, vel ignorantia, pœnitentem non moneat, aut obliget ad restitutionem: quia etsi ex officio teneatur bene instruere pœnitentem, ideoque peccet graviter omit-

omittendo, quando est necessarium; non tamen ad hoc tenetur ex obligatione erga tertium, quasi ex justitia debeat eius damnū cavere, aut procurare, ut hoc ei compensetur. Secus tamen dicendum videtur, si positivè restitutionem impediat ex malitia, imò etiam ex ignorantia crassa, vel culpa lata: quia tunc consilio suo, est causa efficax damni, *v. Less. & Bon. d. 1. q. 2. p. 11. Laym. l. 3. t. 4. c. 7.* & infra *l. 6. t. c. 2. dub. 5.*

## DUBIUM III.

### *An supradicti teneantur singuli restituere in solidum, & quo ordine.*

Resp. Cum plures damnificantes, vel seorsim singuli rem suam agere possint, vel conjunctim, atque alii aliis plus minusve in damnum influere, hinc ex tali ordine & mensura influxus, ordo & mensura restitutionis sumenda est. *Ita comm. Doct.* Unde resolves.

I. Si plures absq; consensu, quisque per se seorsim, & casu concurrant ad damnum, singuli non plus tenentur restituere, quàm quod quisque per se damni intulit. *Laym. lib. 3. tr. 2. cap. 6.*

II. Si plures consensu, & invicem juvantes, id fecerunt, singuli in solidum tenentur restituere totum damnum: quia singuli sunt causa totius damni, cum unus juvet alterum, & procedat ex confidentia, quam habet in auxilio aliorum. Unde si unus eorum restitutionem fecit, potest à reliquis, nimirum à principali totum, aut si is nolit, à reliquis, pro rata singulo-

rum, repetere, *Bon. de reſt. d. 1. q. 2. p. 11. ex Vaſq. Mol. Fill. &c.*

III. Quòd ſi actio damnificans fuit lucrativa, & aliquem ex cooperatoribus res ablata adhuc exiſtat, aut is eam mala fide abſumpſit, tenetur is primo loco reſtituere ipſam, vel æquivalens; & ſi ille non faciat, reliqui. *Leſſ. l. 2. c. 13.*

IV. Si actio damnificans non fuit lucrativa, aut quia res periit, & deſtructa eſt, ut ſit, v. g. in combuſtione, mutilatione, detractione, tunc ante alios primò tenetur reſtituere qui mandavit, vel qui cauſa fuit primaria, vel executor primarius; ut in bello Princeps, & Dux, & ſi is non ſit facturus, ut quia non vult, vel quia non poteſt, tenentur reliqui, v. g. cæteri milites. Quod etſi de militibus ſpeculativè verum ſit, practicè tamen ii excuſantur per accidens: tum quia non poſſunt totum reſtituere: tum quia dominorum voluntas non eſt, nec exſpectatio ut plus reſtituant, quam partem ſuam; ideoque ſi hanc poſſunt, ad id tenentur; uti & ſi quid adhuc reliquum habent ex iniquo, *Laym. l. 3. tr. 2. c. 6. n. 5. ex Caiet. Mol. &c.* Imò *Bon. de reſt. d. 1. q. 2. p. 10. n. 13. ex Navar. cap. 17. Vaſq. & Leſſ. d. 4. n. 37.* dicit militem gregarium, qui alios non induxit, non teneri ad reſtitutionem totius damni illati à toto exercitu, ſed tantùm pro ſua parte, v. ſupra *t. 4. c. 1. d. 5. art. 3.*

V. Si damnum paſſus condonet reſtitutionem principali damnificanti, etiam minus principales liberantur: non autem vice verſa: quia ruente principali, ruit acceſſorium, non contra. v. *Lay. l. ſuprà cit.*

DVBI-

## DUBIUM IV.

### *An teneatur restituere, qui alium impedivit à consecutione alicujus boni.*

Resp. Attendendum, an lædatur jus alicujus, quod à natura, lege, vel aliter habeat? & an per vim, fraudem, calumniam, & mendacia quis alium impedierit: num vero aliter. Inde enim apud *Laym. l. c. & Bon. q. 2. p. 12.* resolvuntur sequentes Casus.

I. Qui alterum impedivit à consecutione rei debitæ ex justitia, tenetur ad restitutionem. *Less. c. 12. dub. 18. Fil. t. 32. c. 3. q. 12. n. 72.*

II. Si res non erat debita ex justitia, sed conferenda ex libera voluntate, tunc qui sine vi, & calumnia callorem inducit, ut v. g. officium, vel legatum, beneficium Ecclesiasticum, & similia dona gratuita non conferat, cui apud se constituerat, aut qui petierat, sed vel nulli, vel alteri etiam minus digno: etsi sæpè is possit graviter peccare, præsertim si id ex odio, vel alio malo fine faciat, non tamen tenetur ad restitutionem. *Azor. 3. p. l. 4. cap. 9. Vasq. Sa, Bonac. p. 12.*

III. Si in re prædicta ex libera voluntate conferenda aquis per vim, fraudem, vel calumniam, collatorem induceret, ne ei daret, aut eum à petitione (cùm quivis habeat jus petendi) aut à consecutione talis rei, per vim, fraudem, calumniam, vel mendacium impediret (cùm etiam quivis jus

habeat ne inique impediatur ) is teneretur ad compensationem damni, arbitrio viri prudentis, juxta certitudinem vel probabilitatem, qua alter tale bonum alioqui assecuturus fuisse existimaretur: dummodo tamen eo sit dignus; nam si indignus est, non tenetur ad restitutionem, nisi famæ, si eam fortè læserit. *Less. l. 2. cap. 12. d. 18. Molin. tom. 1. d. 135. Sa. V. Restitutionum. 21. Bonac. &c.*

## DVBIVM V.

### *Cui, vel quibus restituendum?*

Resp. Attendendum ad naturam justitiæ, & quis damnum patiatur, quidve ratio & leges ferant communiter, *vid. Less. & Laym. hic c. 9.* Unde resolves.

I. Quando bona restituenda, sive debita quæcunque, sunt incerta, hoc est, cum cui debeantur ignoras, aut adire non potes, aut illis restituere, tunc si ea habeas sine delicto, ut si inveniſti, vel à mercatore v. gr. per errorem accepisti duas ulnas panni pro una, & jam is discessit, nec scis quo abierit, teneris adhibere aliquam diligentiam inquirendi, postquam si spes non sit sciendi dominum, probabile est quod non tenearis ea dare pauperibus, ( licet ita pleriq; cum *D. Thoma* sentiant, & sit magis pium ac practicè suadendum) sed possis tibi retinere, ut docet *Petrus Navar.* quem sequitur *Laym. hic, & Less. l. 2. c. 14. dub. 7. n. 48.* idque *Diana p. 2. t. 3. m. R. 5.* dicit esse tutum in praxi. Si verò ea habeas ex delicto, ut furto, usura, &c. teneris ea restituere pauperibus

babilitèr sentiunt, posse reddi furi, ut ab eo pretium suum recuperet: quia non constituit rem pejore loco, quàm ante fuerat; & consequentet ipse non infert domino damnum. Quod *Navar. Trul. l. 7. c. 11. d. 4.* admittunt cum hac limitatione; si mox, & non post longum tempus contractum rescindat: vel si certo sciat furem redditurum rem domino; vel si dominus rei sit mortuus, aut absit, ita ut conveniri non possit. Quod si autem pretium suum recuperare non possit à vendidore, tenetur reddere domino, & sibi damnum asscribere. Quod si porrò sciens rem esse furtivam, emat eo fine, ut invento vero domino restituat, tunc si emit parvo pretio, tenebitur id ei dominus refundere, cum utiliter eius negotium gesserit: secus autem, si pretium esset fere æquale rei; tunc enim sufficit refundere ad arbitrium viri prudentis tantum, quantum videtur meritus rem domini utiliter redimendo. *v. Less. l. c. c. 14. dub. 3. Diana p. 2. t. 3. Res. 5.*

IX. Si bona fide rem alienam, v.g. equum emisti ab altero, v.g. Petro, & vendidisti tertio v.g. Paulo, & postea cognoscatur esse Joannis, eoque repetẽte à Paulo, Paulus repetat pretium à te, existimat quidem probabile *Navar. & Dian. p. 1. t. 8. R. 68.* non teneri te Paulo id reddere (si in nullo factus sis ditior) sed sufficere, si tuam actionem, quam habes in Petrum, ei cedas. Verum *Sotus Solon. Less. Sayr. Bonac. de rest. q. 4. p. 2.* rectius docent teneri te, exigente Paulo, contractum rescindere, & pretium restituere: tum quia vendidisti rem vitiosam; tum quia teneris de evictione

em-

emtori, nec eum potes remittere ad illum, cum quo nihil habet negotii. Quod si tamen Paulus cum possit, tibi non restituat equum, sed Joanni, & hoc ipso impediat, quo minus pretium tuum possis recuperare, nec tu teneris ei pretium ab ipso acceptum restituere. *Bon. Less. &c. vid. Trull. cap. 11. d. 3.*

*Quæres.* Cui restituendi, sive dandi sint thesauri, & alia inventa, quæ habentur pro derelictis?

*Resp.* Quando nullius domini sunt, iure naturali & gentium fiunt primò occupantis. Potest tamen per consuetudinem, & leges aliter quid ordinari; quod servandum est. De quo *v. Less. l. 2. c. 5. d. 10. Lay. l. 3. t. 1. c. 5.*

*Quæres II.* An & cui restituenda, quæ capiuntur venatione juste prohibita?

*Resp.* Id æstimandum partim ex jure naturæ, partim ex consuetudine & legibus, ac particularibus, ut v. apud *Laym. l. c. l. 3. t. 1. c. 5. n. 14. & Less. c. 8. d. 9. & c. 9a. V. Venatio.* Ex quibus resolvitur hic casus.

Venator iniquus tenetur restituere saltem damna quæ segetibus fructibusque infert.

DUBI-

pauperibus, vel Ecclesiæ, hospitali, &c. quia debet tunc fieri restitutio meliori modo quo potest, ut saltem, cum corpori domini non prosit, prosit eius animæ, dum in pauperes expenditur. *Ita communiter Doctores*, ut v. apud *Laym. hic.*

II. Qui multis minutis furtis, v.g. olei, panis, vini &c. damnum intulit multis civibus, eum teneri restituere non pauperibus, sed ipsis civibus, (minoris deinceps vendendo, aut maiore mensura, donec veniatur ad æqualitatem) dicit *Mol.* At *Vasq. & Esc.* dicunt esse probabile, quod possit dare pauperibus præsertim civitatis ejusdem.

III. Quando bona sunt certa, ordinariè restitui debent possessori iusto, à quo accepta sunt, vel cui damnum illatum; etsi is non sit immediatus dominus. Unde quod acceptum est à depositario, commodatario, conductore, custode, administratore, debet, non domino, sed ipsis restitui: quia alioqui ipsis fieret iniuria, si iure possessionis, detentionis, custodiæ, aut utilitatis spoliarentur; & damnum atque lucrum cessans compensari deberet.

IV. Excipitur tamen hinc 1. Si eorum nihil interesset, ut si sine illorum damno, infamia, domino restitueretur. 2. Si probabiliter ipsi putarentur rem absumpturi, vel ablaturi, cum iniuria domini: quo modo bona Ecclesiæ non Prælato dissipatori, sed potius Capitulo restituenda sunt. Item accepta à filio familias, pupillo, furioso, uxore, religioso, si sint ex iis bonis, quorum administratio ipsis non competit, plerumque

que sunt restituenda patri, tutori, marito, Prælato. Sic etiam si bona alicujus publicata, & fisco addicta sint: tunc enim depositum, & similia debita fisco debent reddi.

V. Cum quis ignorato domino cui restituendum erat, non præmissa aliqua diligentia, pauperibus distribuit, non satisfecit domino postea comparenti: secus si diligentia sit præmissa, ut *vid. Loß. l.2 c.24. dub.3.*

VI. Cum dominus quidem scitur, sed ei mitti non potest sine sumptu; tunc si res male accepta est, tenetur restituens aliquas expensas ex se facere; si autem benè accepit, non nisi expensis domini. Quando nullo modo potest mitti, expectandum est ad tempus, & si adhuc non sit spes, reputatur debitum incertum. *Tol. l.3 c.23.*

VII. Cum quis accepit rem alienam à possessore bonæ fidei, putante rem esse suam cum non sit, tum si quidem intervenerit aliquod justum pactum; ut depositi, commodati, pignoris, &c. illi restituendum est, & non domino. Qui tamen ex charitate monendus erit, si id ei profuturum putetur, sine alterius graviori incommodo, infamia, &c. *Vasq. Azor. p.3. lib.4. c.3. q.1.* Si autem aliter accepta est, tunc verò suo domino restitui debet, si eum novisti, & absque incommodo fieri possit.

VIII. Quando à fure, vel alio venditore quis emit, sive mala, sive bona fide, rem furtivam tenetur restituere domino, non furi. *Ita communiter Mol. Regin. to.1. l.10. c.5. n.40. Toletus* tamen *l.5. cap.17. Sylv. Ant. Mald. in 2.2. t.4. c.3. dn.2.* probabili-

# DUBIUM VI.

## *De rebus quæ debent restitui.*

## *ARTICVLVS I.*

### *Quid debeat restitui ab inferente iniuriam materialem tantùm, sive à possessore bonæ fidei?*

Resp. Qui bona fide damnum intulit, aut possidet aliquid, de quo postea melius cognoscit, tenetur, nec incipiat esse possessor malæ fidei, & detinere alienum, id tantum, & non plus restituere, quod ex ea re ipsi supereſt, una cum eius fructibus, si extent, vel quatenus inde factus est ditior; præterquam si dominium sibi comparavit per legitimam præscriptionem. *Ita communiter Doctores Molin. Sanch. Less. l. 2. c. 6. Bon. d. 1. q. 1. p. 1. Laym. l. 3. t. 2. ca. 3.* Unde resolves.

I. Si vestem v. g. bona fide donatam à fure aut alio, portasti, & ferè attrivisti, ac postea dominus compareat, teneris eam, aut æqualem ei restituere, & insuper persolvere quantum attrita est, si alias vestem æqualis valoris attrivisses: si autem eam amisisti, aut ablata tibi est, &c. ad nihil teneris. *Bon. l. c. Laym. num. 1. v. Trull. lib. 7. c. 11. d. 1.* Si autem res, quam à fure bona fide accepisti (sive donatione, sive emptione) sit, usu consumptibilis, eamq; cum tuis miscuisti, ita ut discerni nequeat, etsi deinde deprehendas furtivam fuisse, non teneris restituere. *Nav. Sylv*

*Sylv. Sayr. Leſſ. Bon. d. 1. q. 3. p. 1.* quia per iſtam commixtionem bona fide factam, eſt in te translatum dominium ut colligitur ex L. *Si alieni nummi ff. de ſolut.* Neque eſt ratio, cur hæc potius, quàm illa pars cenſeatur aliena, atque adeo periit obligatio realis, & tantùm manet perſonalis in venditore *vid. Dian. p. 4. t. 4. R. 66. Trul. l. 7. ca. 11, d. 3. Leſſ. l. 2. c. 30. d. 18.* ubi addit eſſe valde probabile, jurique naturæ conforme, quod verus dominus rei illius ablatæ & permixtæ (quam diu totus cumulus extat) retineat jus in re, ut ex iſto cumulo ſibi ſatisfiat ante alios; imò poſſit ex eo occultè accipere.

II. Milites bona fide militantes, intellecta poſtea belli injuſtitia id tantum reſtituere debent, quod adhuc habent ex præda, & quo facti ſunt ditiores. *Ben. l. c.*

III. Qui bona fide per inculpatam ignorantiam celebravit contractum, quem poſtea uſurarium eſſe cognoſcit, non plus tenetur, quam factus eſt ditior. v. *Laym. l. 3. t. 2. c. 3.*

IV. Poſſeſſorem bonæ fidei, ſi adhibita diligentia inclinet in eam partem, quod res non ſit ſua, teneri aliquid reſtituere juxta inclinationem, docet *Con. d. 34. dub. 10. num. 93.* At *Palaus tom. 1. d. 3. p. 2. num. ult.* putat ad nihil teneri: quia poſſeſſio contrariis rationibus non convincentibus præponderat. Idem docet *Vaſq.* apud *Eſcob. t. 3. c. 3. n. 154. Dian. p. 4. t. 3. R. 24. & 29.* Si neglexit inveſtigare veritatem, & deinde ſciri non poteſt, dicit *Palaus l. c.* ad nihil teneri.

V. Si bona fide rem vendidiſti dono tibi datam,

tam, teneris restituere pretium quia factus es locupletior: & satis debet esse tibi, non habere minus, quam ante. Quod si tamen apud alterum res est, id reddere tenetur. *Ibid. & Vasq c.9.§.2. Mol. Less.l.2.c.14 d.1.*

VI. Si bona fide rem ipse emisti, & vendidisti absque lucro, nihil teneris restituere; sed solus is, apud quem res est. *Mol.l.c. Less.l.2,c.14.d.1*, contra *Vasq. &c.*

VII. Si rem alienam bona fide donasti, non donaturus aliam, si hanc non habuisses, ad nihil teneris, quia non es factus ditior: secus si aliam donaturus fuisses, (quia tunc parcendo tuæ factus es ditior) vel si aliquid accepisti in renumerationem, *Bon. Trul.l.7.c.12.d.1.*

VIII. Si aliena re lucratus es tanquam instrumento: v.g. frumentum alienum alio deportatum vendidisti, vel pecuniam alienam negotiationi exposuisti, non teneris illud lucrum restituere; quia non est fructus rei alienæ, sed tuæ meræ industriæ: tales enim fructus dicuntur meræ industriæ, quos ipsa natura ex se nullo modo gignit, sed tantum concurrit ut instrumentum operantis. *Laym.l. c.n.3. ex S. Thom. &c.*

IX. Fructus omnes rei, sive ii sint merè naturales, hoc est, qui vix ullo hominum labore egent, ut fœtus animalium, arborum, herbæ & gramina; sive sint simul industriales, sive mixti, hoc est, ad quos æquè, aut magis hominum labor cum natura concurrit, ut v.g. segetes, & quæ serendo gignuntur; item vinum, oleum, lana, &c. quo etiam referuntur pretia locationis domorum, jumento-

mentorum, &c. qui fructus civiles appellantur; hi inquam fructus rei, si percepti, & extantes sint, domino restitui debent ; deductis tamen expensis propriis,& æstimatione laboris. Et quidem pretium locationis ex re aliena debet domino restitui, licet is rem, si penes se habuisset, non fuisset locaturus ; *v. Laym. l. c.* Si tamen fructus isti reales bona fide possessi fuerint tempore à legè præscripto ad usu capiendum illos, (quod, si adsit titulus,est biennium inter præsentes,inter absentes quadriennium, si autem non adsit titulus,anni 30. cum bona fide) non sunt restituendi , quia usucapio transfert dominium, *Salon. Trul. l. 7. c. 11. d. 3.*

X. Si à fure accepisti (sive bona, sive mala fide ) rem usu consumptibilem, v.g. vinum, oleum, triticum, &c. cum propriis ipsius furis rebus permixtum , ita ut discerni non possit ; non teneris restituere , si fur ad restituendum sit potens: quia fur per commixtionem istius rei cum propria, acquisivit eius dominium, atque adeo illud tanquam verus eius dominus potuit transferre. *Navar. Sanch. Less. Bon. Trul, l. 7. c. 11. d. 3. v. Dian. p. 2. t. 5. m. R. 40.*

ARTI-

## ARTICULUS II.

### *Quid debeat restitui ab inferente iniuriam formalem, seu malæ fidei damnificatore seu possessore.*

Resp. Id juxta supradicta æstimandum à quantitate tum juris, quod alter habet, tum damni, quod iniustè infertur; cui æquale reddi debet, nisi aliud de damnificanti mente & consensu rationabiliter præsumatur. *Vnde resolves.*

I. Si damnificatus habeat jus in re, in qua damnum est passus, restitutio ei facienda est in solidum: si autem tantum habeat jus ad rem, restitutio facienda est pro quantitate juris, consideratis circumstantiis: quia non debetur solidus valor rei, quæ expectabatur, cum tantum sit in spe, & multis modis possit impediri.

II. Qui in loco publico suæ civitatis, contra justam prohibitionem pascit, vel ligna cædit, non tenetur ad restitutionem, nisi communitati graviter nocuerit, v.g. stirpes incidendo, arbores ædificiis idoneas sternendo; quia rationabiliter præsumitur mens Reipub. non esse, suis membris usum publicorum rigidius prohibere, quam sub mulcta solvenda, casu quo deprehendantur.

III. Gravius tamen peccaret, & teneretur ad restitutionem, si quis pasceret in loco alicujus privati: etsi etiam hic præsumi aliquando possit de consensu domini, qui sæpè non intendit ut fiat restitutio, sed ut deprehensus pœnam luat.

IV. Qui venantur, vel piscantur in locis alteri loca-

locatis, vel aliàs prohibitis, (saltem si ea concluſa, vel circumſepta non ſunt) non peccare mortaliter nec teneri ad reſtitutionem, docet *Dian. ex Leſſ. Dicaſt. &c. p. 9. t. 9. R. 39.* contra *Bon. &c.*

V. Etſi probabilius ſit, & in praxi communiter tenendum, peccari mortaliter circa vectigalium fraudationem, ex eaque oriri obligationem reſtitutionis: non omnino tamen improbabiliter id alii quidam negant, eo quod conſuetudo interpretetur, non eſſe mentem legislatorum ad aliud obligare, quàm ut deprehenſi mulctentur, *vid. Navar. c. 23. Sa V. Gabella Bon. q. 9. p. 1. num. 5. ex Navar. Fill. t. 28. num. 114, Leſſ. Mol. d. 9. Dianap. 1, t. 11. R. 38. & p. 2. t. 17. R. 28.* ubi ex *Caietan, Med. Sot. &c.* docet, non eſſe negandam abſolutionem pœnitenti, qui defraudavit gabellas, ſeu vectigalia impoſita rebus iis, quæ emuntur non ad negotiationem, ſed ad uſus propriòs, vel familiæ, neceſſaria, v. g. pani, carnibus, piſcibus, frumento, oleo &c.

VI. Cæterum ordinariè iniuſtus, ſeu malæ fidei damnificator aut poſſeſſor, tenetur non tantum reſtituere rem ablatam, & fructus perceptos (exceptis ſuis expenſis, & induſtria) ſed etiam ſarcire damnum emergens, & lucrum ceſſans: cum vere ſit iniuſta cauſa talium damnorum. Unde ſi dominus re ſua retenta, per culturam vel negotiationem percepturus fuiſſet ex agro ſuo, aut pecunia centum florenos, & alter parum aut nihil debet is domino ſuo ſatisfacere pro centum illis florenis: quamvis communiter ſoleant domini plurimum remittere, ſi res componatur, *Lay. lib. 3. tr. 2. c. 4. num. 7.*

VII. Si

VII. Si res aliena, dum iniustè detinetur, crescat, aut pretium eius augeatur; domino crescit, ac proinde id ei præstari debet, *vid. Laym, hic l. 3. .2. c. 4.*

VIII. Si res aliena, dum iniustè detinetur, pereat aut deterior fiat, idque casu, vel justa hostium incursione, vel naturaliter, & certum sit apud dominum æquè perituram fuisse, non tenetur alter restituere: quia nihil novi detrimenti domino apud furem v.g. accidit quod non apud ipsum. Si vero non fuisset peritura apud dominum, vel saltem nonnisi per injuriam, tunc injustus detentor adhuc tenetur ad restitutionem, licet sine sua culpa res perierit, *Laym. t. 2. 4, n. 2.*

IX. Si res aliena apud iniquum detentorem pereat, idque ipsius culpa, aut quia is absumpsit, alteri donavit, destruxit; &c. tunc etiamsi domino relicta fuisset certo peritura, nihilominus tenetur pro ea Domino satisfacere ut est communis apud *Laym. l. c. Less. &c.*

X. Qui fingens se pauperem vel alium quam est, extorsit eleemosynam, non tenetur restituere, si parva fuit, qualis ostiatim mendicantibus datur: secus si fuit magna; tunc enim quia subintelligitur conditio hæc, (si pauper es) tenetur restituere secundum *Mol.* danti; secundum *Palaum* vel danti, vel aliis pauperibus. *v. Escob. t. 3. E. 2. c. 6. n. 109.*

XI. Qui in extrema necessitate consumpsit quod ante acceperat commodatum, conductum, vel precarium, non tenetur restituere: quia nec ratione rei acceptæ cum ea nec in se, nec in pre-

pretio extet ; nec ratione acceptionis , cum jure eam consumpserit; nec ratione contractus, cum hic non obliget, nisi re pereunte tua culpa, *Less. Hurt. Tur. Dia. p. 5. t. 8. R. 10.* Imò probabiliter ne quidem id, quod ante illam necessitatem eras furatus & in ea consumpsisti ; quia furtum tibi non ademit jus, quod ad rem tali casu habebas. *Cõn. Pala. Hurt. Dian. l. c. R. 8.* contra *Less. & Vasq.* sicut neque si in ipsa necessitate accepisses & consumpsisses. *Dian. l. c. R. 9. ex Azor & 6. aliis* contra *Less.*

## ARTICULUS III.

### *An, & quid debeat restitui pro injuria illata corpori, v. g. per mutilationem, occisionem, &c.*

Resp. Injustus occisor, mutilator in cõnscientia tenetur tantum restituere pro damnis bonorum fortunæ , quæ ex tali occisione, vulnere, &c. directè ab eo, causata sunt , juxta prudentis arbitrium : præcisè autem pro vita, membro, vel cicatrice, nihil tenetur restituere secundum rigorem, cum sint bona altioris ordinis, quæ pecunia æstimari non possint. Ita contra *Sotum Sylv. &c.* probat *Less. l. 2. c. 9. d. 23. vid. Laym. l. 3. t. 3.* Unde resolves.

1. Qui occidit ebrius alium, si ebrietas non fuit culpabilis & voluntaria, vel licet fuerit talis, si tamen homicidium vel non prævidit , vel diligentiam debitam adhibuit ad cavendum , non tenetur

tur ad restitutionem: tenetur autem, si prævidit, & non cavit, *Bon. d. 2. q. ult. s. 2. p. 2. ex commun.*

II. Qui occidit Cajum putans esse Titium, tenetur ad restitutionem: quia actio ista est Cajo injuriosa, *Bonac. l. cit.*

III. Si læsus ante mortem omnia remisit, ad nihil tenetur occisor, quia filiis non fit injuria in bonis, nisi quatenus læduntur in parte contra ejus voluntatem (volenti enim non fit injuria) ergo sicut per eum jus acquirunt, sic etiam amittunt; etsi non rectè faciat parens, si filii valdè egeant, *Less l. 2. c. 9. d. 26.*

IV. Etsi præcisè pro vita, membro, occisione, non sit obligatio restituendi: per sententiam tamen judicis cogitur injurians satisfacere pro injuria.

V. Consilium est, ut confessarius pro his injungat eleemosynas, Missas, pro salute occisi.

VI. Si occisus, vel mutilatus fuerit servus vel animal, tunc etiam pro vita & membris facienda est restitutio: quia horum vita pretio æstimatur; ac proinde tantum debet restitui, quanti potuisset vendi; & pro mutilatione vel cicatrice, quanto pluris venderetur.

VII. Pro expensis funeris nihil restituitur; quia illæ aliquando faciendæ tamen fuissent. Nisi fortè occasione illatæ necis, v. g. extra patriam, majores fieri oportuerit.

VIII. Restitui debent impensæ factæ in curationem, & medicamenta vulnerati, vel occisi, *Fill. t. 32. c. 8. n. 202.*

IX. Item lucra, quæ ex mutilatione vel vulne-

ratione ceſſarunt, non quidem tam in ſolidum, ac ſi de facto eſſent acquiſitæ, ſed pro majore aut minore ſpe, quam læſus habuit illa acquirendi, *vid. Trul.l.7.c.8.d.3.*

X. Si homicida à Magiſtratu plectatur, verius eſt adhuc teneri ad damna ſarcienda; cum morte ſua tantum ſatisfaciat juſtitiæ publicæ, non hæredibus occiſi. Qui tamen, cum plerumque aliud non exigant, videntur eſſe contenti, ac proinde hæredes homicidæ ad nihil tunc teneri, *Fill. l.c. n.214.*

XI. Debet autem reſtitutio fieri tantum parentibus interfecti, filiis & uxori: quia hi ſoli directè læduntur; cum moraliter cenſeantur una perſona cum occiſo. Niſi tamen occideris animo etiam nocendi aliis: nam tunc etiam his reſtituere teneri dicit *C. Lugo de juſt.d.11. num.8. ex Leſſ. v. Trull. l.c.d.4.*

XII. Etſi probile ſit, deberi etiam reſtitutionem creditoribus occiſi, ſi quod damnum illis ex ea cæde obvenit: contrarium tamen etiam probabile (ſaltem ſecundum limitationem caſus præcedentis,) eſt; cum occiſio illa non ſit directè cauſativa illius damni. *vid. Laym. l.c.n.4.*

XIII. Non tenetur occiſor aliquid eis reſtituere, quos occiſus alebat ex liberalitate: quia damnum illorum per accidens ſequitur, *v. Leſſ. l.2.c. 9.d.26. Trul. l.c.*

XIV. Nec tenetur ad damna, quæ v.g. provenient ex morte alicujus innocentis, qui per errorem putaretur homicidium feciſſe, & ſic captus plecteretur: quin hujus mors non directè cauſare-

tur

tur ab ipso, sed per accidens, & ex errore vel malitia accusatorum. *v. Bon. d. 2. q. ult. s. 2. p. 21.*

## ARTICULUS IV.

### *Quid debeat restitui pro illato stupro?*

Resp. Qui virginem per injuriam defloravit, tenetur tantum rependere damnum, quod ei ex tali injuria est secutum; idque vel matrimonio, vel damni æstimatione, ad arbitrium prudentis, ut talem nimirum inveniat, qualem manens virgo inveniisset. *v. Sanch. l. 7. d. 14. Fill. t. 32. cap. 8. n. 209.* Unde resolves.

I. Præcisè pro sola virginitate non obligat restitutio. Unde si stuprum mansit clam, aut non impedivit, quin æquè lautè nuberet, ad nihil tenetur stuprator. *Less. Bon. q. 4. de mat. p. 7.*

II. Item ad nihil tenetur, si defloravit consentientem, absque vi & fraude, vel promissione matrimonii: quia non est facta injuria, *Ib. & Trul. d. 2.*

III. Si virginem importunis precibus flexit, nihil tenetur restituere, quia adhuc consensit liberè. Nisi fortè preces tales fuerint, ut cum vi & coactione æquiparentur; ut si conjunctę fuerint cum minis, vel metu reverentiali, v. g. si fuit illius dominus, vel vir magnæ authoritatis, *Trul. c. 9. d. 3.*

IV. Si per promissionem veram, vel fictam matrimonii eam flexit, tunc tenetur ducere eam: quia in omni contractu, ubi alter ex parte sua acceptavit & implevit, tenetur & alter implere;

etiam si fictè contraxerit: qui tenebatur ex justitia verè contrahere ; cum alioqui omnia humana commercia fraudibus paterent. Et id quidem verum est, etiamsi stuprator religionem voluisset, *Less.lib.2.c.10.d.3.& 4.Trul.d.3.*

V. Non tamen tenetur fictus promissor eam ducere, casu quo. 1. Is puellam valdè notabiliter conditione excederet, vel verbis usus esset fictionem facilè indicantibus. 2. Si ipsa conscia esset prædicti voti ; quia tunc ipsa contraxisset mala fide. 3. Si ipse putavit esse virginem , cum tamen non esset. 4. Si ex matrimonio grave damnum, aut scandalum timeretur. 5. Si ipse jam sacris initiatus est, aut alteri matrimonio copulatus: tunc enim his casibus solum teneretur curare, ut æquè commodè nubat, modo ante dicto, dando scilicet dotem, vel aliter, *vid Sanch.1.de matr.di.10.lib.1. Trul.l.7.ca.9 dub.3.*

## ARTICULUS V.

### *Quid debeat restitui pro adulterio?*

Resp. Cum ex adulterio damnificari possint conjux alter, & proles legitimæ, circa sustentationem; hæreditatem, &c. patet, quod uterque adulterans, nata eis prole debeant , cum id damnum causent, eatenus restituere, quatenus possunt sine detrimento altioris boni, & causatione majoris mali. *Est communis. Laym.l.3.t.3.p.1.c.14.* Unde resolves.

I. Quod attinet ad ipsam adulteram, ordinariè non tenetur prodere , quod proles ejus spuria sit: nam & viro suo tristitiam, & sui odium, & discor-

dias

dias domesticas crearet: ac famam suam prodigeret, quibus damna fortunæ merito cedunt. Accedit, quod proles matri non teneatur credere se esse illegitimam, *Fill t.1.c.32.q.222.*

II. Debet tamen si potest, aliis industriis damnum compensare, v.gr. 1. diligentius administrando rem familiarem. 2. de cultu corporis detrahendo 3. si habet bona propria, plus legitimis, quam spurio relinquendo. 4. eum inducendo, ut relicta hæreditate vel ejus parte, amplectatur statum Ecclesiasticum vel Religiosum, si idoneus sit, &c. *Trul.l.c.d.4.*

III. Quod attinet ad ipsum adulterum spurii patrem, etiam ipse sæpè excusatur, vel in toto, vel ex parte; sive quia damnum ab adultera compensatum fuit, vel compensandum creditur; sive quia restitutio non potest fieri sine periculo vitæ, dispendio famæ, turbatione & discordiis familiarum; sive quia non est certus filium esse suum. *v.Less l.2.c.10.d.6. Bon.de matr. q.4.p.15. Trul.l.7.c.8.d.7.*

## ARTICULUS. VI.

### *Quid debeat restitui pro fama & bonis spiritualibus, ut inductione ad peccatum, avocatione à Religione?*

Resp. I. Juxta dicta, si restitui non possunt bona ablata ex bonis ejusdem ordinis, non est obligatio faciendi ex bonis diversi ordinis. *Unde resolves.*

I. Pro fama, reſtituenda eſt fama: cum id non potes, non teneris ad pecuniam, & bona fortunæ, niſi per ſententiam à judice cogaris ſic ſatisfacere. Eadem eſt ratio de reliquis. Quod ſi tamen lædendo famam, in bonis etiam fortunæ alteri damnum allatum eſſet, conſtat ex ſupradictis quid faciendum ſit. Porrò de læſione famæ, &c. *v.* infrà.

II. Si quis alterum induxit ad peccatum ſuaſione vel exemplo ſuo, tenetur quidem ex charitate, quoad poteſt, eum revocare ad meliorem ſtatum; ſed non ex juſtitia, *Leſſ. l.2.c.8.d.2.n.20. Lay. c.8.n.1.*

III. Si quis autem induxit fraude, dolo, injuſto metu, &c. tenetur ad id ex juſtitia: quia quiſque habet jus, ne injuſtè lædatur in bonis ſpiritualibus. Unde ſi lædatur, debet id ſpirituale reſtitui ſi poteſt. Ibid.

IV. Si quis aliquem (etiam Novitium) abduxit ab ingreſſu religionis, tamen ſine vi & fraude, etſi graviter peccarit id irrationabiliter faciendo, ac proinde teneatur ei rurſus ſuadere ingreſſum ex charitate, non tamen ex juſtitia vel illi, vel religioni tenetur, quæ nullum adhuc in eum jus acquiſivit, *v. Laym. l.3.t.2 c.8.*

V. Si quis religioſum ad apoſtaſiam induxerit ſuaſione, aliave cooperatione, obligatur ex juſtitia religioni ad reſtitutionem, non quidem ut ipſe (quod aliqui volunt) loco alterius ingrediatur; ſed ut ſuadeat alteri, quoad poteſt reditum, & compenſet monaſterio commoda, quæ ex hæreditate, bonis, vel induſtria alterius expectabantur.

VI.

VI. Si quis veneno, phyltro, aliove modo alicui destruit memoriã, rationem, &c. tenetur eodem modo, quo mutilator aut vulnerans, de quo *supra* ad restitutionem lucri cessantis, & damni inde secuti in bonis fortunæ.

## DUBIUM VII.

### *De circumstantiis restitutionis.*

### ARTICULUS I.

### *Quo tempore, loco, & modo debeat restitui?*

Resp. Debet quamprimum, & eo modo ac loco restitui, quo jus & interesse damnificati requirit, & commodè ac mortaliter fieri potest sine gravi incommodo, quod quis pateretur in re sua propria, ultra debitum. *v. Laym. hic lib. 3. tr. 2. cap. 10. Fill. t. 32. c. 4. q. 11.* Unde resolves.

I. Qui non potest commodè restituere apertè, faciat clam, & qui non potest per se, faciat per aliam personam interpositam, v. g. Confessarium.

II. Possessor malæ fidei, v. gr. fur, debet suis sumptibus ad eum locum rem deferre, ubi alter habiturus fuisset, si non fuisset ablata, destructa, vel iniquè detenta, deductis tamen expensis, quas alter eam servando, vel deferendo debuisset facere. Excipe, nisi transferendo deberet plus impendere, quàm res valet: tunc enim plerumque ex præsumpta mente domini posset restituere pauperibus, vel in usus pios, *Bon. q. 6 p. 1.*

III. Bonæ fidei possessor satisfacit, si restituat in loco, ubi rem possidet.

IV. Debita ex contractu, eo locò & tempore solvi debent, de quo inter partes conventum fuit expressè, vel tacitè, *v. Less. & Bon. l c.*

V. Si quis possit quamprimum restituere totũ, ad id tenetur. Si tamen alter dilatione non peteretur ulterius damnum, aut non notabile, non facilè arguendus esset gravis peccatis, qui cum proposito satisfaciendi differret, aut paulatim per partes solveret, *v. Bon. de contr. d. 1. q. 6. p. 1.*

VI. Qui scit se teneri ad restitutionem, & cum possit in vita, non vult restituere, nisi in articulo mortis, vel post mortem per hæredes, absolvi non debet; nec potest: quia semper est in actuali peccato, & impœnitens. *Sal. Sayr. Bon. Trul. c. 14. d. 11.*

## ARTICULUS. II.

### *Quo ordine restitui debeat?*

Resp. Certum est, non necessario ordinem servari, quando debitor omnibus solvere potest: quando verò tantum non habet, aut hæredibus reliquit, sequentes Regulæ servandæ.

I. Si debitor rem alterius apud se habet, quocunq; titulo habeat, sive ex furto, sive ex deposito, sive inventione, &c. debet prius restitui domino suo, vel eo deficiente, pauperibus. Similiter si res empta ad creditum, pretio non soluto; adhuc extet *Nav. Sylv. Bon. q. 8. p. 2.* Hoc tamen *Less. c. 15. d. 2.* contra *Bon. &c.* limitat, nisi venditor ab emptore fidejussorem, vel pignus accepit.

II. Si

II. Si restitutio facienda ratione injustæ actionis, prius restitui debent certa, h.e. quorum domini cognoscuntur, quàm incerta, *Bon. Less. d.* 1. quia illa jure naturæ debentur suis dominis, hęc autem jure solo positivo pauperibus.

III. Prius facienda est restitutio debitorum licitè contractorum, quàm usurarum; cum in his dominus non fuerit simpliciter invitus.

IV. Debita ex titulo oneroso prius solvenda sunt, quam quæ debentur gratuito, v.g. ex promissione, quia hæ includunt tacitam conditionem, nisi quid obstet. Hinc debita defuncti solvenda sunt ante omnia legata, etiam pia, *Nav. Sylv. Bon. q.* 8. *p.* 2.

V. In reliquis debitis servandum est jus particulare loci, si tale sit, & non repugnet juri naturæ. Si nullum sit, sequendum est jus commune, secũdùm quod 1. Solvenda sunt debita, ad quæ bona debitorum expressè fuerunt obligata. 2. Dos uxoris extrahenda est. 3. Debita, ad quæ bona debitorum sunt tacitè hypothecata. 4. Deposita perdita in potestate debitorum. 5. Debita privilegiatorum. 6. Aliorum creditorum: post quos omnes sunt hi, à quibus usuræ acceptæ sunt, & adhuc post hos restituenda sunt bona incerta. Quando autem multi unius rationis creditores inveniuntur, temporis antiquitas inter eos servanda est, *v. Laym. l.* 3. *tr.* 2. *c.* 11. Ubi addit, ex bonis debitoris, si is defunctus sit, imprimis solvendas esse impensas funeris, & quæ ad confectionem inventarii, apertionem testamenti, item Medicos & Pharmacopolas pertinent, *v. Fill. c.* 4. *q.* 13.

*Quæres.* Utrum prius exigenti non liceat prius ſolvere?

*Reſp.I.* Solvens ſcienter poſteriori, præterito qui habet hypothecam priorem, vel privilegiatã, peccat, teneturq; priori de damno, qui etiam poteſt recuperare ſolutum, *Leſſ.d.5.ex l.Scimus §. Et ſi præterea c.de jure delib.*

II. Si ex pluribus creditoribus perſonalibus æqualib.aliquis exigat (ſive in judicio, ſive extra) tenetur ei integrum ſolvere: quia diligentia fecit eum potiorem. *Nav.Sylv.Bon.l.c.ex L.Pupillus ff. quæ in fraudem.*

III. Debitor ſciens ſtatum ſuum labentem non poteſt non petenti integrè ſatisfacere, ſed debet omnibus perſonalibus ſolvere pro rata (ſi tamen iſte ſolutionem accepiſſet, an poſſet retinere controvertitur, *v. Bon.Leſſ.l.c.Trul.l.7.c.14.d.12.*) nec poteſt uni ſolvere, omiſſis aliis, niſi ſecundum ordinem ſupradictum.

## ARTICULUS III.

### *Quæ à reſtitutione excuſent?*

Reſp. Ex parte debitoris excuſant ea, quæ faciunt, ut creditor rationabiliter debeat eſſe contentus, etſi de facto non ſit contentus. Ita commun. Doct. *Vnde reſolvuntur. Caſus ſequentes.*

I. Excuſaris in foro conſcientiæ (juxta ſententiam probabilem) à compenſatione damni, ſi illud datum ſit ſine tua culpa Theologica gravi, hoc eſt mortali peccato; niſi aliud cum altero pactus ſis, vel inde ſis factus ditior. Unde excuſaris, ſi v.g. alie-

aliquem occidisti ex subita ira; ut fuerit motus tantum primò primus, vel secundo primus, vel si ex oblivione non extinxeris candelam, & hinc ortum sit incendium, &c. Quòd si autem advertens periculum in actionibus periculosis, omittas eam diligentiam præcavendi, quam homines ejusdem conditionis communiter præstare solent, graviter peccas, & teneris restituere damna secuta. Porrò in foro externo proceditur secundum culpam juridicam, quæ sæpè non est peccatum, & dividitur in latam, levem & levissimam.

II. Excusaris à restitutione incertorum, si fecisti compositionem cum Episcopo, vel Papa. *Less. c. 16. d. 11. Bon. q. ult. p. 2.*

III. Item si in casu, quo teneris rem restituere pauperibus, tibi ipsi revera indigenti eam des: & tunc quidem postea factus ditior, adhuc non teneris restituere, *v. Lay. l. 3. t. 2. c. 12.*

IV. Si non possis restituere, nisi cum notabiliter graviore damno, tibi vel tuis, vel Reipub. inferendo, quàm æstimari debeat commodum ex restitutione creditori obventorum: tunc enim differre potes, dum cesset ista impotentia. *Lay. l. c. ex Sylv. Navar, &c.* Idq; verum est etsi debitum sit ex delicto, uti & in sequentibus casibus.

V. Si ad restituendum sis impotens, ut si vivere non possis secundum decentiam tui status justè à te acquisiti. Unde si nobilis, v. g. non potest statim solvere; nisi se privet famulis, equis, armis, &c. vel civis primarius; si obeat artem mechanicam sibi insuetam, vel mechanicus nisi vendat instrumenta sua; quibus vivit, aut magnum damnum subeat,

potest differre, & paulatim restituere sine jactura sui status, *Laym. l. c. Bon.*

VI. Quod si tamen tuâ culpâ in illas angustias delapsus sis, v. g. luxuria, ludis, superfluis expensis vestium, tibi imputare debes, quod jam sine status tui amissione non possis satisfacere. Ibid.

VII. Quòd si item creditor ex dilatione æquale damnum subire debeat, tu potius, quàm is, sustinere debes, cum ejus conditio sit melior. Excipitur extrema necessitas, in qua quoad usum, sunt omnia communia Ibid.

VIII. Quòd si item damnum, quod timetur ex restitutione, non esset propriorum bonorum, sed in hoc præcisè tantum, quod spoliet se rebus debitis, non potest ideò differre restitutionem: quia hoc non est pati in suis rebus, neq; suum statum amittere, sed est dimittere alienum, & reverti ad statum proprium, *Sayr. Bon.*

IX. Item excusatis à restitutione, si fieri nequit absq; periculo salutis animæ tuæ, vel tuorum, ut v. g. si non possis absq; peccato, ut si sit periculum, ne uxor aut filiæ se prostituant, ne filii se dent latrociniis, ne ipse per impatientiam incidas in desperationem, *Bon. ex Less. Mol. Fill.*

X. Item, si non possis restituere absq; periculo vitæ, vel notabili detrimento famæ: cum aliàs plus damni sustineres, quàm intulisti, *Bon. q. 1. p. ult. p. 1.*

XI. Item, si cedas bonis: quia leges concesserunt, ut qui contraxit multa debita, nec habet unde solvat, possit cedere bonis, ea relinquendo in manibus creditorum, & tunc manet liber, ita ut

etiam

etiam in conscientia sit tutus, retentis instrumentis artis, & quæ ad sustentationem sunt necessaria. Quod si tamen postea redeat ad pinguiorem fortunam, tenetur adhuc restituere, ex *L. cum & filiifam. qui bon.* Nav *Bon Less.* Ex quo *Trul. l. 7. ca. 15. d. 5.* sic limitat: si acquirat plus, quam ad decentiam status est necessarium ex dicta *L. qui Bon.* Nisi tamen delicta proveniant ex delicto, v. g. furto, eo enim casu tantùm posse retinere, quæ simpliciter necessaria sunt ad victum, docet Nav. *Salon. Less. l. c.* etsi hic concedat ea, quæ post cessionem justè acquiruntur, licitè retineri, si ad statum sint necessaria. *vid. Tol. Laym. l. 3. t. 2. cap. 12. Less. l. 2. cap. 16. d. 3. Bon. Trul. l. c.* Porrò etsi cessionem dictam non habere locum in bonis ex delicto provenientibus, communiter teneant DD. cum *Laym. l. c.* contrarium tamen ex *Less. Dian. &c.* docet *Trull. loc. c.* Denique etsi debitor principalis cesserit, non ideò liberantur fidejussores, *Lugo Dis. p. 7. t. 8. R. 18. & alii, 8.*

Resp. II. Ex parte creditoris excusat, 1. Si is cui debet restitui, semel remiserit, expressè vel tacitè; v. gr. si laceravit tuum chirographum, vel tibi reddidit. Remissio autem hæc debet esse libera, non metu, fraude, vel mendacio extorta. *Fill. tr. 32. cap. 5. q. 1. Less l. 2 cap. 16. d. 2. 2.* Excusat in foro conscientiæ, si solvisti ei, cui debebat tuus creditor. *Less. d. 5. Bon. p. 3. 3.* Si compensatio facta est creditori per commodum æquivalens, v. g. per procurationem officii non gratis factam. 4. Omitti, aut saltem differri potest restitutio, imò aliquando debet, si creditor sit abusur⁹, v. g. si quis pecunias tibi

mutuo datas repetat ad fornicandum, vel aliter peccandum. Item si eas repetat ad peccandum contra justitiam, sive inferendum damnum injustum tertiæ personæ, nisi tamen ex negatione restitutiois timeretur majus malum.

## CAPUT III.

### *De Contractibus.*

### DUBIUM I.

### *Quid in genere sit Contractus?*

Resp. Est pactum sive consensus duorum, quo scienter, liberè, & legitimè, uterq; se vicissim, vel minimum saltem una pars, se alteri acceptanti obligat, quocunque signo externo id fiat: ut v. g. in contractu mutui, ex una parte mutuans se obligat non repetere mutuum ante certum tempus, ex altera parte mutuatarius se obligat, tunc illud reddere; & sic de aliis. In promissione autem, vel donatione absoluta, una pars tantùm obligatur post alterius acceptationem. *Vnde resolvuntur casus sequentes.*

I. Si alteri promisisti, aut donasti interius tantùm, aut si externo signo quidem, alter autem non acceptavit, non fuit contractus, nec obligaris.

II. Invalidus est contractus, si contrahentes sint inhabiles ad contrahendum, vel si jus positivum resistat, *v. Less. l. 3. c. 37. d. 8.*

III. Item si materia contractus sit illicita, ut si sit peccatum; vel illegitima, ut si fur vendat rem alienam.

IV.

IV. Item si contractus sit factus vi, dolo, vel errore versante circa rei substantiam; v.gr. acetum pro vino, vitrum pro gemma vendidisti.

V. Non est invalidus contractus, (etsi aliquando ob injuriam possit rescindi) si error vel dolus interveniat circa qualitatem, aut circumstantiam accidentalem, v.g. emisti vinum Mosellanum, putans esse Rhenanum, nisi fortè intentio contrahentis fuerit conditionata non obligandi se, nisi existente tali qualitate, aut circumstantia. Qualis virtualiter fecisse censeri potest, si error versetur circa circumstantiam valde immutantem objectum & nimis excedentem ejus existimationem, ut notat *Laym. l. 3. t. 4. c. 6.*

VI. Nec est invalidus contractus, sive onerosus, sive gratuitus, ex metu licet gravi, injustè incusso, cum adhuc simpliciter sit liber & voluntarius: licet possit à judice rescindi, pro arbitrio metum passi. Ita communiter apud *Sanch. d. 8. n. 4. C. Lugo d. 22. Laym. c. l. c. 5.* Excipiuntur tamen aliqui contractus, qui ipso facto sunt irriti (saltem ex jure positivo) si ex metu gravi fiant: talis est. 1. Contractus matrimonii, etiamsi juramentum accesserit, *ex c. Cum loco, & cap. Veniens.* 2. Professio religiosa, *ex c. 1. de his.* 3. In aliis quibuscunque votis. 4. Contractus dotis promissæ, vel solutæ; qui in hoc sequitur naturam matrimonii, cui accessorius est. *Leg. Si mulier. §. Si dos ff. Quod metus causa.* 5. Promissio, vel traditio, in rebus Ecclesiæ, *c. 15. q. 6.* 6. Authoritas tutoris per metum extorta. *Leg. 1. §. ult. ff. de auctor. tutor.* His addunt alii plures, ut promissionem, & donationem gratui-

tuitam,renunciationem beneficii,jurisdictionem per metum extortam.Verum hi controvertuntur, *ut v.C.Lugo de just d.22.n.115.& seq.*

VII.Non possunt contrahere,qui bonorum suorum administrationem non habent : quales ferè sunt prodigi,furiosi,filiifamilias,uxores,religiosi, pupilli,Minores;exceptis quibusdam casibus, de quibus *v.Less.l.2.c.17.d.4.*.& infra hic *c.4.d.1.*

## DUBIUM II.

### *Quid in specie de Promissione, & Donatione?*

Resp .Quæ huc spectant facilè colliguntur ex dictis *supra de Voto lib.3.tr.2.c.3.* Ex quibus,& doctrina præcedentis dubii,resolvitur.

I.Promissio acceptata à promissario,si materia sit notabilis,an sub mortali obliget secundum se spectata,non convenit inter Doctores, *Cajet.* negat,quem sequitur *Marat tom.2 .de just.d.19 s.10.* Alii ( fortè probabilius ) affirmant cum *Vasq.1.p. d.85.c.6.n.4.Fill Mald.&c.* Dixi *secundum se*,quia certum est,quod per accidens possit obligare sub mortali;v.g.ratione gravis damni,quod aliàs promissarius pateretur : ut si promisisses ei dare mutuum,& ille tibi confisus,aliunde sibi non prospexisset,*v.Less.l.2.c.18.d.5.*

II. Tota hæc obligatio communiter dependet ab intentione promittentis.Circa quod notat *Sa*, vix quenquam promittentium intendere se obligare,aut alteri dare jus exigendi, nisi addat juramentum,aut faciat instrumentum, sed plerumq; tan-

tantum intendere declarare suum propositum, *v. Escob.t.3.&.5.c.6 & Moli.* Hinc ut in foro externo censeatur valida promissio, requiritur præter acceptationem, ut exprimatur causa, propter quam promittitur; alioqui præsumitut errore; vel joco facta, *Trul.l.7.c.16.d.6.ex Cov & Villal.*

III. Donare non possunt 1. carentes usu rationis. 2. muti, & surdi nati: secus si tantum sint surdi, vel muti, vel licet utrumque, si norint scribere. 3. senes deliri, sive bis pueri: secus si sint judicio vegeto. 4. pupilli vel impuberes, (nisi ad pias causas) donationes tamen eorum in foro conscientiæ sunt validæ, *v. infrà cap.4. d.1.5.* Damnatus criminis capitalis, *v. Dian.p.8.t.6. R.3.*

IV. Qui præsunt civitatibus, universitatibus, Rebuspub. &c non possunt facere donationes, nisi remuneratorias, vel in eleemosynas, *Sanc. Dian. p.8.t.6.R.16.* Imò in Reges, & Principes nimis sint profusi in donationibus, in præjudicium regni, vel status (præsertim si debitis gravati, iis satisfacere non possint, vel subditi nimium graventur exactionibus) possunt eæ revocari à successore. *Bart. Lugo, &c.* cum *Dian.p.8.t.6. R.18. & 123.*

V. Donatio patris filio facta studiorum causa est valida, neq; filius tenetur computare in legitimam: tum quia fuit loco alimentorum: tum quia si detrahatur, jam non fuit donatio contra hypothesin. *Wading. & 6. alii*, cum *Dian.p.8.t 6.R.23. & 92.* Sed *Trul.* limitat, nisi constet contrariam intentionem patris fuisse. Quod si tamen de ea non constet, præsumendi esse de pietate patris, ideoq;

ta-

tales expensas oridinariè post mortem patris non venire in collationem bonorum, nec debere conferri in commutatione, nisi pater protestatus fuerit se velle in legitimam computari. Ita etiam *Wading. ex L. Si pater 2. ff. familiæ erciſc.*

VI. Si pater officium filio emit, debet pretium computari in divisione cum fratribus, non autem si illud gratis à Principe obtinuit: uti nec quæ filio intuitu meritorum patris sunt donata: quia sunt quasi castrensia. *Mol. Fag. Dian. p.8.t.6.R.* 127.128.

VII. Donatio ante acceptionem, non parit obligationem, ne quidem naturalem, potestque revocari, etiamsi voluerit se absolutè obligare: præsenti autem & tacenti facta, censetur ab eo acceptata; quia in favorabilibus habetur pro consensu. *Molin. & alii* 18. *Dian. p.8.t.6.R.89.98. & 108.* pro altero vero nemo potest acceptare, sine speciali commissione, nisi donatio fiat Ecclesiæ, vel causæ piæ: nam hanc sine acceptatione valere, & irrevocabilem esse est probabile, *Laym. Dian. l. c. R.106. & p.3.t.5. R.107.* Multis tamen casibus, dummodò verba dirigantur in præsentem, potest pater vel mater pro filio, etiam emancipato, tutor pro pupillo, curator pro minore; filius familias pro patre, servus pro domino, monachus pro monasterio, imò etiam secundum multos, quicunq; alterius curam gerit, ut Prælatus pro Religioso, maritus pro uxore, dominus pro servo, &c. stipulari. Denique idem jura permittunt Judicibus & Notariis publicis, *Sanch. Mol. Trull. &c. Dian p. 8.t.6.R.97.*

VIII.

VIII. Etsi acceptes donationem verbalem, qua tibi Cajus, v.g. dat equum absentem, non acquiris jus in re, & dominium equi ante traditionem. Unde, si interea Cajus det, aut vendat eum alteri, eique tradat, is dominium acquirit; tu autem habes actionem in Cajum pro injuria, ratione juris, quod habeas ad rem. Ac sic donatio purè verbalis ante realem, hoc est, rei traditionem, vix differt à promissione, ut *Less. l. c. dub.* 2.

IX. Donatio, uti & remissio debitorum liquidorum, una vice, & uno animi motu, uni aut pluribus facta, ultra summam 500. solidorum (quæ summa hodie ad 500. vel secundum quosdam ad 800. aureos Italicos excurrit, ut ex *Claro, &c.* notat *Laym. l.* 3. *t.* 4. *cap.* 12. *num.* 15.) non tenet quoad hunc excessum, sed lege ista statuente, ob commune bonum potest à donatore pro arbitrio repeti. Excipe, nisi Judici donatio ea insinuata sit, aut juramento firmata, aut facta ad pias causas, aut ad redemptionem captivorum, aut ad reparationem ædium incendio, vel ruina destructarum, aut sit remuneratoria beneficiorum, aut fiat in renunciationem jurium, saltem speratorum, vel denique fiat militibus à belli duce, ex bonis propriis mobilibus, vel hostium spoliis, *v. Less. l. c. l.* 2. *c.* 18. *n.* 102. *Laym. l.* 3. *t.* 4. *c.* 12. *num.* 15. *Tann. d.* 6. *de just. q.* 2. *dub.* 2. *n.* 35. *ex Mol. Claro, Rebello, &c.* Quare si tunc repetatur, quod absque iis conditionibus, vel ultra dictam summam datum est, tenetur donatarius reddere ipsi, aut hæredibus repetentibus: si non repetatur, potest retinere, *v. Auth. cit.*

X. Si donationi apponatur modus, tacitè vel ex-

expressè non quidem obligando, sed tantum desiderando, sperando, &c. aliquid alterum facturũ, vel animo eum ad hoc inflectendi, valet donatio, etsi finis non sequatur: ut v.g. dat aliquis puellæ ad ejus consensum eliciendum, si postea non consentiat non tenetur datum reddere: nam etsi non dedisset, si scivisset eam sibi non consensuram, tamẽ dedit absolutè, sine obligatione alia, ut ponitur. Secus esset, si verè intendisset eam obligare, & hac conditione dedisset. *Less. c.* 18 *d.* 16. *&* 17.

XI. In similibus donationibus allectivis, potest aliquis, v.g. prædicta puella, acceptare, etsi non intendat præstare, quod donator sperat, cum donatio sit absoluta animo alliciendi, non obligandi. Unde si spe frustratus repetat, dicens se non dedisse, nisi sub tali obligatione, non tenetur puella credere: quia eo ipso, quòd donator non expressit conditionem, præsumitur sine ea dedisse, & repetere, vel animo vindictæ, vel ut consensum extorqueat, *Less. l. c. Dian. p.* 1. *t.* 2. *m. R.* 40.

XII. Non tenet donatio ob causam præteritam, vel præsentem, quæ verè non est: ut v.g. si dem tibi aliquid, quia apud Principem meam causam transegisti, vel quia pauper es, & revera non ita est, teneris restituere, cum sit error in formali causa & principali. Unde qui mentiuntur se pauperes, cum non sint, debent aliis pauperibus eleemosynas restituere. Aliud est, si error sit tantum in causa secundaria: ut v.g. si verè sint pauperes; & simulent insuper sanctitatem, ad hominum misericordiam provocandam: quia tunc primaria intentio dantium est, dare pauperi, *Bon. Less. v. Dia. p.* 8. *t.* 6. *R.* 89.

Du-

## DUBIUM III.

### *Quibus casibus donatio possit revocari?*

Resp.I. Donatio inter vivos, hoc est, quâ quis vult se vivo rem absolutè alterius esse, potest revocari, (etsi res jam tradita sit) tribus casibus; nisi tamen donatio fuerit renunciatoria, aut facta sit Ecclesiæ, vel monasterio. Sunt autem hi Casus.

I. Si donatarius enormiter ingratus sit: ut si donanti atroces injurias inferat, si inopia pressum non alat, &c. Quod notandum pro filiis, quibus parentes omnia donarunt, & eos postea negligūt, *Sylv. Less. Bon. Trul. c.17.d.2.* Neque valet pactum, ut donatio non possit ob ingratitudinem revocari. *Bartol. & alii* 8. *Lugo Dian. p.8.t.6.R.57.* Debet tamen ingratitudo coram Judice probari, ante cujus sententiam donatarius non tenetur restituere. *Molin. Lugo & alii* 4. *Dian l.c. R.85.* post eam verò etiam fructus perceptos post litem contestatam. *Mol. Dicast. Dian. R.58.* Ab hæredibus autem non potest revocari ob eas causas, ob quas donator ipse potuisset, si eas ipse scivit, & tacuit, secus, si ignoravit, *Gomez. Hurt. Wading. Lugo Dian. l.c. R.54.*

II. Et quidem hæc revocatio etiam habet locum in legato, respectu legatarii, si defunctum testatorem gravi injuria afficiat, v.gr. uxorem ejus carnaliter cognoscat; *Molin. Dicast. Dian. l.c. R.18.*

III. Non autem habet locum 1. in donationibus factis Ecclesiæ, tametsi Prælatus vel Clerus fuerit ingratus: quia facta est ob bonum animę testa-

ſtatoris, & principaliter Deo, qui ingratus eſſe non poteſt, *Leſſ.Lugo, Hurtad.Hun.Wading.Dian. l.c.R.56.* 2. In donatione remuneratoria (v,gr. pro beneficiis aliàs non debitis, & aliquo modo æquivalentibus) quia potius eſt remuneratio, quam donatio. Remuneratoria autem cenſetur, 1. ſi donator in ipſa donatione expreſſè meminerit meritorum, vel 2. ſi de meritis conſtet. 3. In dubio, *Dian.l.c.R.*115.16.17.19.20. *ex Barboſa, &c.*

IV. Si quis prole carens magnam partem bonorum donaverit, & poſtea naſcatur proles: quia ex juris diſpoſitione ineſt donationi hæc tacita conditio, niſi naſcantur mihi liberi. Et quidem ſi facta ſit extraneo, revocari poteſt tota, ſi alicui aſcendentium, ut patri, vel avo, vel ſi Eccleſiæ, aut cauſis piis, tantum revocari poteſt, quantum neceſſarium eſt, ut filii habeant lègitimam. Quanquam rectè notat *Leſſius*, ad ædificationem expedire, ut quod Eccleſiæ vel monaſterio datum eſt, Prælatus totum reſtituat. Porrò etſi juraverit ſe non revocaturum donationem, adhuc poteſt liberis natis revocare; quia hoc juramentum non excludit tacitam conditionem dictam. Excipe, niſi expreſſè etiam hanc conditionem excluſerit, tunc enim ipſe revocare non poſſet, poſſent tamen ejus liberi, poſt mortem patris, *Bon.Leſſ.c.*18, *d.*14. An autem hæc revocatio locum habeat, ſi filii naſcuntur illegitimi, qui poſtea legitimentur, *v.Dian. l.c.R.*63. & 64. Item an in donatione remuneratoria, *R.*65. ubi cum *Moli. & aliis* 6. negat, niſi excedat cauſam.

V. Si

V. Si donatio fuerit inofficiosa, contra officium paternæ pietatis, ut si pater tantum donet, ut filii priventur sua portione legitima: tunc enim post mortem patris possunt filii revocare. *Nav. c. 26. Less. l. c.* licet donatio fuerit juramento confirmata *Megal. & alii* 5. *Dian. p. 6. t. 8. R. 66.* Imò etiam vivente patre: licet enim ante mortem patris non debeatur legitima, ut tradenda, debetur tamen ut conservanda. Hinc si pater bona dissipet, potest à filio per judicem cogi, ut servet legitimam, ne is post mortem patris careat alimentis. Ita probabiliter *Dian. l. c. ex aliis d.* contra *Less. &c.* An autem & quando donatio rescindenda in totum, *v. Dian. l. c.*

VI. Per supervenientiam liberorum, ut probabilius affirmat *Dian. p. 8. t. 6. R. 78. ex aliis* 4. contra quosdam. Si tamen pater non revocaverit, non potest à filiis postea natis revocari, nisi pro ratione falcidiæ, sive ex testamento, sive ab intestato successerint. *ibid.*

## DUBIUM IV.

### *Quid sit donatio mortis causa, & an possit revocari, quomodo, & quibus competat?*

Resp. I. Donatio mortis causa, qua quis sic donat, ut velit rem esse alterius primum post suam mortem, ut si dicas, do tibi hoc post mortem meam, vel cum moriar, vel quia timeo me nunc moriturum, revocari potest etiam tribus casibus his.

I. Si

I. Si donatorem pœniteat, sive expressè, sive implicitè; ut si rem illam donet alteri. *Less.l.c.*

II. Si dedit intuitu alicujus instantis periculi, ex quo meruit mortem: hoc ipso quo periculum evasit, censetur tacitè revocata donatio: ut si quis det in gravi morbo, vel instante prælio, *Bon.d.3.q. 13.p.ult.n.20.*

III. Si donatarius moriatur ante donatorem, ipso jure revocata est: ut etiam accidit in testamentis & legatis. Secus est in promissione & donatione inter vivos, quæ transit ad hæredes. Quòd si autem donator promiserit se non revocaturum, transit in donationem inter vivos, *v. Less.c.18.d.14. n.116. Molin.d.286.& d.288. Azor. l.11. c.11.q.4. Bon.l c.*

Resp. II. Hæc donatio fieri debet in præsentem, *Dian.l.c.R.66.& alii 5.* nec valet in absentem sine nuncio ad hoc destinato, vel epistola, licet valeat, ut fidei commissum, si fuerint adhibiti testes, *Dian.& c.l.c.* Valet autem probabiliter, etsi donatarius præsens tacuerit.

Resp. III. Donare mortis causa possunt omnes & soli, qui possunt testari, excepto filiofamilias, qui licet testamentum condere nullo modo possit, cum hoc sit juris publici, donare tamen mortis causa, cum id sit juris privati, potest, si adsit patris consensus expressus: imò sine hoc donare eum posse, non tantum de castrensibus, sed etiam adventitiis, probabile censet *Dian.l.c. R.69.& 68.* Hinc donare sic possunt minores 25. annis, etiam sine consensu sui curatoris, *Dian.l.c.R.71. ex Molin.& aliis 9.* Non autem usurarius, nisi prius usu-

ris

ris satisfecerit, vel cautionem præstiterit, (potest tamen ad causas pias. *Ibi. R. 73. ex Fagund. & aliis* 6. Nec surdus & mutus à natura; secus si à casu superveniente, vel si surdus sit, aut mutus tantùm: licèt donare inter vivos possit secundum quosdam, *Azor. Dian p. 5. t. 6. R. 12.*

## DUBIUM V.

### *Quid sit Commodatum, Precarium, & Depositum?*

Resp. Commodatum est contractus, quo res aliqua mobilis, vel immobilis, quoad solum usum gratuitò conceditur, idque ad aliquod certum tempus explicitè vel implicitè determinatum: explicitè, ut si dicas, commodo tibi hunc librum, vel domum ad unum mensem: implicitè, ut si dicas, commodo tibi librum, ut eum describas; quia tunc implicitè tantum temporis determinatur, quantum necessarium est ad commodè describendum.

Precarium est, quo conceditur petenti res utenda, non ad certum tempus, (in quo differt à Commodato,) sed donec concedens repetat, sive expressè, sive tacitè, ut si det alteri, aut vendat, *Lay. l. 3. t. 4. c. 14.*

Depositum est, quo aliquid traditur custodiendum, ut integrum reddatur. Et communiter est res mobilis, vel se movens, ut vestis, equus, &c. *Vnde circa hæc resolvuntur.*

I. Commodator non potest repetere absq; injustitia antè definitum tempus, *Laym, l. 3. tr. 4. c. 14.*

II. Quòd si tamen commodanti damnum impendeat, potest repetere, licèt simile damnum impenderet commodatario, ex rei ante tempus repetitione, ut habet *Less.c.27.d.5.* quia ut ait *Nav.* in commodatione intelligitur tacita hæc donatio, nisi interea contigerit rem esse necessariam commodanti, *Laym.l.c.*

III. Si depositarius bona fide existimet, depositori non displiciturum, si re depositâ utatur, licebit uti, aliàs non, *Less.l.c.d 2.*

IV. Si depositum sit res usu consumptibilis, ut triticum, vinum, pecunia, quę exponendo absumitur, eaq; tradita sit certo numero, pondere & mensura non videtur depositarius peccare saltem graviter iis utens, si certus sit, se tantundem ejusdem bonitatis habiturum, quando repeteretur, *Less.l.c.* Secus si pecunia tradita fuerit sacculo, vel arcæ inclusa, vel munita sigillo. *Sylv. Azor. Less. Bon. v.Trul.c.12.d.1.* Verum si is, cui res commodata, locata, deposita, & pignorata est, negligenter custodiat, ita ut pereat, negligentia autem non sit Theologica culpa mortalis, probabile est, quod dixi ex *Soto Sa*, non teneri ad restitutionem in cõscientia. Alii tamen aliter sentiunt, nimirum teneri restituere, qui juridicam culpam, in custodiendo contraxerit, si ea fuerit lata; & subinde si levis tantum, imò & aliquando si leviſſima, (nimirum quando depositio facta est in commodum utriusque: & si pretium pro custodia accipiat) *v. apud Less. c.6.di.8. Lay.lib3. tr.4.c.25.* ubi docet depositarium tantum teneri de dolo, vel culpa crassa, quæ dolo æquiparetur.

Di-

Dicitur autem juridica culpa lata seu crassa, cũ quis facit, aut omittit, quod ut plurimum non facerent, vel omitterent in ea re homines suæ possessionis: ut v.g. si quis rem apud se depositam relinquit in loco publico, etsi inadvertenter. Levis autem dicitur, cum quis facit vel omittit, quod non facerent, vel omitterent homines suæ professionis diligentes: ut si quis depositum relinquit in suo cubiculo, sed negligit ostium claudere. Levissima dicitur, cum facit vel omittit, quod non facerent homines diligentissimi: ut si quis ostium quidem obserarit, sed neglexit tentare manu, an esset benè clausum.

V. Sartores, Molitores, & cæteri artifices, quibus res traditur polienda, vel immutanda: item nautæ, aurigæ, caupones, apud quos res deponuntur, tenentur ex levi culpa, quia depositio fit etiam in commodum ipsorum: imò *Sylv. V. Nauta*, vult teneri levissima, ex *l. 1. ff. depositi*, idq; cautum esse ad vitandas eorum fraudes, quod etiam *Less. & Trul. c. 25. d. 1.* putant esse probabile in utroq; foro, si quis eis rem expresse tradiderit custodiendam: si autem ipsis tantum videntibus deposuerit, v.g. in diversorio, navi, &c. ne quidem ex lata teneri. *v. Bon. Trul. Dian. p. 1 t. 8. R. 74.*

VI. Si depositarius (idem est de commodatario) dubitet, an depositum sua culpa perierit, non tenetur in conscientia ad restitutionem, *Sanch. de matr. l. 2. d. 41. n. 18.* quia in dubio non præsumitur delictum, ex L. *Merito, ff. pro socio v. Dian p. 2. t. 9. R. 49.* In foro tamen externo, si res depositarii manserint incolumes, præsumitur de dolo, nisi

depositarius probet depositum casu periisse,& nó potuisse simul cum rebus suis, (imminente v.gr. incendio) servari: tunc enim non teneretur,quia præsumptio doli cessaret,*vid.Palaum t.1.de consc. d.3.p.4.Trul.c.25.d.1.*

VII. Si domino repetenti depositum,remiserit per hominem,qui fidelis habebatur,isq, sibi retinuerit,vel perdiderit,domino periisse dicit *Molin.* citatus ab *Escob.v.Trul.l.c.*

VIII. Deponens rem usu non consumptibilem, potest à depositario pro ejus usu aliquid accipere, quia is est pretio æstimabilis (licet eo casu non depositi,sed locati &conducti contractus sit dicendus) Secus si sit usu consumptibilis:tunc enim depositum,eo ipso,quod depositarius incipit eo uti, induit naturam mutui,ex quo (secluſa ratione lucri cessantis,&c.) nihil licet accipere,ut *v.dub.seq. & Bon.d.3.q.13.p.3.Trul.l.c.*

## DUBIUM VI.

### *Quid sit Mutuum?*

Resp. Est contractus,quo rei alicujus numero, pondere,vel mensura constantis,dominium àmutuãte in mutuatarium transfertur, cum obligatione restituendi eandem,vel similem specie,&bonitate. Propriè autem mutuum ferè est in rebus usu consumptibilibus, inter quas etiam est pecunia: quæ licet non absumatur, nec pereat in se,pereat tamen exponenti. Distinguitur à permutatione, quod in ea reddatur res alterius speciei. Item à pignore,hypotheca,deposito,commodato & loca-

to,

to, quod dominium in iis non transferatur, sed usus tantum, *Bon. d. q. 3. p. 1.* Unde resolves.

I. Mutuans obligatur monere de vitio rei, alioqui ad damnum tenetur in conscientia.

II. Item non repetere rem ante tempus, nisi ipse sit in pari necessitate.

III. Item præstare casum fortuitum mutuatarius tenetur, cum penes hunc rei dominium sit; & rem eadem quantitate & qualitate reddere suo tempore.

IV. In vero mutuo lucrum aliquod accipere non licet, quia est usura: de quo dubio sequenti.

## DUBIUM VII.

### *Quid sit Usura?*

Resp. Est lucrum immediatè proveniens ex mutuo, ita ut mutuans supra sortem, id est, summam capitalem, lucretur aliquid, quod sit pecunia æstimabile, ita ut lucrum tale præcisè intendatur ratione mutui. Quod planè iniquum est, & grave peccatum contra jus humanum & divinum; cum mutuans acquirat lucrum ex re jam non amplius sua; quia res mutuata jam transiit in dominium mutuatarii, ut patet ex definitione. Et regula generalis est: *Omne pactum, vel gravamen, sive onus additum mutuo, præter id, quod ei proprium & intrinsecum est, reddit contractum usurarium; Bon. d. 3. q. 3. p. 3. C. Lugo, &c.* Unde resolves.

I. Peccat graviter ex genere suo exercens talem usuram, etsi sit mentalis tantum, absque externo pacto. Dicitur enim usura mentalis; cum qu

intentionē habet accipiendi aliquid ex mutuo ultra sortē, etsi exterius pacto id non exprimat: sicut realis seu exterior usura dicitur, cum quis intentionem illam per pactum aliquod exprimit. Quod aliquando tantum implicitè fit in aliquo contractu, & vocatur usura palliata, cum videlicet contrahentes prætendunt alium contractum emptionis, locationis, &c. in qua tamen revera usurarium quid intervenit. Vide exempla apud *Tol. l. 5. c. 31.*

II. Non est usura, si mutuans nihil intendat, ut pretium, sed tantum speret aliquid ex gratitudine, & ea intentione illi aliquid donetur, licet illud ut finem principalem intendat. *Mol. tom. 2. d 305. n 6. C. Lugo d. 25.*

III. Quod si tamen intelligeret sibi aliquid donatum, non gratis, ut putabat, sed ut debitum ratione mutui, teneretur restituere, quantum inde ditior evasisset, ut habet *Sa. V. Vsura C. Lugo d. 25. s. 3.*

IV. Nec est usura dare mutuum alterius amicitiæ captandæ causa, atque ulterius inde sperare officium; quia amicitia non æstimatur pretio, *C. Lugo. l. c.*

V. Pactum tamen de obtinendo à mutuatario (vel ejus opera) officio aliquo, illicitum est, & usurarium. Ita comm. *Mol. d. 310. Less. Sal. C. Lugo* contra *Nav.* etsi *Salas de usura d. 9. n. 4.* eum excusset, qui mutuat aliquid cum pacto, ut statim præstetur aliquod beneficium ex gratitudine, *v. Trul. l. 7. c. 19. d. 7.*

v. 42. Jun. XI.

VI.

VI. Pactum, ut à mutuatario conferatur beneficium Ecclesiasticum, est usura ( & simonia ) quia cogitur is subire novum onus.

VII. Non est usura, cum quis non potens sua recuperare, mutuat, ut sibi reddantur sua, vel ne sibi iniquè noceatur: quia hæc jure jam ante debentur, & sic non facit lucrum, nec imponit novam obligationem. *Bon. q. 3. p. 1. n. 15. ex Azor. Regin &c.*

VIII. Nec est usura exigere aliquid ratione periculi recuperationis, difficultatum, vel expensarum, quę erunt vel metuuntur in recuperanda sorte: quia pretio æstimari potest, quod quis se in tale periculum & difficultatem conjiciat. *Cón. d 3. q. 3. p. 5.* Necesse tamen esse, ut periculum istud, &c. deducatur in pactum expressè vel tacitè, docet *Laym. l. 3. t. 4 c. 16. n. 9. ex Medin. Valent. Mol. Less. &c.* Item dicit *C. Lugo n.* 80. liciti sunt Montes pietatis, ut vocant, hoc est, thesauri quidam, qui in refugium pauperum à Repub. vel Principe reponuntur, ut inde pauperibus gratis mutuetur, ita tamen, ut parum retribuant pro expensis, quæ fiunt in ministros, & conservatione talium montium, *v. Tol. l. 5. c. 18. Less. l. 2. c. 20, d. 13. Bon. l. c p. 13.*

IX. Nec est usura, si timens difficultatem aut fraudem mutuatarii in reddendo, tempore constituto, paciscaris, ut si tunc non solvat, aliquid det præter capitale loco pœnæ: quæ pœna licitè exigetur, dummodo non fiat alia intentione, quam ut mutuatarius sic quasi constringatur, ne sua culpa fallat. Unda si mutuatarius absq; sua culpa non possit solvere, non licebit pœnam exigere, ut ha-

bet *Tol.supra cap.*32. Qui ait manifestum esse argumentum pravæ intentionis, si optes non solvi tibi præfixo tempore,ut pœnam recipias: ac simpliciter usuram fore, si certo sciens alterum non valiturum solvere,adhuc tali pœna oneres. *v. Bon. d.*3.*q.*3.*p.*7.*Mol.t.*2.*d.*317.*Less.l* 2.*t.*20.*d.*15.

X. Nec est usura, paciſci & accipere aliquid ratione damni emergentis (siquidem mutuum vere illius causa sit) aut lucri cessantis, vel cessaturi,dummodo de hoc præmoneatur mutuatarius. Ut si volebas domum reficere,aut poteras nunc commodo tempore emere triticum, privãdo autem te tua pecunia in dando mutuo corruit domus,& postea carius emes triticum. Item non poteris lucrari cum tua pecunia, quod poteras & volebas negotiãdo,ita ut mutuatario sit vere causa lucri cessantis. Ubi notat *Tol.* supponendum in hoc titulo lucri cessantis.1. Quod vere volueris cũ ea pecunia negotiari, & non habeas aliã.2. Quod malis negotiando aliter ve lucrari, quàm sic mutuando, ita ut mutues tantum in gratiam mutuatarii. 3. Ut minus exigas,quam lucrari poteras,& deductis expensis: quia lucrum cessans non est actu,sed in potentia,& variis adhuc eventibus obnoxium. Unde ad arbitrium viri prudentis,pro majore vel minore ejus certitudine, æstimare id poteris,&sic cum mutuatario de eo paciſci,S.*Th.* a.1.*ad* 2.*Mol.d.* 314.*Salas.dub.*18 *&c. C.Lugo d.*25. *s.*6.*Bon.q.*3.*p.*4. Hinc qui non habuit animum negotiandi,vel si non erant,nec brevi sperabantur merces,vel non erat moraliter certus de lucro,nihil potest accipere ultra sortem: quia mutuatio

ista

ista verè non fuit causa lucri cessantis. Eadem ex causa usura est; si mercatores credito vendentes, aliquid ultra pretium rigorosum accipiant titulo lucri cessantis : v.g. rem tantum valentem 100. vendant pro 105. numerandis post annum : quia vendendo ad creditum (quod est virtualis mutuatio) plures habēt emptores, pluresq; res vendunt, & sic compensatur lucrum cessans, atque adeo illud non cessat ratione hujus venditionis, *Dian. p. 2. t. 34. Trul. c. 19. d. 9. v. dub. seq.*

XI. Mutuare frumentum vetus cum obligatione, ut restituatur novum (præsertim certo tempore) est usura, si mutuans sciat novum fore melius, & majoris pretii. *Sylv. Nav. Trul. d. 15. n. 11.*

XII. Est usura ex communi sententia, si des mutuum, ut postea mutuatarius ex debito civili obligetur tibi rursus mutuari, aut vendere, vel apud te in tua officina emere merces, aut operas suas locare: quia talis obligatio est res pretio æstimabilis, cum privet mutuatarium potestate alibi emendi, & locandi operas. *Less. l. 1. c. 20. d. 8. C. Lugo. d. 25. num. 46. v. Laym. l. 3. t. 4. c. 16. num. 3. Bon. l. c. p. 3.*

XIII. Usura est; mutuare Principi, vel Reipub. eo pacto, ut interim, dum non solvitur, sis liber à tributis, vel oneribus justis solvendis. *Salas C. Lugo, n. 64. ex* communi.

XIV. Item mutuare ea lege, ut mutuatarius eam pecuniam exigat à debitore mutuantis, à quo non facilè extorquebit. Quod addo, quia si sponte onus illud suscipiat, eo quod facilè possit obtinere, non erit usura, *ibid. & Bon. l. c.*

XV. Item si frumentum, quod alibi habes, des mutuum, obligando, ut tibi reddatur hic vel alibi (cum majoribus sumptibus, vel laboribus) ubi plus valet. *Ibid.*

XVI. Usura etiam est, obligare mutuatarium, ut partem mutui accipiat in mercibus, quibus non indiget, *Ibid.*

XVII. In mutuo pecuniario, nisi aliter conventum sit, si quis det mutuos, v.g. 100. florenos, non potest exigere plus, quam eorum pretium & valor tunc fuerit. Unde si eorum valor tunc augeatur, non potest repetere 100. quia reciperet aliquid supra sortem. Quod si valor decrescat, debet mutuatarius reddere plus, quam 100; quia alias non restitueret ad æqualitatem, *v. Less. l. 2. c. 22. d. 8. Lay. l. 3. t. 4. c. 16. n. 15. Bon. l. c. p. 3.*

XVIII. In mutuo tamen aliarum rerum, ut vini, tritici, &c. aliter se res habet: quia si quis v.gr. mutuet alteri 10. modios tritici, sive pretium crescat, sive non, potest repetere 10. Ratio disparitatis est, quia in pecunia non spectatur ordinariè, (nisi aliter conventum sit ob certas, & licitas causas) nisi valor, sive pretium. Unde non debet restitui, nisi pretium æquale. At verò in frumentis, &c. spectatur ipsa materia: quia non petitur mutuum frumentum propter pretium frumenti, sed propter ipsum corpus, & substantiam; ergo etsi crescat pretium illius, potest repetere tot mensuras, quot dedit mutuò. Interim tamen quidam de his rebus eodem modo loquuntur, quo de moneta, *vid. Laym. l. c. num. 14, & Bonac. de c.*

Qui-

*Quæres.* Quæ obligatio & pœna sit usurariorum & cooperantium?

*Resp. 1.* Usurarius etiam non manifestus, ac hæredes tenentur restituere, imò etiam omnes ii, qui ex parte usurarii cooperantur efficaciter, v.g. judices, domini temporales, notarii, famuli, advocati, qui quovis modo juvant, vel cogunt mutuatarios ad solutionem usurarum. Dixi (*possitivè seu efficaciter*) quia habendo se negativè, possunt permittere usurarios, ob justam causam & necessitatem pauperum. Præterea in praxi, ex præsumpta voluntate mutuatariorum, ferè excusantur minus principales famuli. II. Usurarius publicus, sive notarius non debet admitti ad communionẽ altaris, nec absolvi, donec restituat usuras, nec sepiliri in loco sacro: & qui scienter sepelit, ipso facto est excommunicatus. III. Addit *Laym. l. c. n.* 21. ejus testamentum ipso jure irritum esse, nisi ante moitem restituerit, *v. Less. Bon. Trul. c.* 19. *d.* 22.

## DUBIUM VIII.

### *De Emptione & Venditione.*

### ARTICULUS I.

### *Quid sit Emptio & Venditio,*

Resp. Est contractus, quo pretium pro merce solvitur, completurq; mercis traditione. Venditio contra. Justitia ejus in hoc consistit, ut pretium sit justum, sive exæquet valorem rei; & con-

tra, aliàs si absque legitimo titulo secus fiat, committetur injustitia gravis, vel levis, pro gravitate excessus, qui proinde ad restitutionem in conscientia obligabit: etsi in foro externo ad restitutionem fere non cogatur, nisi ultra dimidium defraudaverit. *v. Lay. cap. 17. Bon. 3. q. 2. p. 1. & 1. 4.* Unde resolves.

I. Quod spectat ad emptorem, is potest emere vilius, quam res valeat, si ei non sit commoda, vel emat in gratiam venditoris, ac similes sint circumstantiæ, quæ rem faciant viliorem. Nec obstat, quod venditor necessitate ductus vendat vilius: quia vēditio manet volūtaria, inquit *Caj. v. Bon. l. c. n. 21. & 23.* Potest nihilominus gravitet peccari contra charitatem, si quando pauperculi extrema inopia res suas vendere coguntur, nimis viliter ab eis emas, *Laym. l. c. n. 10.*

II. Emptor potest emere minoris, ex eo, quod multa simul emat: quia tunc venditorem liberat multis curis, & expeditum facit ad alia nova comparanda, unde meritò pretium decrescit, *Bon. l. c. p. 4. n. 13. ex Less Reg.*

III. Quoad venditorem, is communiter debet vendere secundum pretium taxatum à lege, vel magistratu: quod si nullum est, id censebitur justum, quod morali hominum æstimatione imponitur. Quod non consistit in indivisibili, ut anxiè scrupulari oporteat; sed divitur in infimum, medium, & summum; sive ut alii vocant pium, moderatum, & rigorosum, ita ut intra latitudinem hujus pretii vendere & emere liceat, nunc summo, nunc infimo.

IV

IV. Si quid emptori valdè utile sit, non licet hoc solo nomine rem vendere ultra pretium justum; quia utilitas emptoris tota est ipsius, non venditoris, *Bon. l. c. n. 27 ex Less. l. 2. c. 27. d. 4. Fill. t. 35. n. 77.*

V. Licet autem vendere cariùs quam valet, pretio currente, si alii boni tituli adsint, & simul de hoc emptorem moneas: quia tunc illi non fit injuria. Tales autem sunt, v. g. lucrum cessans, aut damnum emergens, aut incommodum, vel molestia tibi obventura ex rei venditione, aut affectus in eam singularis; ut si acceperis à majorib. à Principe. Item si res sint novæ, raræ & singulares; ut v. g. peregrini flores, aves, ferę, monumenta antiqua, picturæ, numismata, *Lay. l. 3. t. 4. c. 17. §. 1. n. 16. Bon. l. c. n. 15. ex Less. Reg. &c.*

VI. Qui res minutim & in parva quantitate vendunt, possunt aliquando carius vendere, quam qui in magna quantitate: quia debent majores labores, expensas, &c. impendere ad ea conservanda: & sic quidam excusant caupones & stabularios, qui avenam, fœnum, paleas, &c. carius vendunt, quam alii; dummodo pretium iis non sit taxatum, *Salon. Trul. d. 1 . n. 11.*

VII. Non licet carius vendere præcisè ob dilatam solutionem, aut vilius emere, ob præcisè anticipatam solutionem, quia in venditione, quæ fit credito, vel in anticipata solutione, est virtuale mutuum, ideoque usura, si quod supra sortem exigatur. Quod intellige, nisi interveniat alius titulus ex supra enumeratis de usura; vel nisi aliunde crescat pretium, v. gr. ex frequentia

emptorum,&c. *Bon.l.c.ex Leſſ.Regin.Fill.&c.vide ſuperiore dub.*

VIII. Licitum eſt vendere rem cum pacto de retrovendendo,id eſt,ut emptor teneatur tibi ſtatuto tempore, vel cum volueris, eam revendere,modo vera, & non ficta emptio fiat,nec palliata uſura intercedat, *Mol.d.375.Leſſ.du.14.&c.* Qui addunt, juxta æſtimationem illius operis ac pacti,pretium eſſe imminuendum. *v.C. Lugo d.26. n.189.*

IX. Monopolia,id eſt, cum unus,vel plures id efficiunt,ut ipſi ſoli aliquid vendant,vel cum mercatores conſpirant, non minoris vendere, non ſunt contra juſtitiam; modo non conſpirent extra juſtum pretium vendere. Ita contra *Rebell.Nav. &c.* docent, *Mol.Leſſ.&c.* Qui tamen concedunt, eſſe contra charitatem, *v.C.Lugo d.26.ſ.13.* Porrò Principum vel Magiſtratus eſt,cum uni,vel paucis tale privilegium conceditur, ut ſoli aliquid vendant,iis etiam pretium taxare, & ſic prævidere ne ſubditi graventur, *vid.Leſſ c.21.d.20.C.Lugo l.c & Trull.cap.20.d.18.* ubi rectè notat ex *Navar.&c.* etſi alia monopolia ex juſta cauſa authoritate Principis, vel Reipub. conceſſa taxato pretio ſint licita,v.g.Bibliopolis,ut nemo ali⁹ talem librum vendat, vel ut tantum ſit unus, aut duo tabernarii in aliquo loco; nihilominus quando unus vel pauci propria autho ritate conſtituunt, v.g.emendo merces certi generis, ut frumentum, vinum, oleum, &c. ut ipſi deinde arbitratu ſuo vendant carius,peccare ſemper etiam contra juſtitiam cum obligatione reſtituendi.

*v. 40. Inn. XI.*

X. Ven-

X. Venditor debet emptorem præmonere de notabili vitio rei, quod ei obesse potest, v.gr. si equus sit furiosus, domus ruinosa, oves morbidæ, pannus adustus, &c. alioqui tenetur de fraude & damno secuto: saltem si defectus fuerit in substantia, vel quantitate, v.g. si deficiat in pondere vel mensura, aut vendiderit rem unam pro alia: & sic peccat mortaliter cum obligatione restituendi, 1. qui frumentum venditurus ponit prius loco humido, ut intumescat: 2. qui vino Rhenano miscet Franccium, 3. qui carnes bubulas vendit pro vervecinis, &c. *v Less. Bon. Dian. p. 1. t. 8. R. 51. Trul. d. 11.* Quando autem venditor possit justè tacere vitia qualitatis rei, quæ venditur, sine obligatione restituendi pretium, vel rescindendi contractum, *vide C. Lugo d. 26. s. 8. n. 128. & Trul. c. 20. d 11.* ubi notat venditionem factam ab ignorante vitium rei, esse validam: rescindendam tamen vel reducendam ad æqualitatem, nisi venditor contra hoc exceperit.

XI Si scias occultè debitorem tuum non esse solvendo, injustum videtur, iis qui id nesciunt, debitum illud vendere pretio ordinario: tum quia est dolus; tum quia vitium intrinsecum crediti revelatur, *Bonac. l. c. p. 10. ex Less. c. 21. d. 30. Fill &c.*

XII. Etsi venditor sciat pretium mercis mox minuendum, licet tamen vendere pretio currente, & non dicere emptori (secluso tamen dolo, fraudibus, & mendaciis, quibus emptorem allicere ad emendum ei non licet) quia pretium currens

rens simpliciter adhuc est justum. *Bon.q.2.p.5.n. 12.ex Azor.Fill.Less.&c.*

XIII. Si cui datum est aliquid vendendum pretio, v.g. infimo, vel moderato, & is vendat rigoroso, probabile est, ut habet *Angel. V. Emptio*, non teneri restituere, sed posse retinere excessum; cum sua industria acquisiverit. Aliud tamen est de famulis mercatorum, quib. indeterminato pretio traditur meliori modo vendendum, quo possunt in utilitatem domini. *v. Less. d.18. C.Lugo d. 26.s.9.*

XIV. Qando sartoribus ementibus pannum pro iis, quibus vestes conficiunt, minoris venditur, quam aliis, eò quòd sint Parochiani mercatorum, vel sæpè ab iis emant, possunt partem pretii remissam sibi retinere, dummodo alias fideliter agant; quia nulli fit injuria: & cum mercatorum plurimum intersit, ut tales ad ipsorum potius, quam aliorum officinas veniant, censentur in ipsorum gratiam remittere, iisq; donare eam partem. *Fill Dian.p.1.t.8.R.26.* Negat tamen *Salas*, eo quod mercatores falsò dicant se remittere, ut alliciant.

XV. Cum res duobus in solidum est vendita, is dominium acquirit, cui tradita est, dummodo is pretium solverit. Si neutri tradita sit, debetur ei, qui prius tempore emit, & alter habet actionem in venditorem. Si quid tamen vendatur, aut detur Ecclesiæ, vel aliis piis locis, acquiritur dominium ante traditionem, *v. Less. l.c. & C.Lugo d.26. s.9.*

XVI. Si res pereat ante traditionem, & sit certa

ac

ac determinata, v.g. hæc domus, hoc dolium vini, perit emptori; nisi aliter expressè conventum sit, aut venditionis culpa pereat. Si autem res sit indeterminata (ut si quis emerit 10. modios tritici ex granario, oves ex grege) aut si emat rem determinatam quidem, sed ad mensuram (ut acervum totum tritici uno floreno, in singulas mensuras) tunc ante rei traditionem, aut mensurationē, periculum spectat ad venditorē, *v. Less. dub. 12. l. c. Lugo d. 26. s. 14. n. 26. Lay. l. t. 4. c. 17. §. 2. Bon. q. 2 p. 8.*

XVII. Si res vendita pereat, aut deterior fiat post traditionem, perit emptori, licet pretium nondum persolverit; quia res domino perit, *Lay. Bon. ll. cc.*

*Quæres. I.* An & quomodo liceat emere chirographa, seu credita alterius;

*Resp.* Si credita in posterum exigenda (sive jus quod habet alter, ut ipsi in futurum aliquid solvatur) sint certa, ea minoris emere, solutione anticipata, est usura, secluso tamen lucro cessante, & damno emergente. *Bon. d. 3. q. 3. p. 10. ex Mol. Less. Tol. Fill.* Quia accipitur aliquid supra sortem ex mutuo: nam mutuat implicitè minorem pecuniam pro exigenda majore. 2. Dixi *certa*, quia si credita sint incerta, periculosa, & litigiosa, ac cum difficultate, exigenda licitè is, qui non est causa istius difficultatis, minoris emit, prout difficultas, vel incertitudo solutionis minor est, vel major; quia cū tali periculo & difficultate minus valent, *Bon. l. c. Trul. l. 7. c. 20. d. 8.* Unde resolves.

I. Usuram committunt 1. Ministri Regum & Principum, &c. qui ut anticipatam faciant solu-

lutionem, aliquid recipiunt à creditoribus. 2. Qui aliquid accipiunt à debitoribus concessa dilatione ad solvendum; quia accipiunt aliquid ultra sortem pro mutuo virtuali, *Bon.l.c.Nav.Mol. Salas.&c.*

II. Minoris emi [redacted] possunt regulariter credita & stipendia, sive salaria debita militibus, aut famulis Nobilium, quia habent adjuncta incommoda, pericula & molestias in exigendo: quam ob causam idem licet, etiamsi credita illa tempore præsenti, vel etiam præterito fuerint solvenda, *Bonac l.c.ex Reg.Mol.&c.*

III. Qui ipse est causa difficilis solutionis, peccat contra justitiam emendo minoris, & tenetur ad restitutionem; tum quia ipse est causa damni, cum ipsius culpa creditum valeat minus: tum quia alioqui præmium ex delicto suo reportaret, *Mol. d.313 Fill.Bon.l c.* Hinc Quæstores Principum ad quos solutio pertinet, quando ipsi sunt causa difficilis, & malignæ solutionis, non possunt chirographa, vel credita emere minoris, ut docent *Auth.cit.* Additque *Salas & Mol. l.c.* Non esse liberum Quæstoribus, &c. quibus incumbit solvere magnatum debita, uni potius solvere, quam alteri (nisi quis fortè jus præ aliis habeat, *ut vide supra de ordine restit.*) sed teneri omnibus solvere pro rata. *Bon.l.c.v.Trul. l.1.d.10.*

AR-

## Articulus II.

### *Quid sit negotiatio, & quibus illicita?*

Resp. Ea est, cum quis rem sibi comparat eo animo, ut integram, & non mutatam, carius vendendo, vel permutando lucretur. Quod quia obnoxium est periculo multorum peccatorum, & valdè distractivum, ac indecens statui Clericali, sic lucris inhiare, severè prohibitum est Clericis constitutis in sacris, & religiosis omnibus, ita ut mortaliter peccent, si multam negotiationi dent operam, ut ait *Less.* quem *v. l. c. d. 1. & Laym. 3. t. 4. c. 17. Bon. de contract. n. 3. q. 1. p. 5. C. Lugo d. 26. s. 3. n. 19.* Unde resolves.

I. Si Clericus semel iterumq; tantum negotietur, in materia non gravi, v. g libros, cruces, &c. emat; ut occultè iterum vendat carius, non est mortale, *Less Mald. Fill. Dian. C. Lugo l. c.*

II. Non est negotiatio Ecclesiasticis vel Religiosis prohibita, si emant pecora, quæ pascuis suis saginata vendant: quia vendunt fructus suorum prædiorum, vel agrorum; *Mol. Less. C. Lugo s. 3. n. 29.* uti nec si greges alant, ut fœtus, lac, lanam vendant, *C. Lugo l. c.* Ubi tamen negat, licere iis conducere agros, ut fructus vendant, eo quod (licet non sit negotiatio propriè dicta) speciali iter illis sit prohibitum in *Concil. Carthag v. l. c.*

III. Non peccat Clericus 1. Si emat agrum cum fructibus jam maturis, illosque vendat: quia vendit fructus agri sui. *Card. de Lugo l. c. ex Mol. Fill. &c.* 2. Si id, quod ad proprios usus emerat, postea,

ſtea, vel quia non indiget, vel mutato conſilio, carius venda', *ibid.*

An verò, & quomodo Clericis liceat negotiari per alios non famulos, præſertim in neceſſitate, *v. Card. de Lugo d.26.ſ.4.n.36. Trul.l c.d.19. Barb.de jur.un.l.1.c.40.a.1.*

## DUBIUM IX.

### *Quid ſit Contractus Cenſus, & an licitus?*

Reſp. Is eſt, cum certa ſumma pecuniæ, v.g. 100. florenis, emo à te jus percipiendi quotannis ex bonis tuis, aut certa aliqua re tua utili, ſive fructifera, certam aliquam penſionem ſeu cenſum, v.g. florenos 5 annuos, vel 6. prout conſuetudine, vel lege taxatum erit. Ita ut hic non ſit mutuum & uſura, ſi alias pravam intentionem non habeas, ſed vera emptio, & venditio, qua emitur, non præcisè ipſa penſio, ſed jus eam percipiendi; quod longè minus valet, ideoque emitur minoris; licet poſt multos annos pretium longè ſuperet, *Molin. Leſſ. Laym l.3.t.4.c.18. & cæteri communiter.* Rectius tamen *C.Lugo d.27.ſ.2.n.20.* probat, ad excuſandum cenſum ab uſura, dicendum eſſe, non emi penſiones, neq; jus ad illas neq; fructus, ſed potius partem uſusfructus talis prædii, ſuper quo conſtituitur; ita ut dominium totum directum prædii maneat apud venditorem; dominium verò utile, ſeu jus uſusfructus ex parte vendatur. *Vnde reſolvuntur ſequentes Caſus*, qui etiam ex natura emptionis & venditionis ſolvi poſſunt.

I. Hic

I. Hic contractus est injustus, si non servetur pretium justum à lege vel consuetudine probatū, quomodo pro Germania constituit Carolus V. ut jus ad 5. tantum pro 100. ematur.

II. Non solum licitus est census realis, id est, constitutus, super re aliqua, ut supra dictum, ex cujus utilitate pensio extrahatur, ita ut ad quemcunque res transeat cum illa obligatione & onere; sed etiam (saltem ex natura rei, & secluſa prohibitione legis positivæ) personalis, & constitutus immediatè super persona, quæ sua opera & industria utilis sit, & fructum aliquem pariat, vel bona in spe vel re habeat, unde pensio duci possit: alioqui enim jus, quod venderet, non esset pretio æstimabile, & sic contractus fictitius. Ita probabiliter *Cov. Less. Salan. dub. 3. num. 2 &c.* contra *Navar. Mol c. Lugo d. 37. s. 2. n. 25.* ubi censum merè personalem illicitum esse, docet esse probabilius, & prolixè probat.

III. Iniqui sunt venditores seu censuarii, qui emptoribus, sive censualistis obligant rem non potentem reddere fructus, saltem tot, quot pensio exigit, aut reddentem quidem, sed jam aliis censibus venditos, *Bon. d. 3. q. 4. p. 1. n. 9. & 13.*

IV. Sicut cum in emptione res perit damno emptoris, sic etiam in censu reali, si res super quam impositus est census pereat, vel fructus ejus absq; culpa venditoris: tunc enim perit census, ita ut emptor sive censualista, non possit amplius percipere fructus, sive censum; quia qui emit, suo periculo emit. *Bon. l. c. Fill. t. 35. p. 2. n. 255.* Unde ad hoc incommodum cavendum inventus est sequens modus,

V. Li-

V. Licitum est,ut probat *Tol.lib.5. cap.46.& Less.c.22.du.* 11. contractui census adjungere aliud pactum assecurationis;ut si res, super qua fundatus est census,pereat,id fiat damno venditoris, ideoq;nihilominus obligatus sit,vel super aliis bonis suis eum statuere, vel restituta sorte eodem pretio redimere. Debet tamen hoc pactum venditori compensari, augendo pretium census, vel quod eodem recidit, minorem pensionem designando, *Bon l.c.n.*30.

VI. Ex natura rei licitus est non tantum census irredimibilis,sed etiam redimibilis, cum ex una parte,tum utriusq;,ut patet ex terminorum explicatione: quia irredimibilis census dicitur,cum venditor non potest illum pro suo arbitrio redimere;redimibilis autem, cum potest, reddendo emptori eandem summam, quam accepit, atq; ita rursus sibi emendo,quod ante vendiderat. Utrimq; redimibilis dicitur, cum ita conventum est,ut tam emptor,quam venditor possit emptionem factam resolvere, & summam, quam dedit, repetere. *Less.d.*10. *Dian.p.2.t.5.m.R.*76. Vide dicta *de pacto retrovertend.in empt.supra.*

VII. Nihilominus,quia contractus census redimibilis, ex parte emptoris est res periculosa,suaderi non facile debet:nam in *Constit.Martini V.& Calixti III.PP.*ut & *Caroli V.Imp* usurarius contractus judicatur. Verum id intelligi debet secundum præsumptionem fori externi: præterquam, quod illæ Constitutiones multis locis eatenus nõ sint receptæ,quatenus prohibent ea, quæ juri naturali non adversantur,ut notat *Laym.l.3.t.4.c.*18.

VIII.

VIII. Census vitalitius, quia est virtualis sponsio, & nititur eventu fortuito, licitus est, *Fill. Dian. p. 7. t. 9. R. 70.*

## DUBIUM X.

### *Quid sit Cambium?*

Resp. Cambium, quod permutationem significeat, hic accipitur pro sola permutatione pecuniæ. Et est contractus, quo Campsor aliquis Campsario volenti cambit pecunias, cum lucro aliquo præter sortem. Quod si sine intentione usuraria fiat, ob titulos justos tali lucro æstimabiles, patet non esse malum. Unde cum quatuor sint cambiorum genera, nimirum 1. Cambium minutum seu manuale. 2. Cambium per literas. 3. Cambium reale. 4. Cambium siccum seu fictum: circa ea resolvuntur.

I. Licitum est Cambium minutum, in quo dantur pecuniæ majores pro minoribus, vel contra: quia hic sunt justi tituli aliquid lucrandi, nimirum labor Campsoris in numeranda pecunia, item diligentia in pecunia omnis generis conquirenda, ut Campsariis quibusvis sit paratus, item puritas materiæ & commoditas, ut cum aurum, vel alia moneta commoda, datur pro minuta & incommoda. *Laym. l. 3. t. 4. c. 19 n. 4.*

II. Licitum est item Cambium per literas, cum scilicet Campsor hic, v. g. Monasterii prior accipit pecunias, quas postea literis datis alibi, v. g. Francofurti refundit per suos factores: quia hic etiam sunt justi tituli, scilicet virtualis trajectio pecuniæ,

&

& ejus assecuratio ; tantundem enim facit, ac si Campsario pecuniam ejus Francofurtum transferat sine periculo. Minus tamen Campsor exigere debet, quam si realiter transtulisset, *Laym. l. c. Bon. d. 3. q. 5. p. 1. Nav. Less. &c.*

III. Item licitum est Cambium reale, cum Campsor hic Monasterii prior dat pecunias, ut per suos alibi eas recipiat à Campsario ; qui alibi habet pecunias, sed eget nunc eis hic. Titulus hujus Cambii est item translationis & assecurationis; tantundem enim facit Campsor, ac si pecunias Campsarii absentes sisteret hic præsentes, vel ut alii ajunt, ac si præsenti pecunia emeret absentem, quæ utique minus valet, *Laym. l. c. num. 6 & 7. Bon. l. c.*

IV. Illicitum est Cambium fictum seu siccum, quod nihil aliud est, quam titulus lucrandi; ut v. g. Titius indigens pecuniis petit à Campsore sibi dari 100. Campsor autem non aliter dat nisi Francofurti, v. g. vel alio loco distante solvendos, petitq; ab eo pretium, quod solet dari pro locis similibus. Titius ergo accipit, & tamen verè non cogitat reddere in istis locis, imò forsan nec habet istic correspondentem, idq; constat Campsori: contractus hic est Cambium fictum, ac revera mutuum, ideoq; palliata usura. Excusabitur tamen Campsor, si lucrum illud exigat titulo lucri cessantis. Plura vide apud *Tol. l. 5. c. 52. Bon. d. 3. q. 3. p. 1.*

V. Quod attinet ad Cambium Francofurtense, in quo mercatores dantes Cambium ad proximas nundinas, quo magis eæ distant, eò plus exi-

tunt,

gunt, si ideò præcisè plus exigatur, quia solutio diutius differtur, usura est: si autem ratione alterius tituli justi, v.g. lucri cessantis, cum pecunia mercatorum sit instrumentum lucrandi, quo si diutius carent, carent lucro, & quo longius est tempus, eo plures cambium petunt, ideoque crescit valor pecuniæ tunc lucrum est justum. *Laym. l.c. num. 9. ex Molin. Less. &c.*

VI. Qui cambiendo, (vel aliter) pecuniam adulterinam accepit, sive ex ignorantia, aut inadvertētia, non potest illam expendere; quia res vitiosa non potest tradi alteri, vitio non detecto. *v. suprà de vendit.* Neq; ex eo, quod ipse deceptus est; potest decipere alios; cum actio, quâ deceptus fuit, nullum ad hoc jus tribuit, *Bon. d. 3. q. 5. p. 1. ex Az. Sanch. &c.*

## DUBIUM XI.

### *Quid Locatio, & Conductio?*

Resp. Est contractus, quo quis personam, vel rē aliquam mobilem, vel immobilem alteri ad tempus utendam, vel fruendam concedit, certo pretio, aut mercede, seu pensione constituta. Utenda conceduntur, v.g. elocata domus, equus, servus, &c. Fruenda conceduntur elocatæ vaccæ, capra, fundus, pomarium, &c. Unde considerata hujus contractus natura, & juris dispositione *resolvuntur sequentes casus.*

I. Si res locata ante traditionem pereat, contractus dissolvitur, & conductor liberatur.

II. Si absque culpa conductoris, usus vel fructus rei cesset, v.g. quia domus ruinā minatur, in-

festatur spectris, vel ob periculum pestis (nisi tamen quoad hoc consuetudo sit contraria) aut belli, tutam habitationem non præstat, liberatur conductor à solvenda pensione pro tempore, quo non potest inhabitare, vel alia re conducta uti vel frui, ut *v. apud Laym. l. 3. tr. 4. c. 22. Less. l. 2. cap. 24. dub. 1. &c.*

III. Servo aut laboratori conducto non debetur stipendium temporis notabilis, quo æger decubuit, nec ægro, nisi expensæ modicæ: nisi tamen aliter sit conventum, aut consuetudo ferat, *v. Sa. V. Conductio.*

IV. Propter modicum damnum, vel infortunium, nihil remittitur colono de pensione: secus si magna sit clades. Quòd si tamen antecedentium vel sequentium annorum fertilitate damnum compensetur, non remittitur. *Laym. n. 7. Less. l. 2. c. 24. d. 4.*

V. Si pluribus annis ob cœli clementiam (secus si ob industriam colendis) uberiores fructus ex fundo elocato proveniant, potest colono pensio augeri, *Laym. n. 8.*

VI. Expensas in rem conductam, quæ duraturæ sunt, v. g. conservare sarta tecta, tributa & onera publica præstare, ad locatorem seu dominum spectat; nisi aliter conventum sit, aut consuetudo ferat, *Laym. l. c. n. 4.*

VII. Si conductor in rem conductam necessarias, sive utiles expensas fecerit, potest eas de pensione detrahere vel repetere à locatore, & dum non solvuntur, retinere rem conductam. *Laym. l. c. Mol. d. 496.*

VIII.

VIII. Etsi incendium plerumque accidat culpâ inhabitantium, & sic in dubio contra illos præsumptio sit; quia tamen sæpè id fit culpâ famulorum, quam paterfamilias præstare non cogitur, hinc conductor absolvendus est, nisi locator ostendat culpam, *v. Lay. supra n. 6. & Dian. p. 9. t. 7. R. 31.* ubi ex *Hun. & Berl.* docet, si constet accidisse culpâ certi & determinati alicujus de familia, isque circa officium suum deliquerit, v.g. stabularii, qui lumen malè custodierit in stabulo, teneri patremfamilias (nisi famulus iste pro fideli, ac diligenti fuerit habitus) de damno: secus si culpa alterius, vel si non constet utrum casu an culpâ cujusquam acciderit.

IX. Si conductor domus, v.g. ante tempus velit emigrare, id quidem licet, potestque alteri locare; cæteroqui autem de pensione nihil ei remittitur.

X. Locator non potest ante tempus præfinitum conductorem invitum privare re conducta, nisi in his casibus. 1. Si pensionem non solvat: expectare tamen debet biennium, si ultra biennium res sit conducta. 2. Si casus improvisus accidat, ob quem domus v.g. ipsi domino necessaria sit. 3. Si rem locatam reficere necesse sit, nec possit fieri altero inhabitante. 4. Si conductor in re conducta malè versetur, v.g. destruat, vel abutatur, ut alendo ibi meretrices, *Laym. n. 9.*

XI. Successor universalis, sive hæres, non potest ante completum tempus conductorem expellere, partialis autem successor, ut emptor, donatarius, legatarius, &c. non tenetur stare contractu lo-

cationis , uti neque conductor,nisi tamen aliter pactum sit,v g. ne res locata durante tempore locationis alienetur,*v.Less.l.2.c.24. & Laym.l.3.t.4.c.22.*

## DUBIUM XII.

### *De Contractu Emphyteusis, Feudi, & Libelli?*

Resp.1.Emphytheusis est contractus similis locationi,in quo res immobilis , quæ cultura possit effici melior,conceditur alteri,vel in perpetuum, vel non brevius saltem, quàm ad decennium; ita ut dominium ejus directum & possessio civilis maneat apud dominũ , qui tendat in Emphyteusin; dominium autem utile transferatur in Emphytheutam, cum hoc onere,ut quotannis certũ Canonem,ut vocant, seu pensionem domino solvat,quam si totam solvere negligat 26.annis continuis in Emphyteusi Ecclesiastica ( cum scilicet res est Ecclesiæ,vel pii loci ) vel in seculari 36. annis,inciditi ipso jure in pœnam commissi , ut dominus eum expellere possit, etsi de solutione interpellatus non fuerit: licet enim *Bart.& alii quidam* apud *Dian.p.7.t.8.R.36.* dicant,si per 30. vel 40.annos non solverit,eum præscribere immunitatem in futurum,id tamen *Wesemb. & alii 5.* negant,*v.l.c.* Porrò quid juris sit in hoc contractu, pendet ex consuetudine locorum , quæ varia est, & ex ipsa conventione contrahentium, quæ scripto instrumento concipi debet,ut valeat, *v.Lay. l.3.t.4.c.23.Less.l.2.c.24.d.8.*

Resp.

Resp. II. Feudum est contractus similis Emphyteusi, quo res immobilis alicui conceditur, cum translatione dominii utilis, proprietate retenta, sub onere non quidem aliquid solvendi, sed exhibendi fidelitatem, & obsequium personale directo domino. Quod si item non faciat Vasallus (sic enim dicitur feudi acceptor) perdit feudum. Interdum etiam in feudo aliquid persolvi debet, in recognitionem dominii directi: sed tunc ex ea parte deficit à puro feudo, & declinat ad Emphyteusin. Porrò quid juris sit circa feuda, pendet item à locorum consuetudine, quę juris communis sunt, *v. l. c.*

Resp. III. Contractus libellaticus, sive datio ad libellum, dicitur cum Emphyteuta, vel feudatarius rem illam, quam in feudum, vel Emphyteusin, accipit, simili contractu tradit tertio, (ad quod tamen, si in decennium fiat, requiritur domini consensus) ita ut sit quasi subfeudum & subemphyteusis. *Ita Less.*

## DUBIUM XIII.

### *Quid sit Sponsio, & Ludus?*

Resp. Sponsio est contractus, in quo de veritate, aut eventu alicujus rei certantes, sibi invicem aliquid spondent, ut id ejus sit, qui veritatem assecutus fuerit, v. g. certo tecum 10. imperialibus, hanc vel istam civitatem obsessam, captam, &c. Ut licitè fiat, requiritur 1. ut fiat superre dubia, 2. ut sit æqualitas in re, quæ spondetur, cum æquali incertitudine, 3. dubius eventus in utroque,

4. ut uterq; eodem sensu accipiat id, de quo certatur, *Mol. Less. C. Lugo d.36 s.6.*

Ludus verò est contractus, quo ludentes inter se paciscuntur, ut victori cedat, quod uterque deposuit. Hi contractus jure naturæ liciti sunt, modò debitæ conditiones adsint, & aliunde non interveniat scandalum, aut justa prohibitio, aut iniquitas se misceat, nec peccati sit occasio. Quia sicut quivis suæ rei dominus potest alteri eam donare absolutè, sic etiam sub aliqua cõditione sive ea fortuita sit, sive ex industria pendeat, *Less. c.26. dub.1. Bon. d.2. q.3. p.1.* Unde resolves.

I. Qui rei dominus non est, aut alienare eam non potest, non potest etiam de ea ludere, aut deponere. Et sic debet restituere, qui lucratus esset à religioso, & filiofamilias, non potente alienare. *Lay. l.3. t.4. c.21. n.5.*

II. Si tamen filiusfamilias (& idem de religioso ait *Navar.* apud *Less. l.c.d.1.*) alatur in distanti loco à parentibus, poterit ex alimentis moderatè aliquid insumere in honestum lusum, v.g.5. ex 100. quia talis communiter præsumitur voluntas parentum, ut habet *Sotus Less. l.c. Laym. &c.* At præterea potest etiam filius deponere, quicquid lucratus fuerit, cum ad hoc etiam parens censeatur tacitam facultam dare, *Laym. l.c. Bon. de rest. d.1. q.3. p.2. n.10. & seq.*

III. Tenetur restituere, qui vicit faciendo contra ditiones ludi, & decipiendò, aut fraude, ac per injuriam alterum pertraxit ad ludendum: ut v.g. si simularet se planè ignarum lusus, & sic alterum multò imperitiorem provocaret, qui alioqui lu-

ludere noluiſſet, aut ſi convitiis laceſſeret, ad quæ vitanda alter conſenſiſſet in luſum, aliàs non conſenſurus, *Molin. d. 517, Laym. loc. cit. Bon. d. 2. q. 3. p. 2. n. 3.*

IV. Si in re, quæ ſpondetur, ſit inæqualitas, & hæc alteri parti (v.g. cujus pecunia major eſt) ſit nota, isque nihilominus ſpondere velit, valet contractus probabiliter: quia ſcienti & volenti non fit injuria, ut dicit *Navar. Medin. Sanch. Dian.* Contrariũ tamen probabilius docet *C. Lugo d. 32. ſ 6. n. 81. ex Mol. Leſſ. & Bon.* Si autem ignota ſit, non poteſt alter lucrari: quia non eſt æqualis conditio utriusque, & alter nulli ſe exponit periculo, *v. Az. p. 3. l. 3 c. 25. q. 7. Bon. d. 5. q. 3. p. 2. q. 36. n. 3. Salas de Ludo dub. 13. n. 3. Eſcob. & C. Lugo l. c.*

V. Per ſe quidem, & jure naturæ licita eſt etiam ſponſio de futuro eventu, qui damnum proximi conjunctum habet; v.gr. Petrum intra annum moriturum, (etſi enim detur occaſio optandi, vel machiandi mortem Petro, id eſt, per accidens, poteſtque idem periculum eſſe in cenſu vitalitio) jure tamen humano ſæpe prohibetur. *C. Lugo l. c. n. 74.*

VI. Etſi ſponſio cum conditione illicita, v.gr. plus altero potaturum, ſit illicita, quia inducit ad peccatum: quod tamen ea lucratus es, non teneris reſtituere. *Sanch. Lugo Dian. p. 7. t. 9. R. 69.*

VII. Probabile eſt, quod docet *Mol. &c.* dum quis minis vel convitiis ad luſum conductus eſt, & perdit, victorem non teneri reſtituere, quia talis abſolutè voluntariè luſit, *Bon. l. c. ex Mol. & Gar.* contra *Azor. Leſſ. Reg. Fill. & communiter.*

VIII. Communior sententia est, teneri restituere eum, qui lusit, vel certavit certò præsciens se victurum esse. Contrarium tamen, nempe non teneri, dummodo dolus abfuerit, tenet *Tol. & Sa. V. Cõtractus*, quia non tenetur quis ex justitia suam peritiam, vel scientiam adversario declarare; sedis suæ temeritati imputet, quòd ausus fuerit cum eo deponere, cujus scientiam non notat. *v. Bon. l. c. n. 4. Dian. p. 7. t. 9. R. 62.*

IX. Non tenetur restituere, qui utitur astutiis illis, quas regulæ lusus, & consuetudo recepta patitur, cum uterq; sciat, tales astutias esse solitas, & sic tacitè in illas liberè consentiat, *Az. Fill. Less. Bon l. c. p. 2. n. 2.* v.g. 1. si potiores chartas habens, & securus de victoria, augeat sponsionem, vel simulet metum, ut adversarius augeat. 2. Si sciens se inferiores chartas habere, dissimulet, augeatque sponsionem, ut sic relinquatur sibi, quod erat appositum, *Lugo, Sanch. Sal Dian. p. 7. t. 9. R. 43.* 3. Si inspiciat chartas alterius, ex sola ipsius negligentia, & absque fraude; secus si ita se collocet, ut possit videre, vel si alium constituat à quo admoneatur. 4. Si chartas à tergo discat nosse inter ludendum, quas ante non signarat, nec noverat, *Trul. Sanch. Lugo, Dian. p. 4. t. 9. R. 50 & 52.*

X. Qui verò utitur fraudibus non adhiberi solitis, vel colludenti ignotis, v.g. suffuratur chartas, vel signis à tergo notat, vel utitur notatis, aut iis, quas ante novit, ignorante socio; vel arte quadam eas componit, &c. tenetur restituere non tantum lucrum, sed etiam quantum alteri valebat spes lucrandi; imò etiam colludenti, *Regin. Amic. Trul.*

*Trul. Dian. l. c. R. 48. v. etiam p. 4. t. 3. R. 75. & Bon. de reſt d. 2. q. 3 p. 2.*

XI. Si ludens habeat animum non ſolvendi, vel ſi perdat, repetendi, non poteſt lucrari, atq; adeo nec retinere, quod eſt lucratus: quia fraudulenter decipit, nec alter vellet cum eo ludere, ſi id ſciret, *Leſſ. l. c. d. 5. n. 31 Reg. n. 388. Bon. l. c.*

XII. Peccant graviter, & communiter mortaliter, qui totos ſe luſibus tradunt, cum ſciant in gravia ſe inde peccata labi, aut impotentes reddi ad ſolvenda debita, vel alendos liberos, & uxorem, &c. *Sanch. Trul. c. 27. d. 1.*

XIII. Peccat idem ludens, ſi luſus lege poſitiva ſit prohibitus; ut luſus alearum, & ſimiles, qui magis in fortuna & caſu, quàm induſtria fundantur. At laicis ratione circumſtantiarum ſub veniali, Clericis ſub mortali prohibentur. *Leſſ. l. 2. c. 26. num. 6.* Intellige, ſi Clericus crebrò, perque longum tempus luſerit, non autem, ſi per breve tempus, & cauſa recreationis, & abſit ſcandalum: quia Canones id prohibentes non videntur recepti, niſi quatenus id fieret cum periculo ſcandali; ut habet *Leſſ. dub. 1. Laym. l. 3. t. 4. c. 21. n. 1.* Notat autem *Dian. p. 7. t. 9. R. 2. & 3. ex Lugo, Dicaſt. Amico, Trul. &c.* prædictis legibus per contrariam conſuetudinem ita derogatum eſſe, ut non tantũ Laicus, ſed etiam Clericus non peccet, ſi principaliter pro recreatione, & ſimul pro lucro moderato ludat chartis, vel aleis. In Religioſis tamẽ (apud quos diſciplina regularis viget) uti & Epiſcopis, à peccato gravi excuſari vix poſſe. *Ibid. R. 4. ex Mol. Dicaſt. Lug. &c.* etſi *Sanch.* conetur excuſare, ſi ur-

geat neceſſitas,v.g. excitandi aut recreandi infirmum,vel ſi parum ludat ob ſolam recreationem.

XIV. Si quis ludo tali vetito lucratus fuerit,juxta ſententiam probabiliorem non tenetur ad reſtitutionem ante judicis ſententiam:quia jura non annullant contractum , nec impediunt acquiſitionem dominii, ſed tantum concedunt,ut poſſit repeti. An verò,qui tali luſu perdidit, teneatur poſtea adhuc ſolvere,alii negant, ut *Leſſ.hic dub. 5.Molin.Regin.Fill.&c.*alii affirmant, ut *Azor.Rebel.Val.&c.*apud *Bon.l.c p.3.n.2.v. Dian.p.2.t.17. R.8.& p.7.t.9.R.21.*

XV.Ludere pro pſalmo,vel oratione Dominica recitanda,non eſt peccatum , nec irreverentia. *Navar.Rebell.Sanch.Dian.p.7.t.9.R.21.*

## DUBIUM XIV.

### *Quid ſit Contractus Societatis.*

Reſp. Is eſt,cum aliqui inter ſe conveniunt,& contributis aliquibus rebus ad lucrandum idoneis,ſive fructiveris, ut pecunia , animalibus, induſtria,labore,&c. commune aliquod lucrum faciunt;quod,uti & damnum,pro ratione, & rata cujusq; dividunt inter ſe,*v* Leſſ.L*aym.c.*20.*Bon.q.*6. *p.*1.Unde ſpectando id,quod ratio & juſtitia naturæ hic requirit,*reſolvuntur hi Caſus.*

I. Plus lucrari debet, qui confert pecuniam & operam ſuam,quàm quivel pecuniam,vel operam ſolam.

II. Capitale ſeu ſors,quam quivis contribuit,ſi pereat caſu,vel culpa ſociorum leviſſima , contribuen-

buenti perit. Ubi discrimen est inter hunc contractum, & mutuum: quia in mutuo sors data alienatur, & dominium ejus transfertur in mutuatarium, cujus proinde solius periculum ac damnum est, si casu pereat; in societate autem, qui sortem confert, eam non omninò alienat à se, & sicuti commodum ac lucrum ad eum spectat, sic etiam periculum & damnum, *Bon. l. c.*

III. Potest tamen etiam fieri in hoc contractu, ut quis justè servet sortem suam indemnem, & insuper certum lucrum percipiat, si nimirum ad contractum societatis adjungantur duo alii, assecurationis, & venditionis, cujus tale exemplum ponit *Laym.* Inis societatem cum mercatore, & contribuis ei 1000. florenos, v.g. spes est, quod is quotannis lucraturus sit 300. cujus lucri dimidium, v.g. jure societatis tibi debetur unà cum sorte; sed quia ad te quoque pertinere deberet ejusdem sortis periculum, ut ipse id periculum in se suscipiat, & tibi sortem assecuret, in hujus oneris compensationem, relinquis ei majorem partem lucri sperati, ut scilicet duas partes lucri ad ipsum, & tertia ad te pertineat. Et rursus, quia spes lucri hujus incerta est, ideò adhuc partem hanc lucri sperati, nempe 100. florenos in spe, vendis etiam eidem 50. vel 60. v.g. annuis certis, & in re, & sic tandem id lucrum facis, & sortem servas indemnem, *v. Laym. & Bon. ll. cc.*

IV. Societas etiam in pecoribus validè & licitè instituitur. Et interdum quidem ita, ut tam pecora ipsa, quæ alteri pascenda & nutrienda traduntur, quam emolumenta & fructus, ipsaque detrimen-

ta &damna danti &accipienti communia sint:interdum verò ita,ut pecorum dominium,ideoque etiam periculum, sive casus fortuitus, spectet ad solum dantem, emolumenta autem fructuum, nempe fœtus,lanæ,lactis,ad utrumque. *v.Less.hic & Laym.l.3.t.4.c.20.*

## DUBIUM XV.

### *Quid sit Assecuratio, & Fidejussio?*

Resp.I Contractus Assecurationis est,quo quis alienæ rei periculum in se suscipit, obligando se vel gratis,vel pro certo pretio,ad eam compensandam:si perierit. Quod si gratiâ fiat, est gratuita promissio:si pretio, est quasi emptio, quâ assecurans vendit suam obligationem præstandi alteri rem ejus indemnem. Ad ejus justitiam requiritur, ut eventus rei sit incertus utriq; saltem quoad notitiam, quam de eo habent, qua alioqui non servaretur æqualitas,*Less.Bon.d.3.q.9.p.3. Less.lib.2. c.28.dub.4.n.24.* Unde resolves.

I.Si assecurans certus sit rem esse in tuto,iniquè pretium petit,& tenetur restituere, *Ibid.Bon.d.3. q.9.p.3.*

II.Si res nondum est in tuto,etsi privata scientia sciat non fore periculum, licere nihilominus pretium ordinarium assecurationis accipere,dicit *Less.l.c.n.27.* Quia illa obligatio,ob pericula ordinaria magni æstimatur: & causæ occultæ,quæ periculum minuunt, non imminuunt communem æstimationẽ. Verum id *Bon.d.3.q.9.p.3.n.3. & C.Lugo d.31.s.7.* rectius negant.

III.

III. Si cupiens rem suam assecurari, certò sciat eam jam periisse, non potest paciſci de ejus assecuratione, *v. Less. l. c n. 25.*

Resp. II. Fidejussio est contractus, quo quis alienam obligationem suscipit implendam, si debitor principalis non solverit. Ita commun. Doct. *Vr. de resolves.*

I. Pro fidejussione licet accipere pretium, etsi nullum periculum timeatur, quia ex se pretio est æstimabilis. *Nav. Az. p. 3. l. 11. c. 22. d. 5. Fill. n. 159.*

II. Mulieres ex fidejussione (saltem si juramentum absit, & instrumentum publicum) non tenentur, uti nec Clerici, nisi quatenus solvere commodè possunt, ut non egeant, *v. Laym. Bon q. 9. p. 2. Less. l. 2. c. 28.*

III. Fidejussor non obligatur plus, quàm principalis, & hujus obligatio si sit invalida, erit etiam fidejussoris, *C. Lugo, &c. comm.*

IV. Fidejussor regulariter non potest convenire, nisi facta excussione principalis debitoris constet ipsum non esse solvendo, *Azor. l. c. Fill n. 153.*

V. Debitor tenetur de omni damno sua culpa accidente fidejussori, &c. *v. Azor. d. 10. Bon.*

VI. Ex fidejussione Religiosi propria authoritate facta monasterium non obligatur, nisi quatenus in ejus utilitatem versum est, *v. Less. c. 28. & Laym. c. 29. n. 7.*

VII. Qui fidejussit pro reo, cui periculum capitis impendebat, si hic aufugit, non est ejus loco plectendus, quia non præsumitur sic se obligare, imò nec potest, cum non sit dominus vitæ, *Sylv. Bon. Less. d. 7. n. 41.*

VIII. Si debitor sua culpa non solvit; tenetur fidejussori, qui pro ipso solvit, non tantum ipsum debitum, sed etiam damna & expensas omnes compensare. Si verò sine sua culpa, v. g. ob impotentiam non solvit, ad solum debitum videtur teneri. *Azor. Sylv. Sa, Bon. Trul. c. 26. d. 2.*

## DUBIUM XVI.

### *Quid sit Pignus, & Hypotheca?*

Resp. Pignus est contractus, quo debitor dat creditori rem aliquam mobilem vel immobilem, ut sit pro debito obligata, ex eaq; solutio peti possit. Aliquando tamen pignus accipitur pro ipsa re, quæ datur. Differt autem ab hypotheca', quod pignus propriè sit rei mobilis. *Molin. Fill. Bon. q.* 10. *p.* 1. Unde resolves.

I. Pignore non licet uti contra voluntatem domini: quia est res aliena, ad securitatem tantùm, & non ad usum tradita: *Bon. l. c. ex Mol. Reg. &c.* Si tamen utatur v. g. equo vel agro, debet valorem usus (uti & fructus omnes, si sit res ex se fructifera) computare in sortem, deductis expensis; quia alioqui committet usuram, cum res domino suo fructificet. *Nav. Bon. Trul. c. 26. d. 2.*

II. Non possunt oppignorari, quæ non possunt vendi, v. g. Ecclesiæ, *Mol. d.* 530. *Less. l. 2. c. 28. d. 5. Bon. l. c.*

III. Immobilia, uti & mobilia pretiosa, cultui divino dicata, v. g. calices, casulæ, &c. non possunt oppignorari, nisi in necessitate, quia tunc etiam vendi possunt, ut Ecclesiæ & indigentibus subveniatur, *v. Nav. c.* 17. *Less. Bon. l. c.*

IV.

IV. Creditor, qui pignus ab aliquo accepit, potest illud alteri oppignorare, sed non pro majore quantitate. Neq; potest vendere debitore non solvente, nisi post biennium & eo prius monito. Quidam tamen dicunt, posse vendere post trinam monitionem, *v.* Laym. *l.* 3. *t.* 4. *c.* 30. Bon. *l. c. n.* 9.

V. Eandem rem non licet oppignorare, seu in hypothecam dare pluribus, nisi sit sufficiens ad solvendum omnibus, vel posteriores de priore hypotheca admoneantur, *Azor. Fill. Bon. d.* 3. *q.* 10. *p.* 1. *Trul. c.* 26. *d* 4.

*Quares.* Quid sit contractus Antichriseos, germanicè ein Pfandschafft.

*Resp.* Is est, cum in contractu pignoris convenitur, ut creditor utatur pignore, v.g. agro, ac fructus inde tamdiu lucretur, donec debitum ipsi restituatur. Unde circa hunc ex supradictis resolves.

I. Contractus hic videtur juxta *Caj. Sotum &c.* (contra quosdam Juristas) esse usurarius; quia creditor ultra sortem aliquid lucratur, causa solius mutui, quæ est usura, *v.* Laym. *l.* 3. *t.* 4. *c.* 16. *n.* 17.

II. Possunt tamen intervenire tituli justi lucrandi fructus ex pignore, sine dimunitione sortis, ut si v.g. fructus ex hypotheca percepti non superent quantitatem pensionis, quæ jure census super eadem constituti exigi potest, cum pacto redhibitionis, ut supra dictum est de censibus, aut si alioquin lucrum cesset, aut damnum emergat, dum debitum differtur. Unde non facilè damnandi illi; qui à Principibus in locum debitorum, agros, pascua, officia, &c. in antichrisin habent, *v.* Laym. *l. c.* & *Binsfeld. de usuris Molin.* Less. *&c.*

CA-

# CAPUT IV.

## *De Tutela & Testamentis.*

## DUBIUM I.

### *Quid sit Tutela, & Curatela?*

Resp. Sunt quasi contractus, quibus Tutor & Curator ad procuranda bona & commoda Minorum cujuscunq; sexus, qui vel parente carent, vel sub ejus potestate constituti non sunt; obligatur ex justitia, perinde ac si ex contractu ea obligatio suscepta fuisset: supplente nimirum lege, vel magistratu vim contractus. Differunt Tutor & Curator, quod Tutor solum datur impuberibus, etiam invitis: & principaliter datur personis, ut curet earum educationem, & institutionem, secundariò verò datur etiã bonis illius, respectu omniũ negotiorum. Curator verò datur Minoribus, post annos expletos pubertatis, usq; ad annos 25. completum: nec communi jure datur invitis, nisi in certis casibus, & datur principaliter rebus Minorum, secundario personis. Unde pro directione in foro conscientiæ, ex jure tum naturali, tum positivo communi resolves ex *Laym. & Tan. t.3.d.1.q.7.d.10 Bon.d.3.q.19.*

1. Tutores, sive sint testamentarii, hoc est, relicti ex testamento, aut codicillo patris, sive sint dativi, hoc est, constituti à Judice aut Magistratu, sive sint legitimi, hoc est, præscripti à lege, (qualis præcæteris est mater, si velit, & promittat se non transitu-

transituram ad alias nuptias, quin prius tutelam abdicet, & rationem reddat: dein avia, & consanguinei proximiores idonei) tenentur, uti & curatores jurare, se fideliter officium suum facturos, ac fidejussorem dare, rem Minoris salvam & integram restituendam, & universim tacitè omnia eorum bona sunt hypothecata Minori, ita ut ad quemcunq; pervenerint, possit illa Minor sibi vendicare, ut sibi satisfiat, si quid illorum culpa est passus, *v. Tan. l. c. Laym. l. 3. t. 4. c. 9. Bon. l. c.*

II. Bona Minorum tenetur tutor, vel curator administrare ea cura, quam diligens paterfamilias propriis suis rebus adhiberet, tam impediendo, & præcavendo damna, quam procurando commoda, & lucra Minoris: alioqui damnum & defectus congrui lucri ipsi imputabitur, & tenebitur etiam in conscientia ad restitutionem. *v. supra l. 2. t. 3. c. 2. d. 3. R. 6.*

III. Bona immobilia Minorum, aut alia pretiosa, quæ possunt servari, non possunt alienari, saltem sine Judicis decreto.

IV. Tutori aut Curatori, & personis ei subjectis, nihil licet emere, sive per se, sive per alium, ex ullis bonis Minoris, quamdiu illi tales sunt, nisi cum authoritate Judicis, aut cum ejus decreto bona pupillorum publicè, per juratum venditorem omnibus venalia exponuntur.

V. Sine decreto Judicis non potest Minor remittere, vel renunciare hæreditati, legatis, fidei commissis, aliisq; juribus sibi acquisitis. Si tamen religionem ingressus sit, potest bona alienare, quia moritur quasi.

VI.

VI. Pupillus dum infans est, hoc est, minor septennio, vel infantiæ proximus (ita ut si masculus est, non expleverit annum decimum cum dimidio: si fœmina, nonum cum dimidio) nihil per se efficere potest, quo ullo modo vel alteri obligetur, vel alium sibi obliget: at pubertati proximus, obligare quidem sibi potest alium, sed non se alteri, saltem civiliter *Sanch.d.38. Less l.2.c.17. n.61. Laym.c.9 n.7.*

VII. Eadem est ratio Minoris, si curatorem habeat: quem si semel susceperit, tenetur illi subesse jure communi usque ad annum 25. expletum: & si litem habeat, tenetur ad eam sumere curatorem, exceptis tamen causis spiritualibus. Quod si curatore careat, valent acta per illos, ita tamen, ut si læsi sint, restituantur in integrum, *v. Auth. cit. & Bon.d.3. q.5 p.ult.*

VIII. Etsi minores sine Curatorum authoritate donare non possint, nisi quæ ejus conditionis adolescentes donare solent, (in iis enim præsumitur tacitus consensus Curatoris) qui tamen dona ab iis accepit, non tenetur restituere, nisi repetantur legitimè, quia probabile est valere naturaliter, tametsi non civiliter, *Mol. Lugo Trul. Dian. p.8. t.6. R.4. & 7.*

IX. Tenentur Curatores, & Tutores singulis annis administrationis rationem reddere; ubi si quis deses aut noxius reperiatur, amovendus est, imposita satisfactione, aliusq; subrogandus.

X. Si Tutor vel Curator, post rationes officii redditas, fidelis deprehensus fuerit, debetur ei præmiũ: quod quibusdam locis est vicesima pars red-

redituum bonorum omnium Minoris, in aliis autem decima pars.

XI. Porrò, qui non possint esse Tutores & Curatores, & qui à tutela & curatela excusentur, nec iis imponi possint, v.g. habentes quinq; filios superstites, pauperes, &c. v. apud *Tann. l.c. & Sa, V. Minor*, ubi sic habet: *Tutor non potest esse junior 25. annis, nisi fortè mater; nec religiosus, nec fœmina, nisi mater aut avia, (& uxor casu ante dicto) nec Clericus in sacris, si non velit, nec Episcopus, nisi miserabilium personarum. Horum verò tutelam suscipere tenentur & Episcopi, & Clerici, & Religiosi, quod ego*, inquit, *de religiosis universim non admitto. v.* Laym. *l.c.*

XII. Si Tutor & Curator, cum tenerentur negotiari, omiserunt, possunt pupilli ab eis accipere 5. pro 100. *Sa, V. Curator*, vide etiam *Navar. c. 25.* Plura vide supra *lib. 3, tract. 3. c. 2. dub. 3.*

## DUBIUM II.

### *Quid & quotuplex sit testamentum?*

Resp. I. Testamentum est voluntatis justa sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri vult, cum directa hæredis institutione. Quod additur, ut distinguatur à reliquis ultimis voluntatibus: nam differt à legato, seu fideicommisso partiali, quòd hoc sit donatio quædam à defuncto relicta, & ab hærede præstanda: à codicillo verò differt, quia codicillus est, quasi testamentũ imperfectum, & non fit ad instituendum hæredem, nisi ex privilegio, v.g. in militia, sed ad aliquid in testamen-

mento explicandum, addendum, mutandum, detrahendum, vel legata instituenda, v. *Laym.l.3.t.5.c.1.& seq.Tan.t.m.5.d.4.q.8.Less.l.2.c.19.Bon. d.3.q.17.p.1.*

Resp.II. Testamentum est duplex. I. in scriptis, seu clausum: quod testamentum testator, sive sua, sive alterius manu scriptum, septem testibus idoneis, non defectuosis, non cœcis, non surdis, mutis, nec furiosis, prodigis, infantibus, religiosis, cognatis, qui in testatoris potestate sunt, (quibus adde ipsum hæredem, & qui in ejus sunt potestate:) sed masculis puberibus, liberis, ad id rogatis, & vocatis, coram offert, profitendo id esse suum testamentum: tum si possit, manu sua subscribit, alioqui octavus pro eo testis: dein omnes & singuli septem testes eodem tempore subscribunt, si possint, per se ipsos proprioque, vel alieno, aut communi omnes sigillo consignant. *Laym.l.c. Bon d.3.q.17.p.11.* II. Nuncupativum, quod minorem solemnitatem requirit, scilicet tantum, ut septem testes idonei supra dicti convocati audiant, & intelligant testatoris voluntatem, coram eis scripto, vel voce articulata prolatam. Etsi verò talis nuncupatio, coram testibus, à Notario in scriptum communiter redigi soleat; id fit, non ad actus substantiam servandam, sed ad meliorem probationem, & securitatem, si testes decedant, vel inidonei reddantur. Si autem testamentum careat solennitate debita, dubiteturque, utrum testator voluerit conficere clausum, an apertum, valet ut nuncupativum: hæc enim præsumitur testatoris voluntas, ne actus omninò corruat,

*Sanch.*

*Sanch. l. 4. cons. Lugo t. 2. de just. d. 14. Bardi, d. 6. q. 10. §. 1.*

Porrò præter has solemnitates jure communi requisitus, aliæ sunt partialium locorum, quas in singulis locis norunt periti notarii, qui proinde, ne impingatur, utiliter adhibentur.

*Quæres.* An Testamentum sit validum cui desunt solemnitates à jure civili requisitæ.

Resp. Si Testamentum factum sit ad causas pias, etiam sunt juris gentium, scilicet duo testes: in foro autē conscientiæ, suppositā potestate disponentis, sufficere scripturam, nutum, vel aliud signum testatoris, absque ullo teste. Quod si tamen manus testatoris non extet, requiruntur duo testes in foro externo, inter quos etiam fœmina esse potest, *Covar. & alii 12. Dian. p. 7. t. 6. R. 16.* Item Confessarius vel Parochus esse potest, licet legata sint pro sua Ecclesia, idque ad hoc tantum, ut voluntas testatoris probari possit, & Judex pro ea sententiam ferat. *v. Less. & C. Lug. t. 1. 2. sect. 9.* ubi etiam probat, in tali testamento ad pias causas, non esse necessariam hæredis institutionem. Ac licet morte interveniente, non fuerit absolutum; valet tamen quoad legata pia in eo jam expressa: *Malder. Laym. Dian. p. 5. t. 3. R. 126.* An autem tale testamentum ad causas pias principaliter factum, si solennitates desint, valeat quoad legata profana, controvertitur. Negat *Bon. & Lugo.* Affirmat *Cov. Sa, Less. Vill. Sanch. Barbos. Trul. c. 18. d. 4. Dian. p. 7. t. 6. R. 4,* Denique testamentum ad pias causas, non solenne, revocat aliud solenne, etsi hujus mentionem non faciat. *Mol. & c. Dian.*

*p. 7.*

*p.7.t.6.R.25.26.* idque etiam si prius etiam fuerit ad causas pias *Mol. & alii* 6. licet hoc posterius quidam negent, *v. l.c. R.26.27.*

Resp.II. Si testamentum factum est ad causas non pias, hominibus rusticanis quinq; testes sufficiunt, si plures haberi nequeant: nec subscriptione opus erit, si literati non sint, *Laym. l.c.c.2.n.16. Bonac. l.c.p. 5.n.4.*

Resp.III. Tempore pestis, non requiruntur septem testes simul congregati ad testamenti subscriptionem, sed sufficit, si singuli separatim adhibeantur. Adde, æquitatem postulare, ut quando testis, vel Notarius haberi non possunt, ultimæ voluntates validæ pronuncientur, si de voluntate defuncti liquido constet. Hinc in Camera Imperiali valet testamentum peste valdè grassante, conditū coram duobus vel tribus testibus, inter quos Confessarius esse potest. Atq; hæc vera sunt secūdum jus commune Cæsareum, seclusis specialibus locorum statutis. Nam Venetiis, v.g. & Viennæ, duo testes ad testamentum sufficiunt, *v. Laym. l.c. c.2.* Imò absolutè loquendo tempore pestis sufficere solennitates juris gentium, atque adeò tres vel duos testes, docet *Dian.p.7.t.6. R.34. ex Sa, Laym. &c.* atque inter eos esse posse fœminam, & Notarium ipsum, (tametsi non sit immatriculatus) modo non sit consanguineus, vel affinis defuncti, *R.36. ex Menoch. &c.* nec opus esse, ut sint rogati, vel audiant vocem testantis (etsi hoc quidam requirant) modo eum videant, *R.37. & 38.* neq; invalidari licèt ægrotus convalescat, *R.39. ex aliis 8.* Deniq; si Parochus scribat coram unico te-

ste,

ste, habere vim testamenti saltem nuncupativi, dicit *Mol.* & *March.* cum *Dian. l. c. R.* 34. & 41. v. et iam *p.* 5 *t.* 3. *R.* 123.

Resp. IV. Etsi probabilis, & secura sententia sit, *Covar. Bon. d.* 3 *q.* 1. *p.* 4. *& aliorum*, testamentum factum ad causas non pias, sine solemnitatibus jure requisitis, invalidum esse in foro conscientiæ, præterquam quoad legata pia, *Molin. Lugo Vasq. Sanch. Diun. p.* 7. *t.* 6 *R.* 3. contra *Barbos.* ita ut hæres per illud institutus, & legatarius, teneantur ad restitutionem hæredibus ab intestato: contrarium tamen verius est, ideoq; licitè retinetur, quod tali testamento possidetur. Ratio, quia illæ solennitates tantum requiruntur ad cavendam deceptionem, & ad fidem in foro externo faciendam, *vid. Less. l.* 2. *c.* 19. *d.* 3. *C. Lugo d.* 22. *s.* 9. Unde secundum hanc posteriorem sententiam *resolves sequentia.*

I. Hæres ab intestato, si sciat voluntatem defuncti, tenetur restituere hæreditatem, & solvere legata iis, quibus testamento minus solemni, aut ex voluntate ejus debentur, *Molin. Less.* contra *Bon. l. c.*

II. Si dubius sit de voluntate testatoris, debet cum illis componere, pro ratione dubii: quia cum nec ipse, nec alii cœperint adhuc possidere bona fide, in dubio par est eorum conditio. *v. Bon. l. c.*

III. Si hæres ab intestato tetineat hæreditatem, & legata, possunt illi, quibus aliquid per tale testamentum erat relictum, uti occulta compensatione: quia revera res illæ erunt ipsorum. *v. Bonac. l. c.*

IV.

IV. Si hæres ab inteſtato fateatur, mentem teſtatoris fuiſſe, ut hæreditatem nomine fideicommiſſi alteri traderet, vel legatum aliquod ſolveret, aut ſi oblato juramento jurare noluerit, cogendus eſt, etiam in foro externo, hæreditatem tradere, & ſolvere legatum.

V. Ob eandem cauſam idem dicendum eſt, ſi fateatur voluntatem teſtatoris fuiſſe, ut hereditas, non ut fideicomiſſum, ſed immediatè perveniret ad alium: quia non eſt recurrendum ad fidem teſtium, vel ad juris ſubtilitatem, quando is, cujus intereſt, ipſe confitetur teſtatoris voluntatem, *v. Leſſ. & Card. de Lugo l.c.*

Reſp. V. Etſi probabile ſit Clericorum & Novitiorum teſtamenta facta ad cauſas non pias ſine ſolemnitatibus juris non valere, *Molin. & alii* 3. cum tamen contrarium etiam ſit probabile, *Suar. &c.* poteſt hæres ex tali teſtamento hæreditatem adire pro foro conſcientiæ, *Dian. p. 9. t. 9. R. 16.*

Reſp. VI. Milites hujus temporis gaudent iisdem privilegiis teſtandi, quibus olim, dummodo in caſtris (vel in propinquo ex cauſa legitima) verſentur, *Dian. p. 7. t. 6. R. 42. & ſeq. ex aliis* 15. contra *Baldum, &c.* atque adeò ſufficiunt iis duo teſtes, (licet probabiliter nec hi requirantur *R.* 45.) etiam non rogati. *R. 46. & alii* 4. contra *Molin. Lugo &c.* etiam alias ſimidonei, modo non ſint impuberes, nec cœci, vel ſervi, *R. 47. Lugo Vaſq. &c.* Neque opus eſt eorum ſubſcriptione, vel ſignorum appoſitione, vel ut ſint in conſpectu teſtatoris. *Ibid.* Imò miles jure militari (quo præſumitur eſſe teſtatus in dubio) poteſt, teſtari ſo-

solo nutu. *R.* 49. Potest etiam plura simul testamenda valida facere, vel pro parte testatus, pro parte intestatus decedere *R.* 53. & 55. Valetque eius testamentum etiam post missionem honestam: sed non ultra annum, *Molin. Lugo &c. R.* 61. Denique possunt milites supradicto modo testari, tametsi sint surdi, & muti: saltem si in castris auditum & vocem amiserint, *) *Dian. R.* 48. 49. & 59. ex aliis.

## DUBIUM III.

### *De Renunciatione hæreditatum.*

Resp. I. Renuntiatio futuræ hæreditatis, nisi juramento firmetur, nullius roboris est. Ratio, quia ita iure cautum est, propter bonũ publicum. Excipe. 1. Nisi quis in ipso testandi actu renunciet juri successionis, vel post testamentum conditum, in quo præteritus est, præteritionem sui approbet. 2. Nisi hæres necessarius, post debitam sibi portionem integram à patre acceptam, reliquæ hæreditati renunciet, qui tamen, si bona patris postea augeantur, legitimam eorum portionem potest exigere, *Ita Laym. c.* 7.

Resp. II. Renunciatio hæreditatis cum odiosa sit, & contra jus commune, strictæ interpretationis esse debet. *Vnde resolves Casus seq.*

I. Non obstat renunciatio hæreditatis, etiam jurata à filio facta, quo minus ab eodem patre mutata iterum voluntate, possit institui hæres *Mol. Sanch. l.* 7. *c.* 7.

II. Si filius renunciavit in favorem fratris, eo mortuo ante patrem is qui renunciavit, in prima

hæreditate succedere potest: Imò etiam institutus deber, quia causa renunciationis cessavit. *Molin. d. 579. n. 19.*

III. Filius post juratam renunciationem nihilominus succedere potest in iis bonis, quæ pater ad secundas nuptias transiens, liberis ex priore matrimonio susceptis relinquere cogitur. Ratio, quia in his filius non succedit jure sanguinis, cui renunciavit; sed propter civiles Constitutiones, & favores, *Mol. n. 21.*

IV. Etsi filia accipiens dotem à patre, dicat se ea contentam, & renuntiare paternæ hæreditati; pactum tamen illud est invalidum, eoque non obstante, potest postea petere complementum legitimæ positionis suæ. Ex *Lupactum dotale Cod. de collat. L si quando Cod. de pactis & cap. Quamvis pactum de pactis 6. Mol. Sanch. l. 6. Lugo. Resp. mor s. 6. d. 24.*

V. Si parentes dent filiæ dotem infra portionem legitimæ debitæ, inducantque eam coactione, vel fraude seu dolo; ad renunciandum legitimæ, non sunt in conscientia tuti, sed tenentur illi restituere libertatem, *Sanch l. 4. de mac. d. 9. Lugo l. c.* Ac licet filia, si renunciationem juramento firmaverit, eam servare teneatur, si tamen dolus vel metus intervenerit, licebit relaxationem juramenti injustè extorti petere; eaque obtenta non tenebitur pacto, quod ex iniusta coactione processit. *v. Sauch. l. 3. morc. 12. Lugo tom. 2. de iust. d. 22. s. 8. & resp. mor. l. 7. d. 22.*

Resp. III. Omne pactum, vel donatio, de alterius viventis hæreditate, ipso jure irrita est

v. g.

v.g. irritum est pactum, quo Titius hæreditatem, quam sperat à Sempronio, promittit aut obligat Cajo. Ratio, quia tales pactiones odiosæ sunt, & plenæ periculis ob insidias, quæ parantur eius vitæ, super cuius bonis fit pactio. *Laym. t. 7. num 3.*

Excipe 1. Nisi consentiat is, de cujus hæreditate agitur & in eo consensu usque ad mortem perseveret. 2. Nisi renunciatio sit in favorem communitatis, seu collegii: hic enim cesset præsumptio, vel periculum insidiarum. 3. Nisi quis ob Constitutiones Ordinis, de omnibus bonis & juribus acquisitis; in acquirendis, disponere debeat, idque in favorem communitatis piæ, vel etiam certæ personæ pauperis, *Sanch. c. 2. n. 54. Laym. l. c. n. 3.* 4. Nisi fiat pactum circa hæreditatem personæ incertæ: v.g si quæ mihi hæreditas obvenerit dum vixero, tua esto: cessat enim periculum, *Mol. Sanch. l. 7. c. 2.*

*Quares.* Quousque se extendat constitutio *Trid. s. 25. c 26. de regularibus*, irritans donationes & renunciationes; etiam juratas, quæ fiunt ab ingredientibus religionem, nisi fiant cum licentia Episcopi, sive Vicarii, intra duos menses proximos ante professionem, & professio postea subsequatur?

Resp. Hanc constitutionem non habere locum in codicillis, testamentis, aut donationibus mortis causa: quia hujus constitutionis ratio est, ne per renunciationem hæreditatis, novitiis imponatur necessitas profitendi: hæc enim ratio cessat in his ultimis voluntatibus; quippe quæ us-

que ad professionem revocabiles sunt. Quare valet adhuc hodie testamentum à novitio conditum, neque rumpitur secuta professione, etsi monuerium in eo præteritum fuerit *Sanch. l.7.c.5.* Qui autem licitè à Religione recedit, recuperat omnia bona cuicunque ante donata intuitu ingressus Religionem.

Resp.II. Ea constitutione non prohiberi donationem modicam: quia cessat ratio, *Sanch.n.23.*

Resp.III. Ea comprehendi renunciationem Beneficii Ecclesiastici. Ratio, quia hæc est amissio magni juris ob quam libertas egrediendi è religione impeditur. *San. num.37.*

Resp. IV. Per eandem etiam irritantur renunciationes quæ fiunt ante ingressum religionis, intuitu, vel causa impulsiva ingrediendi: qualis intentio in dubio præsumitur, si non multò ante ingressum factæ sint. Ratio, tum quia Concilium absolutè loquitur: tum quia alias non sufficienter consuluisset libertati novitiorum. *Nav. Less. l.2. cap.41.n.40.* contra *Sanch.* cuius tamen sententia est probabilis. Unde sic donatum tuto retineri potest, donec per sententiam Judicis rescindatur.

Resp.V. Irritam etiã esse donationem, seu renunciationem bonorum, sub conditione professionis edendæ factam, ita ut ea non secuta corruat. *Nav. Sanch.num.17. Mol. &c.* Ratio quia donantes, seu renunciantes ægrè contristant donatarios, ut eos de possessione semel capta dejiciant: & monasteria, quæ tales donationes accepernnt omnes modos adhibent, ut tales ad professionem inducantur, *Lam.c.7.n.8.*

Resp.

Resp. VI. Non obstante hac constitutione, validas esse renunciationes, aut donationes, ante, vel post ingressum Societatis Jesu factas, juxta eius constitutiones. Ratio, quia Tridentinum Societatem diserte excipit. Dixi *iuxta constitutiones*, quia in iis donationibus, quæ contra constitutiones fiunt, non videtur habere locum? quia Tridentinum id voluit in favorem societatis. Quod autem ob gratiam alterius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum, *Molin. Sanch. Laym. l. c.*

## DUBIUM IV.

### *Qui possint, & debeant esse executores Testamenti?*

Resp. I. Ii à testatore nominari possunt unus, vel plures ex hæredibus, vel non hæredibus; nec tantum masculus, sed etiam fœmina; *Sanch. Wading. Dia. p. 8. t. 5. R. 4.* non tantum Laicus, sed etiam Clericus, & religiosus. Hic tamen non sine sui Prælati licentia, & quidem Generalis, si sit Societatis Jesu: Frarres de Observantia, nullo modo. Quod si tamen religiosus, contra Canonum decreta, executor testamenti sit, acta eius valent. *Ita Laym. c. 11.* Et ratio est, quia spectato jure naturali, sufficit voluntas testatoris executoris: nec Canones executionem religiosi infirmant, sed prohibent tantum. *v. bon. de cont. d. 3. q. 18. Dian. p. 8. t. 5. R. 9. 10.* Et licet impubes executor esse non possit, potest tamen minor, si ex-

plevit annum 17. *Sanch. Lugo Wading. Dian. p.8.t.* 5.*R.*6. Nullus autem cogi potest ut sit executor, *Dian. l.c. R.*27. detrectans tamen hoc ipso perdit legatum (saltem quod in premium muneris ei relictum fuit) ceditque hoc aliis executoribus *Mol. Lugo Dia. p.*8.*t.*5.*R.*25. contra *Wad.*

Resp. II. Si nullus à testatore nominatus est executor, executio pertinet ad hæredem, etiam quoad legata pia; quo tamen casu Episcopus jure communi ad se pertrahere potest, *Laym. l.c.*

Resp. III. Executor non potest officio fungi per alium, nisi testator id ei permiserit, aut nisi committatur executio nudi facti jam declarati. *Sanch. Lugo Dian. p.*8.*t.*5.*R.*26.

*Quæres. I.* An religiosus executor, legatum in pias causas, monasterio suo applicare possit?

*Resp.* Posse. Ratio, quia si quid obstaret, esset ex eo; quod executor etiam indigens eleemosynam sibi ex testamento applicare nequeat, nisi testator indigentiam eius ignoraverit, aut ea postmodum supervenerit, cum si eam cognovisset, certum quid ei legaturus fuisse videatur. Sed hæc ratio non ligat, quia causa monasterii distincta est à causa, seu persona professi; sicut causa Ecclesiæ à causa beneficiati. Unde etiam quivis jussus aliquid dare pauperibus, potest id tribuere cognatis, vel filiis suis: quia evidens est distinctio inter donantem & accipientem, *Sylv. Sanch. l* 6.*c*11. *num.*59. *vid. Dian. p.*8.*t.*5. *R.*46. Porrò ad pias causas legata dicuntur quæ intuitu pietatis relicta sunt nimirum 1. Loco vel personæ sacræ, 2. Hospitali. 3. Confraternitatibus: 4. Pupillis & Orpha-

Orphanis. 5. Quod causa alimentorum iis, qui indigent. 6. Quod causa studii saltem Theologici. 7. Ad constructionem monumenti. 8. Ad utilitatem publicam, v. g. pro munienda urbe in necessitate, vel viis reficiendis. *Dian. p. 7. t. 6. R. 29. & 30. ex Bald. & c. multis.*

*Quares II.* Quomodo relicta incerta executioni sint mandanda?

*Resp. I.* Si incertitudo sit ex parte legatarii, jure civili corruit legatum; v. g. quia sunt duo ejusdem nominis & amicitiæ erga testatorem, jure civili corruit legatum: in foro conscientiæ tamen tenetur executor inter eos dividere æqualiter, si in id consentiant, *Molin. & c. Dian. p. 3. t. 5. R. 58. Trul. d. 12. II.* Legata ad causas pias, ob incertitudinem loci, vel Ecclesiæ, vel Xenodochio danda erunt. III. Si incertitudo sit ex parte rei legatæ videndum an terminos à natura habeat, ut v. g. bos & equus; vel ab arte & industria, ut domus, vestis, &c. Si à natura habeat, danda est una ex mediocribus: si ab arte, electio ad hæredem pertinet, qui rem in eo genere minimam dando satisfacit. Idemque dicendum est de legatis, in numero, pondere, & mensura consistentibus, *vid. Lay. l. c. n. 7. 8. 9.*

*Resp. II.* Si acceperint summam pecuniæ distribuendam pauperibus, non tenentur dare pauperioribus, possuntq; etiam dare hospitalibus, Ecclesiis, (quę ornamentis, ut fabrica indigēt, Monasteriis,) vel iis, qui secundū suū statū non possunt vivere, sive ii sint opifices, sive altioris conditionis;

etiam Nobiles *Vasq.Molin.& alii* 8. dummodo tamen non constet, vel ex signis colligatur,aliam fuisse intentionem testatoris, quæ semper attendenda est. *Dian.p.2.t.15.R.8.* Si verò designaverint semel certos paupereres, non posse eos variare docet *Wadin.* sed affirmat *Lugo v. Dian.p.8.t.5. R.50.& p.2.t.16.R.19.* Possunt etiam sibi ipsis, vel suis cognatis, si verò pauperes sint, præsertim si testator id ignoraverit,eam applicare, *Wading. Dicastill.Dian.p.8.t.5.R.46.&.47.*

*Quæres III.* An legata ad certas pias causas,possint ab executore,vel Episcopo commutari in aliũ pium usum?

*Resp.I.* Si voluntas testatoris impleri potest justè & honestè, non licet eam commutare in opus quantumcunque melius, nisi ex dispositione Pontificis, & justa de causa, *Molin. Wading. Dian.p.1.t.17.R.& p.8,t.5.R.63.&c. communiter* contra *Vasq. & aliquos.* qui docent Episcopum posse commutare in æquale vel melius. Interdum tamen ad Episcopum, hæredes & executores pertinet,secundum epiikiam interpretari, non alienum esse à defuncti voluntate, si mutatio fiat; v.g. si testator pecuniam Ecclesiæ leget ad calices comparandos, & Ecclesia non egeat calicibus,sed casulis, *Mol. Laym.l.c. num.*10. *v. Vasq. opusc,de testam.c.8.8. §.5.dub.3. n.*104. *Trul.c.18,d.12. Barb.de off.& potest Episc.*

*Resp.II.* Si ad usum à testatore destinatum applicari nequeunt, non ideo fiunt caduca, sed arbitrio Episcopi & executoris ad aliam piam causam applicanda sunt :ita tamen,ut quoad fieri potest,

test, defuncti voluntas impleatur. Ratio est, quia is principaliter intendit ea in salutem animæ suæ, ad Dei honorem relinquere. *Mol. d. 294. Bon. d. 3. de cont. q. ult. p. ult. Barbos. de offic. Episc.* Ex dictis *resolvuntur sequentes Casus.*

I. Si Testator pauperi determinato aliquid legavit, hic autem ante solutionem moriatur, hæres illud tenetur alteri pauperi dare; quia præsumitur legatum pium factum in beneficium animæ testatoris, adeoque cognatio pauperis demonstrativè non laxativè facta fuisse: nisi tamen aliud constet, vel ex circumstantiis colligatur de testatoris intentione; de qua si maneat dubium, manet data resolutio. *Mol. Sanch. Bard. d. 6. c. 10. §. 7.*

II. Si legata pia inveniantur inducta, & non constet de testatoris intentione; tenetur hæres ea solvere: quia præsumitur id fortuitò, ac causaliter, & non ex testatoris voluntate accidisse. *Bardi. d. 6. c. 10. §. 17.*

III. Si Testator legaverit summam pecuniæ pro certo numero sacrorum; hæres autem eam summam Sacerdoti cuipiam bono tradiderit, ac postea ob mortem dicti Sacerdotis, aliamve ob causam dubitet prudenter, an sacrificia illa sint peracta, non tenetur ea curare iterum celebranda. Quia satisfecit testatoris voluntati. *Bardi. d. 6. q. 10. §. 22.*

*Quæres IV.* Intra quod tempus, quo ordine & modo hæredes & executores defuncti voluntatem exequi debeant, & quis cogere possit?

*Resp. I.* Teneri statim post aditam hæreditatem,

rem, confectumque inventarium, etiam intra annum, nisi justo impedimento excusentur. Imo in legatis piis intra sex menses, *Mol. Vasq. Dian. p.8. t.5. R.53.* idque etiamsi hæreditas non tradita, eo quod hæres vel ante fuerit mortuus, vel eam repudiarit. *Covar. & alii tres Dian. p.7. t.6. R.25.* Unde si differant notabiliter, (præsertim solutionem piorum legatorum) aut negligant [illegible] graviter peccant; tenenturque damnum, quod alii ipsorum culpa acceperunt, compensare, *Bon. d.3. q.18. p.4. [illegible] c.25. Lugo Dian. p.8. t.5. §.52.*

*Resp. II.* Ab utroque judice, Ecclesiastico & seculari, compelli possunt, (si tamen laici sunt) Quod si post annum à monitione judicis vel Episcopi exequi negligant, omni commodo (excepta tota legitima, si hæredes necessarii sunt) ex testamento ipsis proveniente privantur *vid. Laym. l.c. tr. 5. cap. 11. Card. de Lug d. 26. de just. Dian. p.3. t.3. R.59. Valerum. Trul. d.11.* imo si intra annum negligant exequi, jus executionis devolvitur ad Episcopum. *Molin. & alii 8. Dian. p.8. t.5. R.40.* nec admittitur purgatio moræ, *Sanch. Dian. l.c. R.33. & 34.* Sed tenetur Episcopus exequi removendo illos ab executione & emolumentis spoliando: atque in defectum Episcopi, idem potest Metropolitanus, *Mol. Merol. Dian. R.57.*

*Resp. III.* Executor tenetur omnia exequi secundum mentem testatoris: ad hoc tamen Executor particularis non potest vendere bona defuncti, niũ hic ita statuerit: universalis autem potest,

test,*Lugo d.24. s.16. Dian. p.8.t.5.R.32.* Neque potest unquam invito hæredem legatum dare legatario; quia non potest nisi per Judicem spoliare hæredem sua possessione; licet teneatur monere Episcopum, ut hæredem cogat, *Sanch. Lugo Dian. p.8.t.5. R.38.* Quod si bona non sufficiant ad legata omnia solvenda, distribuenda sunt omnibus æqualiter pro rata (etiamsi sint pia, & licet uni res certa, & individuo sit legata) nec licet uni præ aliis gratificari; quia par omnium est ratio & jus, *Sylv. Sanch. Bon. Dian. Trul, l.7.c.18.d.12.*

*Resp.IV.* Tenentur Executores reddere rationem executionis (idque probabiliter, etiamsi testator eos hoc onere liberasset) exceptis iis, quæ testator eos hoc onere liberasset) exceptis iis, quæ testator jussit erogari secreto, *Dian. p.8.t.5. R.34. & alii 36.* Possuntque ad hoc cogi ab Episcopo, vel Capitulo Sede vacante, *R.36 37. & 62.* nisi sint Regulares plenè exempti, quos cogi alii negant, affirmant alii, ut *v.l.c.* Denique non debetur iis salarium, cum sit officium voluntarium amicitiæ: si tamen damnum ex eo patiantur, vel sint etiam administratores bonorum, debet assignari à Iudice. *Lug d.24. sess.16. num.335. vid. Dian. R.39.* plura de executione piarum & ultimarum voluntatum, *vid. Trul. & Dian. ll.cc. & Barbos. l.3. de iure univ. c.27.*

## DVBIVM V.

### De iis, qui testari hæredes instituí poßunt?

Resp. I. Omnes homines liberam de suis bonis testandi facultatem habent, nisi naturali aut positivo jure prohibeantur. Naturali autem jure testari vetantur infantes, furiosi, amentes; nisi tamen lucida intervalla habeant, vel in una tantum materia delirent, & in aliis non, ut *Nav. Sanch. l. 1. de matr. d. 8.* Quid autem sentiendum de eo, qui ex morbo aliquamdiu delirat *v. Card. Lugo d. 24. s. 4.* Positivo autem, surdus simul & mutus à natura, prodigus, servus, usurarius publicus, filiusfamilias de bonis adventitiis, (si quidem ante Clericatum advenerint, ut *v. Card. de Lugo de iust. d. 24. n. 67.*) impubes, captivus apud hostem, damnatus ad mortem, si bona eius confiscentur, *Card. de Lugo l. c. num. 72.* professus religionem.

Dico, *professus*, quia novitius cum adhuc sui juris sit, absque superioris licentia validè testari potest, etiam non servata juris solennitate, ut habet *Trul. cap. 18. d. 5. ex Sa. & Bon.* & siquidem intestatus decedat, proximi consanguinei in bonis succedunt. Similiter religiosus Societatis post emissa vota simplicia, etsi non liceè, validè tamen potest testari: quia dominium bonorum suorum retinet impeditum quasi voto paupertatis, quoad dispositionem sine licentia superioris; non tamen ulla constitutione Canonica dispositio irritatur,

tatur, *Ita Mol. Sanch. Lay.* Qui addit, potestatem testandi, seu jure, seu consuetudine, etiam religiosis ordinum militarium concessam, frequenterq; à Pontifice concedi iis solere, qui extra claustrum Beneficium vel Episcopatum habent.

Resp. II. Omnes homines etiam amentes, surdi, muti, servi, imò & communitas, hæredes instituí possunt: nisi specialiter prohibeatur. *Ita Bon. de contr. d. 4. q. ult.* Quia ad hoc tantum requiritur plena potestas in disponente; & capacitas in hærede. Incapaces autem secundū jura sunt, 1. Apostatæ & Hæretici, eorumque receptores, defensores, fautores: licet probabile sit, eos ante sententiam judicis ad restitutionem non teneri, eo quod hoc jus in eo rigore non sit receptū. *Less. l. 2. c. 19. dub. 5. Sanch. lib. 2. cap. 14. num. 11.* 2. Civitas hostium, & communitas Judæorum, 3. Damnatus ad metalla; persecutores & percussores Cardinalium, & qui ob crimen activè intestabiles sunt, *Less. loc. c.* Adde casus in quibus aliqui excluduntur à bonis defuncti, ut 1. Hæres, (uti & legatarius) qui testatorem occidit, *Leg. ult. §. ult. ff. de bonis damnatorum.* 2. Idem si testatori prohibuit testari, aut testamentum revocare; aut si uxorem testatoris accedat. 3. Si dum testator mente captus fuit, hæres illius curam non habuit, aut si captivum redimere neglexit. *v. Mol. d. 178. & 212. Card. de Lugo d. 24. n. 75.* Unde resolves.

I. Hæredes instituí possunt professi ordinum quibus permissum est, bona immobilia in communi possidere, eorumque nomine monasterium succedit. Tales autem sunt omnes ferè religiones,

giones, excepto Ordine Minorum de Obſervantia,& Capuccinorum. Ratio,quia illi ſunt incapaces, ſecundum *Tria.Seſſ.25.c.3.* uti & profeſſi Societatis Ieſu: *v.Sanch.l.7.c.18.Bon.l.c.Laym.l.3.t.5.c.15.*licet contrarium probabilius eſſe putet. *Wading.tract.de contr.d.4.dub.5. §.4. v.Dian.p.9.t.9.R.16.*

II, Collegia Societatis Ieſu, & domus,etiam profeſſæ,hæreditates accipere poſſunt; modo bona immobilia, quæ communi uſui & habitationi non deſerviunt,vendantur, & non deferantur intuitu profeſſi aut vota formata habentis.

Dixi, *hæreditates*: quia ſicut Minores & Capuccini, legata & alia donata admittere poſſunt; ita etiam Societas Jeſu, etſi intuitu alicuius profeſſi tantùm ea deferantur, *v.Laym.l.c.*

III. Teſtator poteſt quemvis extraneum inſtituere hæredem, nulla facta mentione conſanguineorum collateralium, etiam fratris pauperis, dummodo abſit ſcandalum, & gravis neceſſitas illorum: quia nullo jure prohibetur, & bona ſunt ipſius, de quibus diſponit liberè, *Bon.& alii §.Dian.p.1.t.8.R.83.& 85.*Item *p.5.t.3.R.114.*

*Quæres 1.* Quæ ſit diviſio hæredum?

*Reſp.* Hæres alius eſt ex teſtamento,alius ab inteſtato. Hæres ex teſtamento, vel eſt univerſalis,ſive ex aſſe; vel partialis, ſeu ex parte tantum; v.g. ex triente, vel dodrante, vel quadrante: Uterque horum vel eſt hæres neceſſarius, qui neceſſario inſtitui debet, ut ſunt omnes in recta linea deſcendentes,& poſt hos aſcendentes, niſi

nisi sit causa justa exhæredandi; vel non necessarius, quem testator potest instituere, & non tamen cogitur, *Laym. c. 5. n. 9.*

*Quares 11.* Quantum hæredibus necessariis debeatur?

*Resp.* Jure novo legitimam portionem descendentium esse trientem hæreditatis, si non sint plures quàm quatuor liberi; si plures, semissem. Similiter ascendentium portio, etsi unus tantum sit, est triens hæreditatis, idque absque ullo gravamine, modo & conditione: alioqui pro non appositis habentur. Quod si autem alicui ascendentium, vel descendentium, portio legitima non relinquatur, competit ei actio ad petendum complementum vel ad rescindendum testamentum, ut ipso jure nullum: maximè, si causa idonea ex hæredationis non sit inserta; & probata, *Laym. c. 8. n. 10.*

His adde. 1. Rumpi testamentum ob posthumi prætéritionem. 2. Peccare parentes, si absque justa causa, ex inordinato affectu erga liberos successionis inæqualitatem inter eos instituunt. Justæ autem causæ inæqualitatis hujus erunt, merita & obsequia majora: si pusilli magno sumptu in studiis ali debeant; si qui plus egere videantur, *Dian. p. 1. t. 8. R. 83.* si quis in studiis sustentatus sit Doctor, possitque lucrari & alii secus, imò pater id, quod habet supra partes legitimas filiis debitas potest de rigore relinquere extraneo. *Trul. c. 18. d. 10. Bon. Dian. p. 1. t. 8. 83.* 3. Liberos naturales, nisi legitimati sint, respectu patris non esse heredes necessarios,

respectu

respectu tamen matris, esse; idque æquali iure cum legitimis. Quod si tamen pater liberis caret, naturales potest instituere hæredes; modo parentes superstites legitima portione non priventur. 4. Fratrem & sororem tunc tantum posse infirmare testamentum, si persona infamis instituta sit, *Laym. l.c.num.* 12.13. *v.Bon. d.3.de cent. q.ult.p.3.* 5. Patrem non posse expensas factas pro filio in studiis literarum repetere, siquidem eas liberaliter fecit; vel donavit; secus si habuit animum repetendi, & computandi in legitimam. Quod si pater non repetiit, quando potuit, non tenetur filius eo mortuo in divisione conferre in commune: quia præsumi potest liberaliter factas, vel condonatas, nisi aliunde constet contrarium. *Azor, Villalob. Trul.t.1.l.4. cap.1.d.3.* v.supra *cap.3. dub.2. de donatione,*

*Quares.III.* Qui hæredes succedant ab intestato, aut testamento rupto, vel irrito?

*Resp.* Ante omnes alios patri succedere legitimos liberos, & in demortuorum locum nepotes. 2. Deficientibus descendentibus, patrem & matrem defuncti, & in eorum locum, avos & avias. 3. His quoque deficientibus, fratres, & sorores ex utraq; parte conjuncti; idq; æquis portionibus, exclusis iis qui ex solo patre vel matre conjuncti sunt. 4. Si ex fratribus vel sororibus utrimq; conjunctis, unus mortuus liberos reliquerit: succedūt hi loco parentis sui cū patruis, non in capita, sed in stirpes. Si tamen fratres & sorores utrimq; conjuncti, omnes mortui sunt, tunc corū liberi, exclusis patruis ex una tantū parte cōjunctis, non in stirpes, sed capita; adeoque æquis portionibus

nibus succedunt quia duorum fratrum filii, non suorum parentum loco, sed jure propriæ conjunctionis succedunt. Cum ergo æqualiter juncti sint, æquales etiam in portione hæreditatis esse debent. 5. Deficientibus fratribus & sororibus utrimque conjunctis, eorumque liberis, succedunt frates & sorores, ex una tantum patre conjuncti; hoc tamen discrimine, ut qui ex patre patris sunt juncti, succedant in bona à patre provenientia, in reliquis æqualiter omnes. 6. Si fratres & sorores, eorumque filii deficiant, succedunt propinquiores collaterales, usque ad decimum gradum: & fit talis successio in capita, nulla habita ratione, an ex altera parte, an ex utraque sint conjuncti. 7. In horum defectu, succedit uxor; & denique in illius morte, fiscus secularis, in bonis omnibus laici ab intestato defuncti: fiscus autem Ecclesiasticus in bonis Clerici, *Laym. 6. n. 1, 2, 3, & 4.*

His adde: 1. Quod si uxor, susceptis ex priore marito liberis, ad secundas nuptias transiit, quicquid à priore marito, donatione aut testamento, acquisivit, eiusdem matimonii liberis cedere. Similiter, si maritus alteram uxorem ducat.

Adde 2. Hæredem adeundo hæreditatem, non commoda tantum; & jura, sed etiam debita & onera realia defuncti in se transferre. Interim tamen duplici beneficio gaudere. 1. Ut supra vires hæreditatis non obligetur. 2. Quod deductis expensis funeris, & solutis debitis quartam partem, hæreditatis obtinere debeat hæres, vel hæredes; & si eam non habent, legatis non tamen

pius,

piis,ut notat *Trul.l.7.c.18. d.12.ex authent.* similiter *C. ad leg. falcid.* detrahere possunt beneficio legis Falcid. *Laym.l,3.tract.5. cap.6 n.7. Sanch. lib.4.cap.15.* Ut autem hoc beneficio frui possit hæres, conficere tenetur inventarium, tametsi hanc obligationem testator possit remittere,respectu legatariorum, & fidei commissariorum,quibus ex mera liberalitate aliquid relinquit; non tamen respectu creditorum, quibus præjudicare non potest. Universim enim ab onere inventarii, & à rationibus reddendis, eos, quibus potest relinquere bona, sine onere dandi partem aliis,potest liberare, iisque concedere, ut eorum dictis vel juramento stetur.

*Mol.Card, de Lugo,d.24. s.8.n.236.*

TRACTA-

# TRACTATUS VI.

## *De Præcepto VIII. IX. X. & Præceptis Ecclesiæ.*

### CAP. I.

### *De Præcepto VIII.*

PRohibetur hic omnis injusta læsio famæ & honoris proximi; ac præcipuè omnis falsitas, & mendacium, ac læsio verbalis, quæ fit, tum in judicio falsè accusando vel verum celando, de quo supra; tum etiam extra pernitiosè mentiendo, secreta revelando. de quo *vid. Bonac. de rest. d. 2. q. 2. p. ult. Laym. l. 5. tract 3. p 2. cap. 5.* ac denique detrahendo.

### DUBIUM I.

### *Quid sit suspicio, iudicium temerarium, & dubitatio, ac quale peccatum?*

Suppono hæc tria differre inter se; quòd Judicium sit firma animi sententia, seu assensus indubitatus; Suspicio assensus inchoatus, quo quis inclinat in unam partem, judicans probabiliter, latere aliquod fundamentum opinandi. Dubitatio autem non est affectus, (nisi causaliter) sed quasi suspensio animi, in neutram partem inclinan-

clinando. Quæritur ergo hic, non de suspicione & judicio prudenti, quod sufficientibus indiciis nititur; sed de imprudenti, & temerario, quod iis destituitur. Majora autem indicia requiruntur ad judicium, quàm ad suspicionem; & ad hanc, quàm ad dubitationem.

Resp. I. Judicium temerarium, cum plena advertentia de gravi malo proximi, communiter est mortale, contra justitiam. *Ita Fill. Less. c. 29. l. 1. Laym. l. 3. t. 3. c. 2.* Ratio, quia proximo fit gravis injuria, dum sine causa improbus habetur, cum habeat jus ad bonum nomen & famam: præterquam quod ex his judiciis plerumque gravia mala sequantur. In confessione tamen non opus est explicare speciem mali judicati, cum omnia uni justitiæ commutativæ in specie infima adversentur. *Escob. E. 10, cap. 4. n. 36.*

Dixi, *communiter*: quia si judicium habeat magnam probabilitatem, etsi non omnino sufficientem ad certitudinem erit veniale; quia moralis certitudo, & magna probabilitas non adeò distant, ut censeatur gravis injuria, judicare certum, quod est valdè probabile; verbi g. si judices juvenem solum cum puella inventum in cubiculo, illicita tractasse. Ex quibus resolvitur, peccati tantum venialiter remotè judicando sequentibus casibus. *vid. Tan. 2. 2. d. 4. q. 3. d2.*

I. Si non sit grave malum, quod proximo temerè impingis: & sic eum, qui judicat alium esse spurium, vel filium Judæi, à mortali excusat. *Nav. Azor & Less.* contra *alios* apud *Dian. p. 5. t. 5. R. 69.*

II. Si

II. Si sit grave quidem, sed non perfectè advertas.

III. Si advertas quidem te malè judicare, non tamen advertis signa esse insufficientia, nec de iis dubitas.

IV. Si signa sint sufficientia ad opinionem saltem probabilem.

V. Mortale etiam non est, (per se loquendo) si de indeterminato tantum judices; quia nulli fit gravis injuria *Escob. l. c. ex Fagund.*

Resp. II. Suspicio & Dubitatio temeraria, ex genere suo videntur esse peccata tantum venialia; maximè, si procedant ex errore intellectus, quo judicia ut sufficientia apprehenduntur. *Ita Laym. ex S. Thom. Navar. Molin. Fill. tract. 4. cap. 1. q. 5. Less. l. 2. cap. 29. d. 3. &c.* contra multos, qui putant esse mortale. Ratio est quia communiter suspicio tantum est concitatio quædam ad affectum; manet enim in mente suspicantis aliquo modo bona existimatio proximi: ergo non fit illi gravis injuria, cum non totaliter deturbetur de possessione bonæ famæ, sit tamen aliqua, quia temerè dubitatur.

Dixi, *maximè si ex errore*: quia talis cum non sit per se voluntaria, nec pertinax, meretur excusationem: si verò ex malevolentia in suspicione gravi persistas, erit mortale ut docet *Less. Fill. &c.* ob injuriæ gravitatem. Atque idem est de dubitatione positiva, orta ex malevolentia absque causa; procedit enim ex contemtu alterius, proinde, gravis iniuria reputatur.

*Quæres.* Quomodo discerni possit suspicio à judi-

judicio firmo, quando formido de oppoſito expreſsè non eſt conjuncta?

*Reſp. Cajetanus* cenſet eum judicare, qui rogatus an habeat rem pro certo, reſpondet ſibi certam, aut ferè certam videri: eum verò ſuſpicari, qui reſpondet ſe non eſſe moraliter certum, ſed facilè poſse falli, *v. Bon. de reſt. d. 2. q. 7. p. 1.*

## DUBIUM II.

### *Quid ſit, & quàm grave peccatum Detractio?*

Reſp. Detractio eſt alienæ famæ iniuſta violatio vel denigratio. Differt à Contumelia, quæ eſt iniuſta honoris diminutio, 1. obiecto; quia contumelia honor, detractione autem fama lædi-tur, quæ eſt opinio, ſeu exiſtimatio de alterius excellentia; honor autem eſt teſtificatio alienæ excellentiæ animo conceptæ. 2. Differt, modo: quia contumelia inſtar rapinæ fit apertè, contra præſentem: detractio ut plurimum inſtar furti occultè, & contra abſentem. Unde licet contumelia detractione gravior ſit, eſt tamen detractio peccatum mortale ex genere ſuo; etſi ex parvitate materiæ, aut in deliberatione, fieri poſſit veniale. Ratio, quia eſt gravius furto, quod eſt mortale, cum lædat proximi famam, quæ eſt maius bonum, quàm opes.

Detractio alia eſt directa & formalis, quæ fit ex intentione famam lædendi: alia indirecta, & materialis tantum, quæ fit ex levitate, & loquacitate aliqua. Ex dictis *reſolves*,

I. Regu-

I. Regulariter non mortale; (etsi per accidens, ratione damni sequentis, tale esse possit) revelare naturales defectus animi, corporis, vel naturalium: quia tales non sunt morales; nec infamia apud prudentes reputatur, quòd quis v. g. sit stupidus, spurius, luscus. *Bon. t. 2. d. 2 q. 4 p. 2.*

SI. Plerumque etiam levis detractio habetur, si alium infames generalibus nominibus peccatorum mortalium v. g. esse iracundum, superbum, &c. (etsi aliquando gravis esse possit) quia audientes plerumque interpretantur de naturali propensione, & defectu involuntario; nec oritur grave damnum famæ. *S. Anton. 1. p, t. 8. c. 4. Sylv. dub. 3. n. 18 Lay. l. 3. t. 3. p. 2 c. 9. n. 3.*

III. Similiter non erit mortale communiter, referre peccata morralia, quæ ob conditionem personæ, non notabiliter famam lædant: v. g. si dicas militem habere concubinam, pugnasse in duello, cogitare vindictam, adolescentem esse prodigum, deditum amoribus. &c *Laym. l. 3. t. 3. p. 2. c. 3.*

IV. Fieri tamen potest, ut narrando defectus etiam naturales, spectata conditione & statu illius, graviter noceas, & sic graviter pecces: ut si gravem & optimi nominis Prælatum, aut religiosum, mendaciis assuetum esse, virum gravem ac consularem, illegitimè natum, Judæum, &c. Idem est, etsi de altero nihil in particulari, sed tantùm in genere dicas, v. g. te scire aliquid de illo, quod si dicas, magno illum rubore sit affecturum, *C. Lugo d. 14. n. 49.*

V. Crimen aut defectum alicujus, modò verum, sæpè licet prodere ob justas causas, v. g.

1. Cum

1. Cum expedit superiorem scire suorum defectus, ut emendentur, de quo *v. supra de Gorr. frat.* & sic eos qui crimen occultum filiorum parentibus, vel famulorum heris, in ordine ad correctionem, (cavendo tamen ne ex revelatione majus damnum sequatur) significant, communiter excusari docet, *Trul. l. 7. cap. 7. c. 10. d. 11. ex Bon. &c.* uti & uxorem loquentem cum marito (vel contra) de criminibus occultis filiorum, vel famulorum. 2. Causa consilii, vel auxilii capiendi, in quo tamen videndum, ut cum minimo damno tertii fiat. 3. Causa cavendi alterius damni: ut si alicujus æstimatio falsò concepta de eius doctrina, probitate, est aliis perniciosa. Unde cum agitur de conferendo officio, de contrahendo matrimonio, de suscipienda religione, assumendo medico, præceptore, famulo, famula, &c. licet manifestare (imò aliquando oportet) occulta alterius impedimenta, inhabilitatem; crimina, unde notabile aliquod incommodum meritò timeretur: dummodò nulla alia sit ratio commodior impediendi, & damnum quod proximè timetur, si majus, aut saltem æquale damno, quod ex manifestatione defectus aut criminis alterius, ei obvenerit. *Less. l. 2. c. 11. dc 12.*

VI. Hinc quoque, si quis inustè lædit famam tuam, nec potes eam tueri, nec recuperare alia via, quàm imminuendo quoque famam illius, id licet: dummodò falsa non dicas, in tantum quantum ad tuam famam conservandam necesse est: nec magis lædas, quam lædaris, collata tua & alterius persona, *v. Card. de Lugo n. 50.*

VII. Si

VII. Si quis solatii tantum causa, & non intentione detrahendi. alicui amico narret iniuriam ab alio sibi factam, non videtur esse mortale, etsi inde aliqua infamia proveniat authori: ea enim ipsi imputanda est. Cavendum tamen, ne dicatur pluribus, vel apertius nominetur persona, quàm necesse sit ad consilium vel solatium. *Less. Laym. Tann. 2. 2. q. 8. d. 7. dub. 4. C. Lugo d. 14.* & sic excusari posse famulos (saltem à mortali) qui injurias sibi ab heris suis, uxores, quæ à maritis, filios quæ à patre, Religiosos qui a Prælato, illatas, doloris tantum mitigandi causa, referunt, docet *Trul. l. 7. c. 10. d. 11 ex Less. Laym. Tan. Nav. Dian. p. 2. R. 32.* Idem putat *Caiet.* dicendum, si crimen occultum reveles uni alicui viro prudenti, & taciturno, cui dicere perinde sit ac si nulli diceretur; eò quòd damnum illud censeatur leve, & sic *Trul. l. 7. c. 10. d. 11.* cum *Dian. p. 1. t. 3. m. R. 22. & p. 2. t. 5. m. R. 33.* excusat pœnitentem, qui in confessione manifestat complicem, dicuntque *Tann. Bonac. Escob. & c.* eam sententiam esse probabilem. Quam sententiam probabilem esse ait *Dian.* cum *Tann. l. c. & Bon. Escob. 8. E. 9.* Verum hoc universim non videtur satis tutum, quia læsio famæ, apud unam etiam personam censetur gravis; ut pater in judicio temerario. Imò sæpè quidam ægrius ferunt, se lædi apud unam personam gravem, quàm tres vel quatuor alios. Unde *Suar. Fill. Less. Azor. & Laym.* putant communiter esse mortale, *v. C. Lugo l. c.*

VIII. Crimen simpliciter publicum, sive sit notorium jure, sive facto manifestare iis, qui nescium,

sciunt, non est peccatum mortale injustitiæ: quia hoc ipso auctor amisit jus ad famam, cum ratio justi judicii, & evidentia facti faciat, ne de iniuria juste queri possit. Quod confirmat consuetudo, mandans historiæ publica crimina.

Dixi, *non est mortale iniustitiæ*: quia detegere eo loco, quo fama non erat perlatura, vel non nisi post longum tempus, vel aliter cum gravi mærore eius qui commisit, sæpè potest esse mortale contra charitatem, ut *Less. Vale. Tol. s. c 6. contra Nav. & Cait. v. C. Lugo d. 14. nu. 59. Fagund. p. 2 l. 5. c 3.*

IX. Similiter non est peccatum contra justitiam, saltem mortale, quærere causam captivitatis alicujus, vel de ea loqui, sicut enim captivitas est publica, sic etiam causa videtur esse publica. *Sayr. Bon. Trul. l. 7. c. 10. d. 11.* Ubi eodem modo excusat eum, qui refert delictum alicuius publicum, referendo simul pœnitentiam, & emendationem, secus si taceatur pœnitentia quam fecit: & sic ait peccare historiographos, describendo peccata mortuorum publica, & non referendo pœnitentiam vel emendationem, si resipuerint.

X. Similiter manifestare crimen, quod nondum est publicum, moraliter tamen certum est, brevi fore publicum, (sive per facti evidentiam, sive per sententiam Judicis) non est mortale: quia parum nocet. Nisi tamen ex ista anticipatione, sequerentur gravia damna, v. g. in officio, &c. *C. Lugo l. c. n. 92.*

XI. Infamem in uno crimine, de altero valde affini infamare, est tantum veniale: ut verb. g. si de

de adultero dicas quòd miserit literas amatorias: quia tunc non notabiliter augetur infamia. De disparato tamen, & non connexo crimine infamare, est mortale: quia infamis in uno genere vitii, non amisit jus famæ in aliis virtutibus. *Tand. 4. de iust. q. 8. dub. 7. n. 141. ex Navar. & Less.* contra *Sylv V. detractio. Palud. &c.*

XII. Detractio materialis ex loquacitate orta est mortale, si gravem proximi læsionem importet, idque advertatur: quia etsi non intendatur directè læsio alterius, ea tamen indirectè, & implicitè est volita, & æquivalet formali. Veniale autem tantùm erit, si non sequatur læsio gravis, quia scilicet communiter non seriò accipitur, nec creditur. Simi iter erit veniale tantùm, audita referret, ut audita tantùm, hoc est, nihil affirmando de rei veritate sed dubitationem potius suam de ea significando, ita ut nulla inde secutura putetur infamia nec auditores rationabiliter sint credituri. Ita contra *Azor. p. 3. l. 13. c. 6.* docet *Tann. 2. 2. d. 4. q. 8. dub. 7. num. 139. Escob. E. 10. c. 4. n. 40.* eo quòd diffamatio, si fortè sequatur, imputetur audienti si credat. Idem docet *C. Lugo l. c.* rectè limitans, nisi grave damnum ex modo narrandi, vel ex levitate audientium (qui temerè credituri sint, & vulgaturi) secuturum possis prævidere. Hinc peccas graviter contra justitiam, si referens grave crimen, addas, id tibi dictum esse à viro fide digno: quia præbes sufficiens fundamentum credendi, *Dian. t. 5 m. R. 28.*

XIII. Mortuum infamare, minus grave est quàm vivum: mortale tamen, & ad restitutionem

obligans. *Leſſius lib.2,cap.11.diſt.21. Bonac.d. 2.q.4.p,2.*

XIV. Non eſſe mortale de aliquo ignoto, vel indeterminato malè loqui: v. g. in tali loco eſſe multos improbos, in tali Collegio unum Canonicum commiſiſſe grave crimen, v. g. ſimoniam docet *Eſcob.Ex.10.c 4.ex Fag.* quod *Trul.l.7.c. 10.d.4.ex Bon. Azor &c.* limitat, ſi non ſit tale, quod in alios redundet.

XV. Graviſſimè autem peccant, qui ordini, ſeu ſtatui alicui Religioſorum in communi, vel Monaſterio detrahunt, dicendo v.g. quod in eo malè vivatur, non ſervetur obſervantia regularis, &c. (niſi id planè notorium) quia graviſſimè nocent, tenenturque ſub mortali ad reſtitutionem toti communitati, à qua ſuperioris remiſſio non excuſat, *Sot. Nav. Trul.c.10.d.14.* Talem autem ſufficienter confiteri ſi dicat: detraxi cuidam Religioni, ordini, vel monaſterio, &c. ſive ſit communitas numeroſa, ſive non, docet *Lugo, & Tamb.dexped.conf.l,2.c,1.*

XVI. Similiter mortale eſt tacita perſona nominare monaſterium, vel ordinem religioſum, ex quo aliquis grave peccatum occultum, v.g. adulterii vel fornicationis commiſerit. *Nav. Trul.c. 10.d.14.*

XVII. Explicandum eſt in confeſſione; an apud multos, & quot circiter; an verò apud unum tantum alicui dexeris. Ita probabiliter *Bon.d. ſacr,d.5.q.5.p.2.3.§.diſ.3.n.16.& 21.ex Sanc. Sylv. Adr.num.135.* Sed *c. Lugo d. 16. n.135. 140. & 165.ex Nav. Salas. Côn. &c,* negat, dicitque contrarium

trarium esse probabilius. Nec omittendum, si quem infamaveris libello famoso; cum id sit genus detrahendi gravissimum; & ad plurimos pertinens. Non tamen necessariò dicendum, in quo genere infamaveris: quia fama semper est eiusdem speciei in genere moris. *C. Lugo d. 16. num.* 265.

XVIII. Peccat mortaliter contra justitiam, & tenetur ad restitutionem, ratione cooperationis, is, qui audit detractorem, excitando, vel animando efficaciter; qui verò lætatur tantum detractione audita, aut licet non lætetur, qui non impedit, cum commodè possit, peccat pro ratione damni mortaliter, vel venialiter contra charitatem; non tamen tenetur ad restitutionem, nisi sit superior, pater, vel dominus, is enim ex officio tenetur impedire subditum, ne alteri injustè noceat.

Dixi, *si commodè possit*: quia non peccat, qui putat monitionem suam nihil profuturam; vel ex eò magnum incommodum metuit, vel qui rationabili verecundia prohibetur, ob auctoritatem detrahentis. Debet tamen tunc discedere, si commodè potest, faciē tristiorem ostendere, vel alio sermonem avertere, *v. Less. & Bon. l. c.* Hinc æqualis ratò, (inferior rarissimè) tenetur corrigere detractorem. 1. Quia audiens plerumque nescit, an quod dicitur, sit notorium, tametsi ipse ignoraverit, & in dubio non est, cur damnet detractorem. In quo multi falluntur, existimantes, simul ac aliquid audiunt dici contra proximum, id simul ac aliquid audiunt dici contra proximum, id sibi mox refutandum. 2. Quia cæpta

detractione, sæpe melius consulitur proximo, si sinatur absolvi, quàm si abrumpatur. Nam si distinctè explicetur, sæpe non tam graviter apprehenditur, quàm initio conceptum erat. 3. Quia sæpe sine gravi offensione non potes corrigere. 4. Quia sæpè alter habet justam causam manifestandi, præsertim uni soli, *C. Lugo l. c. num. 128. v. Dixit. 3. m. R. 24 & t. 5. m. 35.*

*Quæres. I.* An liceat alium infamare, ad tormenta gravia vitanda?

*Resp. I.* Licet, si crimen sit verum: quia nullam alteri facit injuriam, cum habeat jus ad illud in necessitate revelandi.

*Resp. II.* Si crimen sit falsum, non licet: quia esset mendacium pernicioſum. *Sylv.* tamen & *Navar.* putant, veniale tantum esse, si sola infamia sequatur, & post tortunam revocetur, eò quòd non sit infamia efficax, *v. infra l. 4. c. 3. d. 7.*

*Quæres, II.* An liceat se ipsum infamare:

*Resp.* Id non esse saltem mortale regulariter. Ita *Less. Fill. & Laym. l. 3. t. 3. p. 2. c. 3. n. 14.* quia non est contra justitiam, cum sit famæ suæ dominus: nec contra charitatem quia hæc non obligat ad bona externa conservanda, nisi in quantum id exigit salus propria, vel proximi.

Dixi, *regulariter*: quia per accidens potest esse mortale ut v. g. si tua fama sit necessaria muneri, vel si tibi damnum vitæ, vel aliis infamiæ, ex eadem sequeretur. *Vnde resolves.*

Non est mortale, ad vitanda gravia tormenta, falsum crimen sibi imponere, ex quo etiam mors sequatur: quia non tenetur homo, cum tantis crucia-

cruciatibus vitam suam tueri : nec talis dicetur se interficere, sed tantum ex justa causa vitam morti exponere, *Less.& Fill. v.infra l.4.cap.3.d.7.*

## DUBIUM III.

### *An, & quomodo Fama restituenda?*

Resp. Nisi sit causa excusans, patet ex natura justitiæ, & ex dictis *de restit.* famam iniustè ablatam restitui debere. Et quidem, si verum crimen quis narravit, debet opinionem conceptam, quantùm potest, apud audientes abolere, dicendo v.g. se male dixisse, iniuriam intulisse, deceptum esse, &c. Vel si hac ratione parum proficiatur eum laudando in aliis rebus, crimen extenuando, honorem eius in re alia procurando, &c. sic enim sensim tantundem fama eius illustrabitur ex una parte, quantum ex altera obscurata fuit. Quòd si autem crimen falsum impegisti, teneris id apertè retractare (adhibito etiam, si opus est, juramento) apud eos, quibus dixisti, & (per se loquendo) ad quos infamia pervenit, sive apud auditores mediatos: ut contra *Less.& Tann.2.2.d.4.q.6.d.6.n.146.* docet *C.Lugo*, quia totum damnum famæ, cuius causa es, teneris reparare.

Licet aliquando sufficiat dicere, te penitus deceptum, rem aliter se habere, male te informatum fuisse, *v.Laym.l.3.t.3.p.2.c.7.Less c.11.d.30.*

Dixi, *per se*: plerumque enim per accidens ab hac obligatione talis excusatur, respectu auditorũ, mediatorũ: tum ob moralem impotentiam, tum quia eo ipso, quod apud immediatos retra-

ctavit, implicitè illis commisit, ut hanc retractionem ipsi indicent aliis, si quibus fortè revelaverint. Idque confirmat praxis Confessariorum, qui tantum obligant, ut retractent apud eos, quibus ipsi revelarunt ℣. *C. Lugo l. c.* Unde resolves.

I. Confessarii est, uti & Concionatorum, benè instruere suos, & monere de restitutione, ac fuga vitii tam communis.

II. Is qui bona fide, vel probabili errore ductus, sine formali mendacio falsum de alio dixit, tenetur (intellecta postea materiali injustitia) ad restitutionem; licet non tam strictè, quàm qui infamavit per injuriam formalem: hic enim tenetur restituere, cum detrimento famæ suæ, etiam etiam æquali, alter non item, sed tantum, quatenus sine suo notabili incommodo potest, *Mol. Less. C. Lugo d. 15. num. 4.* Similiter qui crimen narravit de uno, quod auditores ex errore intellexerunt de alio, licet non ex justitia (siquidem non eius actio, sed error audientium causa fuit damni injusti) tamen ex charitate tenetur ad restitutionem cum possit grave damnum proximi sine suo detrimento præcavere, *Bon. d. 44.*

III. Qui detraxit alteri libello famoso, ut efficax sit restitutio, eam facere contrariis scriptis, vel publica revocatione, *Sayr. Bon. d. 2. de rest. q. 4. p. 9.*

IV. Si ex læsione famæ ortum etiam est alteri damnum fortunarum, ut si privatus est officio, excidit spe divitis matrimonii, amisit dotem, &c. nunc & fama debet restitui, & damnum illud com-

compensari; ad arbitrium prudentum. Et quidem obligatio restitutionis famæ, cum sit purè personalis, non transit ad hæredes: obligatio autem compensationis dicti damni, cum habeat respectum ad bona infamatoris, transit ad hæredes. *Laym.l.c.c.7.n.4.*

*Quæres 1.* Quæ excusent à restitutione famæ?

*Resp.* Patere ex dictis *de rest.l.3.t.9.c.2.* Unde resolves.

I. Excusatus es à famæ restitutione, si planè sis impotens.

II. Si crimen occultum, quod dixisti, vel simile, alia ratione fiat publicum, *C. Lugo d.15.s.3. num.37.*

III. Si fama aliis modis jam recuperata sit, ut infamati purgatione, vitæ probitate, testimonio prudentum, *Less. l.2. c.11.24.* Etsi tunc pro damno, quod secutum est, debeat satisfieri. *C. Lugo. d.15.s.3.*

IV. Si prudenter judicetur, jam dudum rem oblivione deletam. Quo casu maximè prudentia opus est, nam aliquando periculosius est retractare, renovando memoriam, *v. C. Lugo d.15. s.3 n.35.*

V. Si is cui detraxisti, tibi similiter detraxerit, nec velit restituere: quia tunc potes jure compensationis, seu retentionis uti, dummodo infamia illata non redundet in alios. Ita probabiliter, *Tol. Less. Sylv. Mald. Dian. com.2.tr.3. R.30. Mol.* contra *Caiet. Tan. C. Lugo & Nav.*

VI. Si non possis absque periculo vitæ, vel si fama restituenda sit minoris valoris, quàm fama

detractoris. Sic v. g. Prælatus non tenetur restituere ulli homini, si aliter non potest, quam cum amissione famæ suæ: in ultrò majoris momenti; sed sufficit tunc, si infamatū laudet, aut pecunia cōpenset. *v. C. Lugo l. c.*

VII. Si infamatus sponte remiserit, (modo tamen ejus infamia non redundarit in alios, ut familiam, statum) sive expressa, sive tacita sit condonatio: tametsi nihilominus ex charitate damnum resarcire aliquando teneatis, si possis absq; gravi incommodo. *C. Lugo d. 15. s. 3. n. 38.* Imo aliquando etiam sufficit condonatio præsumpta, sive interpretativa voluntas eius, qui potest condonare, si nimirum ille sit ita affectus, ut si rogaretur, facilè condonaret: tunc enim non est invitus, saltem quoad substantiam, etsi fama non restituatur. *v. C. Lugo l. c.*

*Quæres II.* An restitutio famæ licitè condonetur?

*Resp.* Licitè fit in iis casibus, in quibus seipsum licet infamare: in quibus autem, & quàm graviter peccat se infamando, in iisdem & tam graviter peccat condonando *Nav. Trul. l. 7. c. 10. d. 28.* Unde resolves.

1. Condonans famæ restitutionem peccat mortaliter. 1. Si infamia redundet in alios. 2. Si inde sequatur scandalum. 3. Si sit vir valde utilis Reip. & ex infamia fructus impediatur. 4. Si fama sit necessaria ad muneris gubernationem, *Sot. Less Trul. l. c.* qui tamen notant, condonationem semper esse validam, quando fama non redundat in alios; secus quando redundat. Unde parentntes non possunt condonanare, quando redūdat in filios, neq; filii, quando in parentes, *v. Aut. c.*

II. Ex eo verò præcisè, quod infamatus (vel contumelia affectus) conversans cum infamatore, videatur remittere iniuriam, non censetur condonare restitutionem famæ, vel honoris; sicut nec alia debita per familiaritatem. *Navar. c. 18. Trul. 29.*

## CAPVT II.

### *Quid de Præcepto nono, & decimo?*

RESP. Prohibent omnes internas concupiscentias, & delectationes voluntarias illorum operum, quæ præceptis secundæ tabulæ, præsertim sexto & septimo vetantur. Qua de re vide *suprà*, & patebit ex dicendis de peccatis, *infrà lib. 5.*

CAPVT

## CAPVT III.

### *Quid de Præceptis Ecclesiæ?*

Resp. Etsi ea sint plurima; præcipuè tamen toti Christiano populo communia quinque numerantur. Ex quibus hic agendum restat de tertio, quia de 1. & 2. actum est *in præcepto* 3. *Decal.* de 4. & 5. infrà *l.* 6. *de Sacrament.*

## DVBIVM I.

### *Quid requiratur ad jejunium Ecclesiasticum, & quanta eius obligatio?*

Resp. Ieiunium ex præcepto Ecclesiæ, obligante sub mortali, requirit tres conditiones. *Lay l.* 4. *t.* 8. *c.* 1. *n.* 13.

I. Est unica tantum comestio de die, in ordine ad nutritionem. Quæ ita necessaria est conditio, ut secunda comestione pecces mortaliter; reliquis autem supra secundam, summum venialiter tantum. *Lay. c.* 1. *n.* 12. 13.

II. Est abstinentia ab esu carnium, itemque ovorum, & lacticiniorum; eò quòd ex carne originem trahant, multumque nutriant. Unde intra quadragesimam jure communi prohibentur, extra eam permittuntur. Imò intra eam, quibusdam locis consuetudo permittit, quæ ubiquæ notanda est. *Bonac. d. ult. q.* 1. *p.* 2. *ex Sylv. Nav. Less. Azor. Laym. l. c. Fill. Fagund. p.* 4. *l.* 1. *c.* 2. Adde, dispensatum quoad carnes etiam lacticiniis & ovis vesci posse; non tamen vice versa: & cui est permissus esus carnium, etiam secunda refectio permissa videtur, ut contra *Regin. Less. Nav. &c.* probabiliter *Azor l.* 7. *c.* 10. *q.* 3. *Fill. t.* 27. *cap.* 3. *q.* 4. *Tol. &c.* Confirmatque *Bon. l. c.* si esus carnium sit permissus, ob debilitatem naturæ, & non propter nauseam, vel damnum tantum, *iv. Less. Fill. Azor. &c.* Ratio, quia de essentia jejunii est abstinentia à carnibus.

III. Conditio est certa hora refectionis: quæ est

circa meridiem, nisi aliud loci consuetudo ferat. Idque non mathematicè computandum, sed moraliter. Dictam autem horam notabiliter, sine justa causa, prævenire, mortale putat *Navar.* & quidam alii, sed probabilius docent esse veniale *Tol.* & *Fill.* eò quòd non violetur substantia, sed tantum circumstantia. *Tol. Less. d. 2. n. 13. vid. Laym. c. 2. n. 10 & seq.*

Dixi, *notabiliter*, & *sine causa*: quia prævenire ex justa causa, v. g. si iter faciendum, si hospites dimittendi, &c. & absque ea, per mediam horam tantum, nullum peccatum videtur esse. Dilatio in vesperam, & licita est, & laudabilis, si nihil ante sumas. *Ex dictis resolves.*

I. Non solvitur jejunium per divisionem prandii, ob negotium incidens, vel si quid sumatur per modum medicinæ, vel ob debilitatem, aliamve causam rationabilem, uti apud religiosos faciunt ministri, & lectores mensæ: quia non nisi unicam refectionem intendunt. Et hinc *Sanch. to. 2. opus. l. 5 c. 1. dub. 24. Escob. t. 1. E. 7. c. 3. num. 29.* excusant famulos mensæ ministrantes, si aliquid prægustent aut ex reliquiis gulosè sumant, tum ut melius serviant, tum ut famem sublevent: (intelige, si cum illorum refectione licita moraliter uniatur:) Nec solvitur per sumptionem electuariorum, vel crebriorē haustum (ante quem modicum sumere, ne potus noceat. permittit, *Azor. t. 1. L. 7. c. 3. num* 38. & quidem toties, quoties, biberit, dummodo non in fraudem jejunii, v. g. 5 vel 6. amygdalas, vel quid simile, *Regin.* &c. cum *Dian p. 1. t. 9. R. 24.* quia ordinantur potius ad alteratio-

terationem corporis, vel digestionem ciborum, quam nutritionem.

Excipe tamen: 1. Si quis sumeret lac, jusculum, & similia, quæ sive sorbeantur, sive comedantur, non habent rationem potus, sed cibi, ac principaliter referuntur ad nutriendum. 2. Si quis poma, pira vel etiam uvas in magna quantitate sumeret, quia habent rationem cibi. *Dicast. & alii* 6. cum *Dian. p. 9. t 6. R.* 14. 3. Nisi quis in magna quantitate electuaria, in fraudem jejunii, sumeret. Qui verò in potu valde excederet, contra temperantiam quidem, non tamen contra jejunium, peccaret, saltem mortaliter. *Laym. l. c. num. 7.*

II. Jejunium non solvitur per collatiunculam vespertinam, etsi hoc non ad somnum, sed nutritionem ordinetur: quia consuetudo permittit. Addo, *vespertinam*: quia sine causa non licet illam sumere manè vel meridie: ex justa tamen causa licet utrumque ut si fiat ratione debilitatis negotiorum, studiorum: sine ea, erit veniale tandum cum non violetur substantia jejunii.

Quoad eius quantitatem, communiter desinatur quarta vel quinta pars integræ cænæ, contra *Dian. l. p. t. 4. R.* 117. *Turr &c.* docet *Regin. c. 2. l. 6. nu.* 185, *Laym c. 1. n. 9. Fill. tom. 2. t. 27. p. c. 22. q. 7. num.* 33. dicens, ita decisum esse in celebri academia Theologorum qui omnes in quartam partem consenserint. Idem probat *Escob. t. 1. E. 13. c. 3. num.* 61, si quidem cœna ordinaria duarum librarum

brarum pondus non excedat, quia talis in reliquis præceptis modica censetur, ac proinde tantò quis magis minusve peccat, quanto magis vel minus transgreditur. Adde, quibusdam locis ex consuetudine plus permitti secularibus, quàm religiosis; nobilibus, quàm plebeis, & in frigidis regionibus, quàm in aliis, ut notat *Laym.l.4.t.8.c.* & *Bon l.c.* Plus item quibusdam locis in vigilia Nativitatis Domini (& alibi in cæna Domini) permitti ex consuetudine, dicit *Medin. Caiet.n.* 34. & *Sanch.in opusc: Esc.t.1.E.7. c.3.* quod *Bon.* non improbat, ubi ea consuetudo est recepta.

Quoad qualitatem, in ea prohibentur cibi ad nutritionem communiter ordinati, quique inter fercula ferè apponuntur. Permittuntur autem leviores, ut fructus, aliavè ex saccharo, & melle confecta, & pro more regionis parum butyri & casei, ut in regionibus Septentrionalibus ob fructuum inopiam, *Laym.l.c.n.9.*

III. In confessione non sufficit dicere, non servavi, aut fregi jeiunium; sed addendum, utrum refectione multiplici, an esu carnium. Etsi hoc, utrum semel, an sæpius quantitatem notabilem sumpserit: quia probabile satis est, etiam in hac materia, parvitatem à mortali excusare, ut docet *Bon.tom.2.d.ult.q.1.p.2.* & *Tan.tom.3.d.3.q.3.* *d.5.* v.g. si coquus, aut ægroti minister, parum carnis prægustent, *Escob.l.c.n.54. Sanch in opusc. tom.2.l.5.c.1.dub.12.n.10.* vel ex aliis cibis quartam tantum partem collationis serotinæ, sive unam vel duas uncias sumat, hanc enim esse materiam parvam, cum *Turrian.* & *Leon.* docet *Dia.*

*p.5.t.5.*

*p.5 t.5.R.11.& p.8.t.7.R 54.* esse probabile. Si autem sæpius eodem die parum sumeret, peccaret graviter quia materiæ illæ coalescerent in unam magnam, ut contra *Salas* docet *Dian. p.3.t.6.R.* 43. Denique si sit in quadragesima, utrum fregeris esu ovorum, lacticiniorum. Tametsi enim *Dian t.9.R.45.& tom.6.miscel,R.*80. citans multos Doctores dicat certum esse, quod sit mortale, si non ex jure positivo, saltem ex consuetudine, in omnibus ferè mundi partibus recepta, vesci ovis & lacticiniis in Quadragesima: probabile tamen est, & tutum (saltem in his Germaniæ partibus) esse tantum veniale, *Laym c.1.n.3. Fagund.l.c.cap.2.&c.* Tum quia, licet consuetudo habeat, ea tamen non semper sub peccato, præsertim mortali, obligat, *v. Fill.t.27.c.3. Bon.n.2.* Tum quia Ecclesia non tam graviter ad hoc obligat; ut patet tum ex verbis ipsis, tum ex faciliore dispensatione in his, quam in carnibus. Ob quam causam etiam, laridi & adipis usum, facilius concedi posse pauperibus, docet *Laym.l.4. t.8.c.1.n.5.* Imo ait; nec divitem propter eum usum, continuo damnandum esse peccati mortalis, præsertim cum *Sylv.V. Ieiunium*, & alii dicant, eum, cui ovorum & lacticiniorum usus permissus est, etiam laridi, & sagiminis permissum videri: idque non improbet *Azor.l.7.c.10. q.ult.v.Lay. hic Fagund.p.4.l.1.c.2.nu.20.* ubi dicit, pinguedinem inter carnes non computari. *v. Dian.p.1.t. 9.R.21.* Verum in his videndum ubique, quid recepta piorum consuetudo ferat, à qua non temere recedendum. *Azor,l.7.c.10 q.ult,*

Dixi:

Dixi: *si sit in quadragesima*, quia extra eam licitè vescitur ovis, qui debet jejunare, v.g. ob Jubilæum, *Henr.* &c. vel ex pœnitentia sacramentali, *Fagund.* vel ex voto, aut in Vigilia. *v. Dian. p. 1. t. 9. R. 5. & 6.*

## DUBIUM II.

### *Quæ causæ excusent à Jejunio.*

Resp. Hæ sequentes 1. Superioris dispensatio: quia tamen non est opus, si necessitas sit evidens, sed in dubio tantum: idque sive ad esum carnium, sive ad secundam refectionem. Talis autem superior, est Episcopus & Parochus, etiam præsente Episcopo. quando legitima consuetudo sic habet. Imò *Sylv. & Sanch. de matr. lib. 8. d. 9. num. 27. & in opusc. t. 2. l. 5. cap. 1. dub. 5. n.* 18. absolutè affirmat posse dispensare præsente Episcopo: quia, inquit, ad Episcopum non recurritur in minimis, ut usus habet, quod Episcopi sciunt, & non contradicunt. Verum id totum pendet ab usu & consuetudine, sine qua non licebit. *v. Trul. l. 3. c. 2. d. 7.* Item Prælatus (& in eius absentia. Vicarius illius, ut habet *Sanch. l. c.*) respectu suorum religiosorum: non tamen Confessarius, licet privilegiatus, si non sit Parochus: quia non habet jurisdictionem in foro extremo, Sanch. l. c. contra *Palatium.* Unde tantum potest judicare de justitia causæ. Causa autem valida ad dispensandum, erit vel vera, vel quæ talis putatur: sufficit enim credulitas inculpata. Item, cum quis bona fide

fide putat se à jejunio excusari, etsi causa insufficiens sit, tantùm venialiter peccare, docet *Cajet.* Atsi verè bona fide putet, se plane excusari, nullo modo peccare videtur.

II. Causa est impotentia, qua excusantur, qui sine notabili damno non possunt jejunare: ut sunt juniores, usque ad annum 21. completum; quibus tamen post 7. annũ carnes dari non debent. Item debiles; infirmi, convalescentes, prægnantes lactantes &c. Ratio, quia hi omnes egent alimento multiplicato: uti & senes communiter sexagenarii, nisi evidenter constet, posse jejunare sine damno. In dubio autem an possint, non tenentur cum periculo tentare fortunam, quia cum de ætate constet, & robur sit dubium, non est expectandum, donec deficiat, tunc enim irrecuperabilis est defectus, *Gran. 1. 2. d. 6 t. 3. p. 1. dub. 6. s. 5. num. 39. Escob. Lay. l. 4. tr. 8. c. 3. Tan. 2. 2. d. 3. q. 3. dub. 5. Fill. tom. 2. t. 27. p. 2. cap. 6. & ceteri communiter* contra *Nav. Sa, Sanch. de matr. to. 2. l. 7. d. 32. num. 37. & parte 2. Consil. l. 5. cap. 1. d. 4 n. 7.* item *Dian. p. 1. t. 9. R. 20. &c.* qui absolute, sine omni restrictione, sexagenarios omnes à jejunio liberant. Quam sententiam *Trull.* tanquam communiorem, & magis conformem tempori, & imbecillitati humanæ, ut ait, sequitur (cum *Molf. Ortiz &c.*) *l. 3. c. 2 d. 7 n. 3.* præsertim cum scrupulis, quibus exponit contraria, liberet. Quidam insuper id extendunt ad eos, qui pro toto vitæ tempore certis diebus voverunt jejunium, addunt que esse probabile, quod sufficiat si annº 60. sit inchoatus; eò quòd is in favorabilibus habeatur pro comple-

completo. *Dian. p. 5 t. 14. R 83. ex Naldo & Sanch.* Item *p. 9. t. 7. R. 73. ex Trul. & aliis* 6. Eadem, quæ ætate (uti & ante annum 21.) Regulares non teneri ad jejunia sui ordinis, probabile affirmat *Dian. p. 9 t. 73. ex aliis* 4. qui etiam probabile censet excusari fœminas quinquagenarias. *p. 9. t. 7. R. 73. ex alii* 4. Denique pauperes, qui non habent alium cibum præter prohibitum; vel non sufficientem pro unica refectione, *v. Sanch. in opus.* ubi ex *Navar. Gabr. Angl.* excusat eos, qui laborant tertiana, vel quartana; item qui ex vacuitate stomachi, notabilem capitis dolorem, vel vertiginem patiuntur, vel tota nocte calefieri, aut dormire non possunt. Neque hos teneri manè sumere collatiunculam, & vesperi cænam, notat *Dian. p. 1. t. 9. R. 51. ex Fill. & aliis*; quia nemo tenetur pervertere ordinem refectionum.

III. Causa est labor, vel officium, cum quo jejunium non possit consistere; qualis est agricolarum, & multorum opificum, ut fabrorum, pistorũ sutorum, &c. (etsi de sutoribus neget *Angles*: cujus sententiam *Sanch.* dicit esse veram, si non suant, sed tantum scindant corium, & materiam præparent:) non tamen pictorum, sartorum, quorum labor exiguus est. Excusat etiam *Lay. l. 4. t. 8. c. 3.* figulos, argentarios, ferrarios, lignarios, fullones, cæmentarios, coriarios, & textores, *Dian. p. 4. t. 4. R. 138. & Gordonus tom. 2. l. 6. q. 18. c. 6.* versantes prælum typographicum; non tamen typorum compositores, fossores autem, ferrarios, & similes, etiam die uno, vel altero, quo non laborant, excusat Azor, &c, cum *Dian. p. 1. t. 9.*

*t.9.R.9.* Similiter excuſatur,qui pedibus facit iter per magnam diei partem,ut ait *Sanch. in opuſ. l.c. v.Fill. n.119.* Ratio horum omnium eſt , quia communiter horum vires non ſufficiunt ad huiusmodi labores cum jeiunio.

Dixi, *pedibus :* quia abſolutè non excuſantur equites, longa tamen equitatio ad plures dies, ut docet *Fill.t.37.c.6.* meritò excuſat. Ubi etiam concedit,ob labores præcedentes; & ſubſequentes, poſſe aliquem excuſari , ſi probabiliter debilitatus , vel debilitandus putetur,ita ut officio ritè fungi nequeat. *vid.Bon.d.ult.q.4.num.11.* Ex eodem capite Doct. excuſant conjugem , ſi debitum reddere non poſſit , quando jejunat, uti & uxorem,quæ ob maciem,non poſſit cum jejunio ſe viro gratam præſtare. *Bon.l.c.* Atque univerſim loquendo, nemo tenetur opus , ad quod obligatur , omittere ob præceptum jeiunii , ait *Cajetan.* Quod intelligo, niſi iſta obligatio ſit valdè levis , & rationabiliter poſtponenda obligationi jeiunii.

IV. Eſt pietas, vel maius bonum. Unde excuſantur, qui cum jejunio non poſſunt vacare operibus melioribus,v.g. Concionatores, Præceptores ordinarii , Confeſſarii, Cantores , & quotquot opera charitatis,& miſericordiæ, tam corporalia,quam ſpiritualia , exercent , etiam ob mercedem , ſi ea cum jejunio peragere non poſſunt. *Fill.tom.2.t.27.p.2.c.6. num.24. Azor. p.1.l.7.c.28. Fern. Nav. Sylv. Fagund. &c.* Atque hi quidem omnes intelligunt , & ferè addunt , quando eorum labores cum jeiunio non poſſunt

possunt consistere. *Diana* autem (absolutè loquendo) *p.1.c.9.R.9.* Prædicatores, qui diebus quadragesimalibus, (intelligo omnibus) concionantur, putat à jejunio excusandos: quia, inquit, summopere laborant: non item eos, qui Dominicis tantum concionantur, nisi sint debiles, *Sanc.* tamen *in consil.p.2.l.5.c.1.d.13.n.6.7.& 8.& Trul. l.3.c.1.c.2.d.7.* putat à jejunio quadragesimæ communiter, & regulariter excusari eos, qui ter vel quater in hebdomade concionantur, cum fervore. De Lectoribus verò *Dian.l.c.* cum *Fagund.p.4. l.1.c.8.n.19.* censet, non omnes excusandos, sed eos tantum, quorum labor est improbus; vel qui ita sunt debiles, ut satisfacere non possint. Idem ferè sentit *Sanch.* licet *l.c.* putet, Lectores eos, qui quotidie quatuor lectiones legunt, (ut in societate faciunt præceptores grammaticæ,) satisfacere, si media quadragesima, sive ter in hebdomade jeiunent; eo quod sit magnus labor; & paucis annis sic fatigãtur, ut progredi non possint. Sic ille V. erùm præstat, ut superiores, ad tollendum scrupulum, cum talibus dispensent, (ut monet idem *Sanch. l. c.*) nam in omnibus istis, regula certa & universalis statui non potest alia, quàm quod lex Ecclesiæ non obliget, cum magna difficultate, ut notat, *Laym. c.3. n.3.*

V. Charitas, vel etiam urbanitas secundum quosdam excusat etiam à veniali eum, qui die jeiunii rogatus ab amico, modicum cibi sumit, *Medi. Fagund. Fil. Dian.p.1.t.9.R.29.* vel qui ad excitandum infirmorum appetitum, comedit panem; etiam carnis *Nav. Sanc. Dia.p.5.t.R.32.*

LIBER

# LIBER IV.

## *De Præceptis particularibus certo hominum statui propriis.*

CUM omnes fideles sicut præcepta Decalogi, ita etiam alia præcepta, quæ pertinent ad statum, & officium uniuscuiusque, teneantur scire sub peccato mortali, ita ut ipsa eorum ignorantia vincibi is, (licet non sequatur transgressio) sit peccatum mortale: *Sylv. Sayr. Sanch. Bald. t. 2. l. 1. d. 9. n. 8. & 9.* hinc post præcepta omnibus communia, agendum de præceptis propriis certorum statuum in particulari.

## CAP. I.

## *De Statu Religioso.*

### DUBIUM I.

### *Quæ sit natura Status Religiosi?*

RESP. Status Religionis est fidelium, ad divinæ charitatis perfectionem tendentium, editis votis perpetuæ paupertatis, castitatis, & obedientiæ, stabilis in communi vivendi modus, ab Ecclesia approbatus.

Dico,

Dico, *ab Ecclesia*: etsi olim Episcopi Religiones approbare poterant: postea tamen in Concilio Lateranensi, sub Innocentio III. statutum est, ne nova religio inducatur, nisi approbata à Papa. Ratio est, quia cum religio sit communitas sacra, in qua debet esse spiritualis jurisdictio, hæc autem à Papa proveniat, decens est, ut talis communitas ab eodem approbetur. *Laym. l. 4. c. 1.* Unde resolvuntur hi Casus.

I. Ad essentiam religionis non requiruntur vota solemnia. Ratio, quia qui in Societate Iesu vota simplicia edunt sunt veri religiosi, uti definit Gregorius XIII. in bulla *Ascendente Domino*. *Laym. l. c. n. 4.*

II. Non sunt religiosi, ii ordines militares, qui conjugalem castitatem tantum vovent. Sunt tamen verè religiosi, milites S. Ioannis, & Teutonici, eorumque similes, cum tria vota substantialia habeant. Similiter ex fratribus, & sororibus tertiariis, sive Ordinis S. Francisci, sive aliorum, tantum sunt religiosi, qui in religione approbata, secundum certam regulam, tria vota substantialia emittunt. Contra autem ii non sunt, qui licet tria ista emittant, & communiter vel seorsim habitant, regulam tamen à Sede Apostolica approbatam non profitentur, *Laym. l. c.*

III. Religiosi non sunt, qui edito voto perpetuæ paupertatis & castitatis, obedientiam vovent Confessario, aut Episcopo. Ratio, quia tali voto non subiiciuntur jurisdictioni spirituali, quæ à Deo, medio eius vicario; provenire debet. *Ibid. num. 7.*

VI Etsi

IV. Etsi Papa in votis solemnibus religionis dispensare possit, ut quis desinat esse religiosus; non potest dispensare tamen, ut quis manens religiosus, substantialibus votis non teneatur: quia ad essentiam religionis illa spectant. *Laym. l. c. n. 8. ex Nav. &c.*

V. Religiosus promotus ad Cardinalatum, vel Episcopatum, obstrictus manet votis essentialibus suæ religionis: etsi quoad aliquos effectus paupertatis & obedientiæ, exemptus censeatur. Deinde, etsi jugo regulæ absolutus sit, quoad culpam vel pœnam; tamen ex obligatione moralis honestatis, ex ea servare debet, quæ eum decent, & cum eius munere consistunt. Hinc quoad habitum, sui ordinis colorem deferre debet; etsi quoad figuram Episcopis secularibus se conformare possit, ut Clemens VIII. concessit apud *Sanch. 6. mor. c. 6.* Imò, si Episcopatum resignet, vel ob culpam deponatur, absque degradatione; tamen non tenetur ad regularem observantiam redire: quia retinet eminentiam Episcopalem, ob quam obedientia regulari exemptus fuit. *Ibid. ex S. Tho. Rodiq. Sanch. &c.* Secus est in cardinali religioso, qui non est Episcopus; hic enim relicto Cardinalatu, nihil retinet ex dignitate Cardinalitia; ideoq; si Papa eius renunciationem acceptarit, tenetur redire ad obedientiam regularem sui ordinis. *Palaus, de Lugo Resp. moral. l. 5. d. 12.*

VI. Religiosus ad Parochiam promotus, cum votis astrictus maneat, tenetur deferre habitum religionis, regulamque observare in omnibus,

quæ

quæ cum suo munere consistere possunt. Idque non tantum secundum moralem honestatem, sed sub obligatione gravis culpæ, si ad eam regula obliget. *Ita Laym. l. 4. t. 5. c. 1. n. 11. & 12.* Ubi addit, quod etsi Parochus religiosus in iis, quæ ad regulam spectant, subjectus maneat superiori, jam tamen consuetudine multis locis observari, ut non tantùm in pertinentibus ad disciplinam Ecclesiasticam, sed etiam in plerisque aliis, ab obedientia Prælati eximatur, & Episcopo subjiciatur. *v. Sylv. Sanch. l. 6. mor. c. 6. n. 36.*

## DUBIUM II.

### *Quæ requirantur ad valorem professionis religiosæ?*

Resp. Ad valorem eius, tres requiruntur conditiones. 1. Est qualitas, seu aptitudo voventis, scilicet, ut juxta *Trid. sess. 35. c. 15. de Regularibus*, decimum sextum ætatis annum expleverit, annumque integrum, cum religioso habitu, steterit in probatione, nullumque habeat impedimentum, quod per statuta à Pontifice confirmata, in isto ordine substantiale esse censeatur. *Azor. tom. 1. l. 12. c. 2. q. 6. & 7. Rodriz. tom. 2. c. 6.*

II. Conditio, Consensus & acceptatio expressa, vel tacita Prælati ordinis: per hanc enim religioni incorporari debet. Idque ordinariè, non tantum cum consilio, sed etiam cum consensu Capituli, aut certè majoris, aut principalioris partis;

partis; secundum cuiuscunque ordinis statura, *Navar. Less. c. 41. d. 7.*

III Ut professio sponte facta sit, non cogente gravi metu, qualis esset incarceratio, alimentorum subtractio, eo quod in professionem consentire noluerit. Itemque metus reverentialis, non quidem se solo, se accedente precum, blanditiarum, & imperii, sæpius repetita importunitate, aut gravi offensione, aut diu continuata indignatione consanguineorum; adjunctis etiam minis de subsidiis negandis, si ex religione egrediatur: hæc enim vel singula, vel certè simul juncta, considerata conditione hominis rudis, timidi, &c. metum justum incutere possunt, & professionem irritare, ut docet *Laym. cum aliis lib. 4. tract. 5. cap. 5. Less. lib. 2. cap. 43. dub. 7.* Unde resolvuntur sequentes Casus.

I. Is qui professionem irritam edidit, ex defectu alicuius conditionis ex jam dictis, nisi eam postmodum tacitè, vel expressè ratificaverit, egredi, religione, & uxorem ducere potest: licet ob evitationem scandali, causam egressus dicere debeat: & si ad forum externum causa deveniat, defectum professionis probare; idque intra quinquennium à die professionis, post illud enim non auditur juxta *Trident. cap. 19. sess. eadem.* quia præsumitur eam interea ratificasse.

II. Quod si tamen sciret, illam iuris præsumptionem falsam esse, eo quod vel ignorans impedimentum vel metu gravi, aliave iusta causa impeditus, reclamare intra quinquennium non potuerit; vel impedimentum sit essentiale, ac perpetuum,

petuum, aut saltem ultra quinquennium duret, eo elapso potest reclamare, debetque audiri in judicio, saltem extraordinario, vel in integrũ restitui, ut contra *Bon. de claus. d. 4. q 2. p. 10.* docet *Nav. Sanch. d. 37. nũ. 22. Less. lib. 2. cap 41 d. 7. Azor. lib. 12. cap. 4. q. ult. Dian p. 3. t. 2. R. 53. Barbosa in Trident sess. 25 c. 19. num. 8.* ubi plures allios citat: & nisi aliud quid impediat, fugere potest, ut docet *Laym.* Qui addit, quod si fuga sine gravi scandalo vel incommodo tentari non possit, monendum à confessario, ut professionem tacitè ratificet: quod fiet, si professorum habitum proprium deferat actusque iis proprios exerceat, cum intentione, quod professus talis ordinis esse velit, *vid. Aut. cit. & Dian p. 8. t. 7. R. 51.* ubi ex *Trid. sess. 25. cap. 19.* probat, Episcopum de nullitate professionis, sive interventione superioris regularis sententiam ferre non posse, & si faciat, fore nullam.

## DUBIUM III.

### *Ad quid teneatur Religiosus vi suæ professionis?*

Resp. Religiosus vi suæ professionis tenetur ad progrediendum aliquo modo in via perfectionis. Qua ex vi professionis tenetur velle servare suum statum, qui est perfectionis, sive tendentium ad perfectionem; (licet secundùm se non sit præcepti, sed consilii) hoc autem est intrinsecè velle tendere ad perfectionem, *S. Thom. 2. 2.*

2. q. 186. a. 1. & 2. & q. 184. a. 5. Laym. l. 4. t. 5. c. 1. num. 1. Suar. de relig. tom. 4. l. 1. c. 4. Bardi. de consc. d. 7. c. 6. §. 5. Unde resolves.

I. Religiosus non tenetur esse perfectus, sed tantum studere perfectioni, *Bardi. & c. l. c.*

II. Tenetur tendere ad perfectionem, 1. Per media essentialia. 2. Per vota. 3. Per auxilia secundaria non contemnendo ea, *Laym. l. c. c. 9. num. 13.* 4. Tenetur aliquibus mediis uti, & si omnia media abjiciat, non est in statu salutis, *Sua. Laym l. c.* dicens: si nullum perfectionis studium adhibeat, sed omnia monita & regulas negligat, eò quod sub mortali non obligent, peccare mortaliter. 5. Tenetur ad aliqua opera bona supererogatoria, sive specialiter non præcepta, nec promissa: quia alias moraliter loquendo, non potest habere debitam intentionem salutis, *Suar l. c.*

III. Tenetur tendere ad perfectionem per media suæ religionis, (non per alia) hoc est servando suas regulas *Sanch. l. 6. c. 5 num. 1. & 2.* Hinc peccat 1. per contemtum regulæ, hoc est; si nolit subjici. *Ib. n. 6.* 2. si tantum velit servare, quæ sub mortali obligant, quia contemnit perfectionem. *Ibid. n. 7.* 3. per actum directè contrarium hoc est, nolendo perfectionem: quod esse mortale docet *Sanch n. 10. Pellizor & Bardi. l. c.*

IV. Si quis non tantum intendat non esse sollicitus in observatione regulæ, sed etiam nunquam servare, etiam si facilè possit, est mortale, vel proxima dispositio ad illud, vixque potest fieri sine contemptu formali. *Suar l. c. n. 24.*

V. Si ex remissione animi, & sine ullo justo titulo,

per directam intentionem, velit aliquam regulam non servare, erit saltem levis contemptus, & peccatum veniale *Suar. l. c.*

VI. Frequenter, & ex consuetudine violare regulam, esse mortale; dicit *Sanch. l. 6. mor. c. 4. n. 18. & 20.* Tum quia perturbat religiosam disciplinam: tum quia secundum quosdam est contemptus interpretativus, vel saltem probabilissimum eius periculum: tenetur autem sub mortali ita vivere, ut non sit graviter pernicios Religioni, inducendo alios malo exemplo ad regulæ laxitatem. *Sanch. Laym. l. 4. s. 5. cap. 9.* tum quia constituit se in eo statu, ut tanquam incorrigibilis sit expellendus; tenetur autem quisque ratione votorum, quibus se Religioni addixit, ita se gerere, ut sit tolerabilis & non mereatur expelli: at qui nullum conatum perfectionis adhibendo, regulas sine discrimine tansgreditur, reddit se intolerabilem, ut debeat expelli, aut si toleretur plurimum nocet, ergo per accidens, & indirectè agit contra professionem, peccatque mortaliter. *Sanch. c. 4. num. 18. vid. Aut. cit.*

VII. Religiosus Societatis Jesu peccat mortaliter, si non adhibet diligentiam in cavendis defectibus, ob quos se dimittendum, vel ejiciendum prævidet: & licet ita dimissus ob fraudem, vel peccata in eum finem commissa irrita est dimissio utpote obtenta per dolum dantem ipsi causam; (sicut in matrimonio, & ceteris contractibus) unde subjacet pœnis apostatarum. *Bon. de claus. q. 2. p. 2. §. 1.*

VIII. Scho-

VIII. Scholasticus societatis Jesu, qui, pravis moribus, de industria dimissionem extorsit, vel falsis allegationibus impetravit, non est liber à votis, *Less. l. 2. c. 40. d. 15. Sanch. l. 6. c. 9. n. 99. Laym. l. 5. t. 5. c. 9. n. 13.*

## DUBIUM IV.

### *Ad quid religiosus obligetur vi votorum?*

Resp. I. Religiosus ex voto paupertatis obligatur, ut nihil habeat proprium. Nomine proprii autem intelliguntur bona temporalia pretio æstimabilia, quorum dominium, vel certè facultatem disponendi liberam, & independentem, in perpetuum abdicavit, Constat *ex capite. Non dicatis, 12. q. 1. c. Monachi.*

Dicitur I. *Bona temporalia:* quia retinet religiosus dominium spiritualium, honoris, famæ, & similium. Item jus eligendi, præsentandi, conferendi regulare beneficium, &c. *S. Thom. 2. 2. q. 186. a. 7. Sanch. l. 7. ca. 18. Less. l. 2. c. 4. d. 5. Laym. l. 4. t. 5. c. 7.*

Dicitur II. *Dominium vel facultatem disponendi*, propter religiosos Societatis Iesu, qui post emissa vota, retinent, & acquirere possunt dominium radicale bonorum temporalium, non tamē habent jus actuale, de iis pro suo arbitrio disponendi, vel utendi; in cujus abdicatione, essen-

tia religiosæ paupertatis consistit. *Sanch. Laym. l. c. n* 3.

Dicitur III. *Independenter:* quia religiosus, etiam professus, potest habere peculium dependens, & revocabile ad nutum superioris, quod nomine proprii non comprehenditur, *Laym. c. 7. n.* 12. Unde sequentes Casus resolvuntur.

I. Non repugnat voto paupertatis, quod Religiosi habeant bona in communi, etiam immobilia. Imo, sine consensu Papæ, non possunt se obligare communitati, quod ea nunquam sint acquisituri; quia præjudicarent immunitati Ecclesiasticæ, *Lugo Resp. mor. l.* 3. *d.* 8. Neque possunt fructus seu reditus à donatore destinatos ad ea emenda, applicare ad usus alios, v. g. solvenda debita, &c *vid d.* 10.

II. Non repugnat paupertati, si religioso detur villa, vel alius locus administrandus nomine monasterii, idque in monasterii commodum. Imò nec repugnat, si detur in commodum, vel incommodum ipsiusmet religiosi, aliquod Ecclesiasticum Beneficium. Quo casu competit ei administratio redituum, quos ad sui sustentationem, piasque causas applicare potest, juxta Canonum concessionem: quod reliquum est, pertinet ad Ecclesiam, vel Beneficium cui servivit: ac consequenter donationes de reditibus beneficii factæ ab eo in usus non pios, invalidæ sunt, & contra justitiam, neque accipientes possunt tuta conscientia retinere. *Suar to.* 4. *de rel. l.* 5. *Moli, d.* 276. *&c. communiter.* Ratio, quia non habent dominium dictorum redituum. *Lugo de iust to.* 1. *d.* 4. *s.*

*d.* 4. *s.* 1. Nihilominus *Wadin.* apud *Dian. p.* 8. *t.* 6. *R.* 133. probabile censet, quod etsi illicitæ; validæ tamen sint istæ donationes: idemque multo magis de donationibus Episcoporum regularium censet cum eodem, *Dian. l. c. R.* 132. *&c.* contra *Sanch Suar. &c.* Ad monasterium verò omnia alia, quæ aliunde, quam ex Beneficio acquiruntur, nisi ex consuetudine cedant Ecclesiæ, *Nav. Azor. to.* 1. *l.* 12. *c.* 10. *q.* 6. *&* 7. *Mol. Lay. l. c. v. Trid. sess.* 25. *c.* 2. *d. Regul.*

III. Non tantum jure antiquo, sed etiam post Tridentinum, probabile est, religioso in monasterio, vel juxta illud manenti, annuatim assignari posse reditum, ut ex eo vivat suo commodo & incommodo, revocabiliter tamen ad nutum Prælati. Similiter monialibus victum præberi posse, ita ut ipse sibi labore manuum vestes comparent. Ita contra *Azor. Less. & Mol.* docent *Sanch. l.* 7. *mor. c.* 22. *Tan. Laym. l.* 4. *c.* 7. Qui addit, talem consuetudinem, ubi viget, non damnandam: probat tamen tolli debere si commode possit, monetque, non sine urgentissima causa inducendam.

IV. Peccat contra paupertatem religiosus, si quid, seu domi seu foris, etiam ex iis, quæ ad victum & vestitum pertinent, sine superioris consensu expresso, tacito vel præsumpto, accipiat, retineat, absumat, permutet, alteri donet, vel accommodet. Ita *Less. l.* 2. *cap.* 41. *d.* 8. *&* *d.* 9. *nu.* 79. *Sanch.* 7. *mor. c.* 19. *num.* 53. *&* *cap.* 21. *num* 31. *Suar. tom.* 3. *de relig. l.* 8. *c.* 11. *Laym. l.* 4. *t.* 5. *cap.* 7. *Azor. to.* 1. *l.* 12. *c.* 12.

Dixi.

Dixi, *sine consensu tacito*: quia si Prælatus sciat, subditum aliquid accipere, retinere, vel expendere, & non prohibet, cum facilè possit, tacitè consentire, & approbare videtur. Unde *Sanch. 6. mor. cap. 9.* ait, si in aliqua religione consuetudo viget aliqua recipiendi, vel expendendi sine licentia, id excusari per tacitam licentiam Prælati, qui id tolerando, consuetudinem rationabiliter declarat. Etsi Prælatus subdito donet, vel donari permittat imagines, rosaria, &c. sciens non indigere iis omnibus ad proprium usum, tacitè facultatem concedere censetur donandi aliis, ut notat *Laym.* Monet tamen *Less.* talem consensum non præsumendum, nisi in rebus parvis & crebro occurrentibus.

Dixi II. *vel præsumpto*: hic enim locum habet, cum res urget; superiorque non est præsens. Ad hunc autem, ut vult *Sanch. & Bonac.* non sufficit, quod superior libenter concederet, si peteres, ) alioqui omnes donationes à Prælatis permitti solitæ, licerent sine venia, quod cederet in eversionem disciplinæ regularis) sed requiritur, ut ipse censeatur concedere, quamvis non petas, & nolit in iis circumstantiis repetere. Addit tamen *Suar. & Less.* excusari à mortali, si præsumatur affectus superioris libenter rem concessuri, si rogaretur. Ratio, quia tunc censetur rem habere ex voluntate superioris, saltem virtuali, quæ in illo affectu latet; ideoque si superior tantum sit invitus, quoad modum, venialiter quidem peccari, non tamen contra paupertatem docent *Suar. Sanch. Laym. l. 5. t. 5. c. 7.*

IV. Con-

IV. Contra votum paupertatis peccas, si quid ex rebus in usum tuum concessis, in alium usum expendas, aut culpabiliter amittas; vel destruas lata culpa. Ratio, quia in iis tantum habes usum facti, idque precario, quamdiu superiori videbitur: estque actus dominii, posse rem arbitratu suo destruere. *Sanch. cap. 19. Laym. num. 6. Less. num. 79.*

V. Item peccas, si quid abscondas, ut illud liberæ dispositioni superioris subducas. Nec Procuratores, Oeconomi, Administratores, Prælati inferiores, quicquam possunt expendere, contra quam regula ordinis, voluntas superiorum, vel consuetudo postulat. Ratio, quia non sunt domini bonorum communium, sed tantum administratores. *Laym. n. 9. ex S. Thom. &c.*

VI. Si prælatus permittat subdito, ut bona, ex quacunque causa, aut titulo provenientia, in usus vanos, turpes; aut illicitos expendat, aut superflua, pretiosa, & statum suum dedecentia, penes se habeat, peccat & Prælatus, & subditus contra votum paupertatis: estque talis donatio seu alienatio irrita, & restitutioni obnoxia. *Navar. Sylv. Valentia. Mol. t. 2. d. 276. Azor. Less d. 9. Sanch. Laym.* Quia Prælatus non potest dare veniam maiorem, quam ipse habet: ipse autem cum sit dominus, non potest bona, suo arbitratu, & inutiliter expendere; sed tantum in Religionis necessitatem, & utilitatem, *v. C. Lugo de iust. d. 3. sect. 7. n. 131.*

Resp. II. Religiosus voto castitatis obligatur, ut abstineat se ab omni voluntaria delectatione

venerea, interna & externa, proindeque si quis contra castitatem peccet, duo peccata admittit, luxuriæ, & sacrilegii, *Less. & Laym. c. 8.*

Resp. III. Religiosus ex voto obedientiæ, obligatur ad omnia, quæ superior præcipit, secundum regulas & constitutiones ordinis, sive directè & expresè, sive indirectè & implicitè. Et quidem si præcipiat in virtute S. Obedientiæ, in nomine Domini nostri Iesu Christi, vel simili forma, tenetur obedire sub mortali, quia intendit obligare, quantum potest, sub veniali autem, si alia forma utatur, vel sub nullo; quod consuetudo in Societate Iesu approbat. *v.* S. *Thom. 2. 2. q. 104. Sylv. Sanch. l. 6. mor. cap. 1. Less. l. 2. ca. 41. dub. 9. Laym. c. 9.*

Porrò quæ indirectè pertinent ad regulam, *Sylv.* & quidam alii ampliant ad illa, quæ faciunt ad pleniorem eius observationem. *Sanchez* tamen arctat ad res valdè necessarias, sine quibus regula commodè servari nequit: alioqui enim superior quasvis corporis macerationes præcipere posset; ordinantur enim ad pleniorem observationem regulæ. *Laym. l. 4. t. 5. c. 9. Less. l. 2. c. 1. d. 9.* Unde resolves.

I. Non tenetur subditus obedire in iis, quæ sunt vel contra regulam (nisi superior in ea possit dispensare, & legitima causa dispensandi subsit) vel supra regulam, ut essent magnæ macerationes, (nisi in pœnam, vel ad obligationem votorum necessariæ,) vel ut acceptet Episcopatum, *Dian. p. 6. t. 8. R. 33. & alii sex*, vel infra regulam, scilicet vana (nisi præcipiat ex causa, quæ sit secundum

secundum regulam, v. g. ut obedientia exerceatur. Nec refert, quod regulæ jubeant in omnibus obedire: id enim non de obligatione voti, sed obedientiæ perfectione intelligitur, Ita *Suar. Sanch. 6. mor. c. 2. Laym.*

II. Si regula ordinis sub peccato obliget, eius transgressio est contra votum, & sacrilega. Ratio, quia talis regula non est minus præceptiva, quàm vox superioris: & subditus promittens observationem regulæ, eo modo quo ipsa intendit, se obligare censetur; proindeque Carthusianus v.g. carnes edens, vel Franciscanus feria sexta non jejunans, & contra obedientiam, & contra temperantiam peccat, S. *Tho. in 2. d. 44. q. 2. a. 3. Valent. Sanch. 6. mor. c. 1. & 4. Vasq. Rodriq. Laym. l. c. n. 6. Esc. &c.*

III. Si regula sub peccato non obligat, transgressor illius non peccat contra votum obedientiæ. Ratio, quia talis regula non continet propriè præceptum, sed tandum est ordinatio seu monitum obligans tantum ad pœnam, si imponatur. S. *Thom. Lay l. c. &c.* Hinc nec transgressio illius ex rationabili causa; & bono fine, seu ex motivo virtutis facta, v. g. si extra tempora loquatur cum socio, ut mœstum consoletur, est peccatum; erit tamen veniale, si ex negligentia, torpore animi, aliove inordinato affectu fiat. *Lay. l. c.* Quem ut plurimum concurrere, adeoque raro omni culpa vacare, putat *Valent. Sanch. & Suar.* Qui addunt, quod si quis frequenter, & quasi per consuetudinem, regulam transgrediatur, religiosam disciplinam graviter perturbet,

eaque ex causa in periculo expulsionis se constituat, peccat mortaliter, *Lay l.5.t.5.c.9. Sanch. num.18.*

IV. Etsi Capitulares novum statutum condere possint quo ipsi, aliique postmodum professionem edituri, obligentur; ante tamen professi, qui in illud non consenserunt, eo non obligantur, sit ad regulam ordinis non directè, nec indirectè spectet *Laym. loc. cit. num.10.* Nisi tamen statutum fiat in Capitulo generali, vel saltem provinciali, (juxta cuiusque ordinis institutum) concurrente majore parte suffragiorum; non sit regulæ difforme, *vid. Escob. de leg. E.1.cap.2. n.15.* Ratio, quia quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari, juxta *reg.39. in 6* addit *Laym. & Sanch. ex Sylv & Azor tom.1. lib.13.c.1.q 19. Less. lib.2.c. 41.n.22.* nec Pontificem posse religiosos cogere ad arctiorem vivendi rationem, quàm instituti prima forma postulat. Quia obligatio obediendi, etiam Pontifici, provenit ex voto, quod factum fuit secundum proprium regulæ institutum. Si tamen regulæ reformatio necessarium medium esset ad ordinis conservationem, ad eum Prælatus cum Capitulo, multoque magis Pontifex, illos cogere potest, quando ad hoc se implicitè quisque obligasse censetur, *Sylv. Less. Sanch. Laym. ll.cc.*

V. Etsi consuetum non sit, nec consultum, ut Prælati sub peccato præcipiant actus internos; probabile tamen est fieri posse ut docet *Laym. Suar. &c.* Ratio, quia verisimile est, quod aliqui religio-

religiosi ad id se obligare intendant, cum se quasi holocaustum Deo tradant.

*Quæres.* An subditus teneatur obedire, si dubitet, utrum sit res licita, quam Prælatus jubet, vel justa causa imperandi?

*Resp.I.* Communiter teneri, quia tunc melior est conditio superioris, qui est in possessione potestatis præcipiendi: in dubio autem nemo spoliandus est jure, quod habet. Nec dicas, subditum etiam esse in possessione libertatis, cum habeat debitum parendi.

*Resp.II.* Non teneri, si grave damnum obediendo timeat. Ratio, quia in dubio favendum est reo, eique de cujus damno agitur. Etsi enim subditus non sit in possessione libertatis, est tamen in possessione juris, quo potest se à periculosis rebus conservare, *Less.Sanch.6. mor.cap.4. aliique.*

## DUBIUM V.

### *Qui possint, vel teneantur ingredi religionem?*

Resp.I. Omnes illi, & soli, possunt ingredi religionem, qui sunt sui juris, nec aliis obstricti: qui verò aliis obstricti sunt, non possunt sine eorum consensu. *Less.lib.2.cap.41.dist.3.*

Unde 1. Non possunt ingredi religionem impuberes, quia subsunt parentibus, vel tutoribus, quoad vitæ dispositionem. 2. Nec filii, si parentes sine illis se alere nequeant. *Laym.l.4.*

*t.5.*

*tis.c.4.num.1.* 3. Nec servi, sine consensu dominorum. 4. Nec qui decipit virginem, sub promissione matrimonii. 5. Nec is, qui non est solvendo creditoribus; modo in seculo manendo, possit intra paucos annos solvere. *D. Thom.* tamen *Sylv. Fumus V. Religio, & alii*, putant, illum posse bona præsentia cedere creditoribus; quia persona hominis liberi non est pro pecunia obligata. 6. Nec Episcopus, sine consensu Papæ, cui iuramento se obstrinxit: præterquam quòd sit obstrictus suæ Ecclesiæ, sicut maritus uxori. Nec conjuges post matrimonium consummatum, nisi vir per vim consummasset, ante expletos 2. menses, qui eis à jure conceduntur; aut nisi alter conjugum commisisset adulterium: tunc enim innocens ingredi posset.

Resp. II. Qui vovit religionem, tenetur ingredi secundum sequentes regulas.

I. Non tenetur, imò nec potest licitè ingredi ordinem, in quo collapsa est disciplina regularis, idque ob periculum perversionis, *Laym. l. 4. t. 5. c. 6. n. 5.*

II. Qui vovit laxiorem, licitè ingreditur strictiorem, non tamen contra; quia minus præstaret, quàm promisit. Quod si tamen profiteatur in laxiore, valida est professio, & liberatur à voto strictiorem ingrediendi. Ratio, quia votum solemne, quo fit personæ traditio, & religioni jus in personam acquiritur, derogat priori voto simplici, per quod nullum tale jus religioni strictori erat acquisitum, *Laym. l. c. ex Sancto Thom. &c.*

III. Is

III. Is qui vovit experiri religionem strictiorem, potest id commutare in votum profitendi, & perseverandi in laxiore. Ratio, quia hoc melius est, *Laym. l. c. ex Sanch. &c.*

IV. Professo licentiam transeundi ad ordinem laxiorem, Episcopus vel Prælatus ordinis exemptus, cum consensu Capituli, dispensativè ex justa causa dare potest. *Laym. l. c. Less. l. 2. c. 41. n. 103. Sanch. 6. mor. c. 7.*

V. Professus, ad ordinem strictiorem, petita, licet non concessa, Prælati sui licentia, ex justa causa transire potest. Quod addo, quia huiusmodi transitus sine causa, temere fieri non debet. Quod si autem fiat, spectanda est austeritas circa silentium & solitudinem; idque non tantum secundum institutum regulæ, sed etiam secundum observationem præsentem. Probatur *ex c Licet, de regularibus v. Laym. Sanch. ll. cc.* Ex dictis resolvuntur hi Casus.

I. Canonici regulares ad Monachos transire possunt, non contra, cum religio Monachorum austerior sit. *Laym. l. c.*

II. Professus regulam strictiorem, si ea non servetur in suo monasterio, aliove eiusdem ordinis, nec sit spes reformationis, potest transire ad laxiorem, in quo regula servetur: ita ut considerato præsenti statu ducat vitam strictiorem. *Laym. l. 4. tr. 5. c. 6. nu. 10. Sanch. Rodr. &c.*

DUBI-

## DUBIUM VI.

### *Ad quid teneantur religiosi ejecti & fugitivi?*

Suppono, religiosum justas ob causas religione expelli posse. 1. Si in gravi vel pernicioso crimine existens, notoriè incorrigibilis appareat: in quo tamen casu, moniales perpetuo potius carceri mancipandas, quam ejiciendas, putat *Sanch. l. 6. mor. cap. 9.* 2. Si ob criminis infamiam, sine gravi ordinis damno, tolerari nequeat, 3. Si in admissione reticuerit impedimentum, vel essentiale, vel saltem admodum grave, v.g. lepram, &c. ut docet *Nav. Sa. V. Religio. num. 34. Sanch. 6. mor. cap. 4. n. 56.* Ratio, quia in re admodum gravi decepit, ita ut fraus dederit causam admissioni, *v. Dia. p. 9. t. 9. R. 57.* ubi docet, quod licet hactenus ex communi sententia *Sanch. Suar. Azor. Rodriq. &c.* Religiosi propter delictum aliquod grave, etiam semel perpetratum potuerint expelli, jam tamen propter declinationem *Vrbani VIII.* editam anno 1624. per nulla privilegia possint expelli e Religione, (excepta Societate Iesu) nisi sint incorrigibiles; tales autem non censeantur, nisi unius anni jeiunio & pœnitentia in carcere sunt probati.

Hoc supposito, Resp. I. Professus è religione ob culpam ejectus, manet religiosus, votisque adstrictus, *Laym. l. 4. t. 5. C. 13. ex communi.* Undere- solvuntur hi Casus,

I. Ejectus,

I. Iectus, rerum, quas acquirit, usum & administrationem tantum sibi vendicare potest, non autem dominium neque illud acquiritur monasterio, cuius non est membrum amplius, sed Ecclesiæ, in qua Beneficium habet, vel Papæ, si beneficiū non habet, & exemptus est. Quod si autem non sit exemptus Episcopo loci, *Lay. l. c. ex Mol. & Less.*

Dixi, *iectus*, quia fugitivos & apostatas, iis exceptis, quæ ex Beneficio Ecclesiastico accepta sunt, monasterio acquirere verius est, si illud dominii in communi capax sit, sin minus, Sedi Apostolicæ. Ratio, quia monasterium, instar servorum, eos vendicare & reducere poterat. *Laym. l. c. ex Azor. Sylv. &c.*

II. Iectus per culpam, non omninò solutus voto obedientiæ, etsi eius executio magna ex parte cesset: quia caret superiore, à quo dirigatur. Debet tamen illud servare in præparatione animi, si recipiatur, *Laym. l. c. ex Nav. Less.*

III. Idem à reliquis monasticis observantiis, & regulis ut à jeiuniis, vigiliis, delectu ciborum, & similibus liber est, *Laym. l. 4. t. 5. c. 12. Sa. n. 40. Navar. & alii:* contra *Less. Sanch. &c.* Ratio est, quia talium observatio non comitatur simpliciter professionem votorum substantialium, sed statum regularem, à quo ille est expulsus.

IV. Etsi non sit improbabile, quod docent *Nav. & Azor.* probatque *Rodriquez*, iectum tutò manere extra suum ordinem, nec teneri receptionem petere, eò quod justæ sententiæ suæ iectionis se conformare possit: contrarium tamen communius est, & probabilius. Ratio, quia cum sit

ſit obligatus votis, tenetur ſe qualificare, ut vota ſua convenienter profeſſioni exequi poſſit. Quæ ratio magis probat, ſi ordo ipſum revocet. *Laym. l. c. n. 6. ex Sylv. Sanch. & Leſſ.*

V. Ejectus poteſt tutò in ſæculo manere, ſi in monaſterio non recipiatur, niſi religionem laxiorem inire malit: quia aliam non vovit; neque per ipſum (ut ſuppono) jam ſtat, quo minus in ſua recipiatur. Ita *Rodriq. Laym. &c. l. c.* Ubi addit, Prælatos poſſe aliquem ſub conditione ejicere, ut vel aliam religionem intret, vel ad ſuam revertatur: imò etiam Ordinarii locorum ejectos ad hoc cogere poſſunt. Ratio eſt, quod tales non ſine periculo, & ſcandalo aliorum in ſæculo vivant. *v. Laym. loc. cit. n. 8. & 9.*

Reſp. II. Prælati ordinum fugitivos, & apoſtatas requirere tenentur, ſi absque gravi ordinis damno poſſint, & non omnino incorrigibiles videantur. Ita *Sanch. l. c.* Ratio prioris partis eſt, quia jure divino & naturali tenentur Prælati proſpicere eorum ſaluti. Ratio poſterioris eſt, quia ſi ob juſtam cauſam poſſint ejici, ob eandem etiam, poſtquam malitiosè exiverunt, poterunt non recipi. *Laym. l. c. n. 7. ex Sanch. &c.*

Dixi, *fugitivos & apoſtatas:* quia per ſententiam juſtam ejectos, etſi ſe correxerint, neceſſario recipiendos, negant *Sanch. l. c. & Azor lib. 12. c. 17.* affirmant *Nav, Mol. t. 1. d. 140. Leſſ. l. b. 2. c. 41. d. 15.* Utrique probabiliter.

*Quæres.* An profeſſus in uno monaſterio poſſit cogi, ut ſe transferat ad aliud?

*Reſp.* Poſſe, ſi plura monaſteria faciant unum corpus

corpus sub uno capite; secus, si singula subsint suis superioribus sub Episcopo, vel immediatè sub Papa. Ratio, quia non vovit obedientiam, nisi in hoc conventu, *Laym. l. c. num.* 10. Vide etiam *Sanch. l. 7. mor. c.* 32.

## Cap. II.

### *De Statu Clericorum.*

Clerici generaliter dicuntur illi, qui sacris ordinibus vel prima saltem tonsura, sunt initiati. Ad quorum statum cum multa pertineant, de quibus alibi agendum, hic agemus de Beneficiis Ecclesiasticis, Horis Canonicis & aliis paucis.

## DUBIUM I.

### *De Beneficiis Ecclesiasticis.*

### *ARTICULUS I.*

#### *Quid, & quotuplex Beneficium Ecclesiasticum?*

Resp. I. Beneficium Ecclesiasticum est jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiæ, propter officium aliquod spirituale, authoritate Ecclesiæ constitutum. Ita *Laym. l. 4. t. 2. c. 1. Less. l. 2. c. 35. d. 1.*

Dicitur I. *Ius perpetuum*, ad excludendam Vicariam, & Commendam temporalem; quæ non sunt

sunt Beneficia, de quibus Canones loquuntur.

Dicitur II. *Propter officium:* quia in Beneficio duo jura à se mutuo separabilia distinguuntur. 1. Est jus, seu potestas exercendi muneris spiritualis, estque simpliciter spirituale. Alterum est jus percipiendi reditus Ecclesiasticos: quod etsi secundùm se sit temporale, quatenus tamen fundatur in officio spirituali, eique annexum est, spiritualitatem aliquam participat.

Dicitur III. *Authoritate Ecclesiæ &c.* quia solius Prælati est, officia in Ecclesia instituere, eisque proventus Ecclesiasticos annectere, ipsosque est dispicere, quot & qualibus ministris Ecclesia egeat.

Resp. II. Beneficium dividitur I in Seculare, quod pro secularibus, & Regulare, quod pro regularibus est institutum. Unde sine dispensatione, nec seculare regulari. Nec contra conferri potest. Porrò omne beneficium præsumitur esse seculare, nisi probetur esse regulare, vel ex prima sui institutione, vel per possessionem pacificam 40. annorum: per eam enim ex seculari, fit regulare & contra.

II. Beneficium aliud est Duplex, aliud Simplex. Duplex dicitur, quod est cum administratione; ut Papatus, Episcopatus, & omnia, quæ dicuntur dignitates, hoc est, quæ habent præeminentiam, cum jurisdictione in foro externo, ut Præpositura, Decanatus, Archidiaconatus, Abbatia, sive secularis, sive regularis, Prioratus claustralis. Item personatus, qui eminentia in Ecclesia, sine

sine iurisdictione; v.g. locus honorificus in choro, in processionibus, suffragiis ferendis, ut Cantoria, & similes. Item Beneficia quæ dicuntur officia, habentque administrationem rerum Ecclesiasticarum, sine jurisdictione; ut Custos, Thesaurarius: Primicerius, Archipresbyter. Denique Duplicia dicuntur, Beneficia curata: hæc enim omnia duplici onere, & cura constricta censentur, cum præter recitationem precum omnibus communem, habeant aliquam administrationem, & eminentiam. Simplicia dicuntur, quæ tantum sunt instituta ad officia divina obeunda, neque administrationem, vel eminentiam singularem habent; ut Canonicatus, sive seculares, sive regulares, Capellaniæ. v. *Laym. l. c. & Less. l. 2. c. 34. d. 2.*

## ARTICULUS II.

### *Quomodo acquirantur & conferantur Beneficia?*

Resp. I. Beneficia Ecclesiastica uno ex tribus modis, communiter acquiruntur. 1. Per electionem, v.g. Canonicorum; vel etiam postulationem, (quæ est electio eius qui non erat de Capitulo, vel de jure non erat capax) & confirmationem superioris, si electum vel postulatum idoneum esse intelligat. 2. Per præsentationem Patroni præviam, & institutionem subsequam, à Prælato Ecclesiæ factum, si præsentatus sit idoneus. Etsi verò Patronus præsentato jus ad

rem

rem conferat, ita ut Beneficium alteri conferri nequeat, jus tamen in re, & collatio beneficii per institutionem datur. 3. collationem liberam, quando Beneficium solo jure Prælati datur, nec Patronus juri subest. Unde etiam Beneficia, ex modo conferendi, dividuntur in Electiva, Patronata, & Libera.

Resp. I. In qualibet diœcesi Episcopus est proprius collator Beneficiorum, nisi ex legitima præscriptione hoc jus alteri competat: supremus autem & universalis collator omnium Beneficiorum non patronatorum, est Papa, *Less. lib. 2. c. 35. d. 10.* Ratio prioris est, quia Episcopus in sua diœcesi est moderator sacrorum: ergo ipsius est officia sacra conferre. Ratio posterioris, quia Papa est supremus dispensator bonorum Ecclesiasticorum, & Ordinariorum. Potest autem Papa tribus modis Beneficia conferre. 1. Jure præventionis. 2. Jure concursus. 3. Jure devolutionis, de quibus *v. Less. loc. c.* ubi notat, jure præventionis & concursus, ad vitandas lites, rarius Papam uti: imò per concordata Germaniæ inter Sedem Apostolicam, & Fridericum Imperatorem, per constitutionem Nicolai V. quæ incipit: *Ad sacra &c.* alterni tantum menses Papæ collationi reservantur, scilicet Januarius, Martius, &c. reliqui verò ordinariis collatoribus relinquuntur. Imò si per tres menses, à die notæ vacationis, in loco Beneficii nulla dispositio vel gratia Papæ appareat Ordinarius conferre potest. Similiter mortuo Papa, quamdiu Sedes vacat, *Less. loc. c. Laym. cap. 20.* Quod si autem Pontifex

& Ordi-

& Ordinarius eodem die idem beneficium diversis contulerint, & neutrius collationis prioritas appareat, præferendus est, qui invenitur in possessione; quia pro eo jus præsumit. Si neuter est in possessione, præfertur provisus à Pontifice, ob dignitatem provisoris *Barbos. & Bardi. d. 6. c. 6. §. 10. exc. Si à sede.* Denique si ultima nocte mensis Episcopalis beneficium cæperit vacare, in dubio utrum ante, an post mediam noctem, qua incipit mensis Papalis, si nemo sit in possessione, nec ulla provisio, præsumptio juris est pro ordinario, *Gonzal. Barbos. Bardi. d. 6. § 11.*

*Quæres. I.* Quid & quotuplex sit jus Patronatus?

*Resp. I.* Esse potestatem præsentandi ad Beneficium Ecclesiasticum vacans *Resp. II.* Esse duplex, scilicet jus patronatus Ecclesiastici, quod alicui competit, quia ex bonis Ecclesiasticis; & jus patronatus laici, quod alicui competit, quia ex bonis patrimonialibus Ecclesiam fundavit vel dotavit, vel erexit. *Lay. lib. 4. tr. 1. c. 13. n. 2. & 4.*

*Quæres II.* Quando patronus teneatur præsentare, Beneficio vacante? *Resp.* Si patronatus sit laicus, teneri intra 4. menses. Si Ecclesiasticus, intra 6. intra quos nisi fiat præsentatio, Beneficium fit liberum, ejusque dispositio pro ea vice devolvitur ad eum, cuius est instituere præsētatū.

*Quæ. III.* Quid faciendū, si multi præsententur?

*Resp. I.* Si patronus, qui antea præsentavit Petrum, præsentet postea Paulum, velitque hunc præferri, poterit Prælatus instituere utrum maluerit, si patronatus sit laicus: quia tunc præsentatio secunda non facit irritam primam nec contra.

Si ta-

Si tamen patronatus sit Ecclesiasticus, prior tempore erit potior jure, ex *c. cum authenticè, de iure patronatus.* *Resp. II.* Si ex duobus patronis alter Petrum, alter Ioannem præsentet, potest collator conferre utri maluerit. Imò iuxta *Sylv.* Episcopus tunc tertio conferre potest, eò quod patroni non conveniant. *Resp. III.* Si multi patroni inter se sint discordes, is instituendus, in quem plures conveniunt, *v. Leß. l. c. d. 8. & Laym. l. c.*

## ARTICULUS III.

### *Quæ intentio, & qualitates requiruntur ad Beneficium accipiendum?*

Resp. I. Ut Beneficium aliquod validè & licitè obtineatur, requiritur, ut sit persona capax & habilis, hoc est, ut sit Clericus, non illegitimus, (eum quo tamen Episcopus dispensare potest ad ordines minores, & Beneficium simplex, cui ordo maior non est annexus) non irregularis non excommunicatus non improbus, aut facinorosus, ut habeat scientiam competentem ad munus Beneficio annexum, & ætatem, & legitimam, nisi dispensetur, scil. pro Beneficio simplici annos 14. (sufficere tamen 14. inchoatum, docet *Dian. p. 3. t. 6. R. 64. ex Azor & aliis 5.*) pro eo quod Subdiaconatū requirit, vigesimum primum, pro eo quod Diaconatum, 22. pro eo quod Sacerdotum vige-

vigesimum quartum inchoatum. Colligitur ex *Trid. sess. 22. 23. &c.* In his tamen & similibus casibus, multi excusantur, vel quia illud jus ubique non est receptum; vel quia bona fide tres annos fuerunt in possessione, quæ veluti usucapionem & dominium parit. Ita *Less d. 20.*

Resp. II. Qui recipit Beneficium quodcunque, habens annexum ordinem sacrum, tenetur habere voluntatem, saltem conditionatam, clericandi, & sacrum ordinem accipiendi, intra tempus à jure requisitum, *Laym. cap. 14. Less. l. 2. c. 34. d. 26.* Ratio quia suscipiens officium, cui obligatio est annexa, omni modo se habilitare tenetur. Imò si curatum seu parochiale est, habetque intentionem sacerdotium intra annum non suscipiendi, sed parochiam dimittendi, non tantum mortaliter peccat, sed etiam ipso jure est privatus, & ad fructuum restitutionem tenetur, ut patet ex *c. Commissa §. 7 de elect. in 6.* Quod si tamen mutata voluntate, ante finem anni Sacerdos fiat, fructus retinere potest: imò & Episcopus dispensare potest, ut vicario substituto, studiis per septennium vacet.

Dixi I. *Habens annexum ordinem sacrum:* quia si is non sit annexus, & Beneficium sit simplex, licet illud acceptet animo fructus lucrandi, & deinde uxorem ducendi, non nisi venialiter peccat; si aliàs officio suo satisfaciat, ut docet *Laym. cap. 17. Sanch. 7. de matr. d. 45. Vasq.* Ratio, quia illa perversio ordinis non videtur gravis, nec ullo jure vetatur, ideoque ad nullam fructuum restitutionem tenetur. Unde *Garsias p. 3. c. 4. num. 42.*

talem ab omni culpa excusat.

Dixi II. *Voluntatem saltem conditionatam:* quia si ex justa causa postmodum status Clericalis minus illi convenire videatur, potest animum mutare, etiamsi Beneficium sit curatum: v.g. si primogenitus familiæ, aut frater unicus sine liberis decedat, si opimum matrimonium ad conservationem familiæ nobilis, vel ad lites graves sopiendas necessarium, offeratur. Ratio, quia non est mens Ecclesiæ, ita ad Ecclesiasticum statum obligare, ut hæc & similia bona impediantur. *Laym. Less. l.c.*

## *ARTICVLVS IV.*

### *An liceat habere plura Beneficia?*

Resp. Plura Beneficia possidere, non est res simpliciter intrinsece mala, nec omnino indifferens, sed speciem mali præseferens, imo ordinarie illicita, & naturali juri repugnans, (si talia sint, quorum unum ad honestam sustentationem sufficiat) nisi justa causa ex circumstantia cohonestetur. Ita fere *Laym. l. 4. t. 2. c. 8. num. 1. ex D. Tho. Less. Azor. &c. commun.* Quia ut docet *Trid. sess. 24.* pluralitas hujusmodi magnam inordinationem involvit, dum minuitur cultus divinus, Ecclesia operariis, fundator pia intentione, pauperes utiliores Ecclesiæ futuri sustentatione privantur. Hinc Beneficia distinguuntur in Incompatibilia primi generis, in quibus adepta pacifica possessione secundi, vacat prius, qualia sunt plu-

ra Be-

ra Beneficia curata, item plures dignitates, personatus, duo Beneficia uniformia sub eodem tecto: & in Incompatibilia secundi generis, quæ etsi sine peccato citra dispensationem obtineri nequeant, primum tamen altero obtento non vacat, qualia sunt Beneficia reliqua residentiam postulantia, v.g. Canonicatus duo diversarum Ecclesiarum, in quibus recepta est constitutio *Trid. s. 24. c. 12. de refor.* ut non liceat ultra tres menses Canonicis ab Ecclesia abesse. Unde *Laym. c. 8. n. 6.* docet, Canonicatus in Cathedralib. Ecclesiis Germaniæ, quæ ex immemorabili consuetudine requirunt tantum residentiam medii anni, vel 3. mensium, inter compatibilia Beneficia numeranda.

Dixi, *nisi justa causa cohonestetur*: quia qui per dispensationem plura Beneficia obtinuit, nisi justa causa subsit, in conscientia non erit tutus, sed tenebitur alterum resignare, ut docet *Less. n. 124.*

Porro justa causa dispensandi erit, evidens necessitas & utilitas Ecclesiæ; & quandoque etiam prærogativæ, & merita personæ, v.g. insignis nobilitas, dignitas, scientia, authoritas, virtus, &c. modo caveatur, ne Beneficiorum coacervatio, facta etiam ob prærogativam personæ, ad privatum tantum, & non ad commune bonum referatur. Imo sine dispensatione plura Beneficia, sequentibus casibus haberi possunt.

I. Si utrumque adeo sit tenue, ut neutrum sufficiat ad sustentationem: modo utrumque sit simplex, nec residentiam requirat.

II. Quando parochia est annexa Canonicatui, eique accessoria: tunc enim utrumque per mo-

dum unius possidetur, ita tamen ut teneatur Vicarium perpetuum in Ecclesia alere.

III. Quando Beneficia legitimè sunt unita.

IV. Quando alius idoneus, & dignus non reperitur.

V. Quando unum Beneficium habetur in titulum, alterum in Commendam non perpetuam, sed ad aliquot menses, donec de idoneo provideatur. Ita *Regin. ex Sylv.*

*Quæres.* An & quomodo Clerici teneantur ad residentiam?

*Resp. I.* Episcopos, Parochos, eosque qui curatum Beneficium habent, jure divino teneri. Nec sufficit, si per alios administrēt, nisi majus bonum urgeat: quia contra rationem est, ut hic officium & fructus, alter onus habeat, *Bon. t. 1, d. 5. de oblig. ben. p. 1.*

*Resp. II.* Ita teneri ad residentiam, ut si Episcopi intra annum ultra tres, & parochi ultra duos menses, absque legitima causa, per Episcopum cognita, & approbata, absint, mortaliter peccent, & fructus non faciant suos. Ita *Trid. sess. 23. de reform. c. 1. v. Bon. l. c.* Notat autem *Dian. p. 9. t. 7. R. 53. ex Bordon.* supradicta etiam habere locum in Superioribus, sive Prælatis regularibus, ideoque eos teneri tempore pestis, etiam cum periculo suis assistere.

*Resp. III.* Qui in Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis obtinent dignitates, Canonicatus, præbendas vel portiones, si intra annum ultra 3. menses absint, primo anno media parte fructuum, secundo verò anno omnibus fructibus, quos illo

illo anno lucrati sunt, privandos. Quæ tamen pœna est sententiæ secundæ, non latæ, ut constat e *Trid. sess. 24. c. 10.*

*Resp. IV.* Causas à residentia excusantes esse, 1. Doctionem Theologiæ, vel Juris Canonici: neque ad hoc licentiam Prælati aut Episcopi requiri; requiri autē ad doctiones literarum humaniorum, & Philosophiæ, nisi contrarium habeat consuetudo. 2 Studium Theologiæ, vel Juris Canonici, id enim per 5. annos etiam excusat. 3. Obsequium Papæ, vel Episcopi, ad Ecclesiæ utilitatem. 4. Licentiam legitimam ex quavis alia justa causa. 5. Honestam consuetudinem, ubi dispositio Concilii non est recepta, *v. Bon. l. c.*

*Resp. V.* Qui absque justa causa abest: peccat mortaliter, non tamen tenetur ad restitutionem fructuum: si officio satisfecerit, nisi ad eam condemnetur, vel nisi id aliquo jure sit expressum.

*Resp. VI.* Eos, qui ex legitima causa absunt, non lucrati distributiones, juxta *Trid.* nisi tamen absint ad curanda negotia Ecclesiæ, ex commissione Capituli, vel omnino involuntariè, ob morbum, captivitatem, injustam excommunicationem, &c. *v. Less. lib. 2. c. 34. dub. 29.*

## ARTICULUS V.

### *Quibus modis Beneficia amittantur?*

Resp. I. Beneficia quatuor modis amittuntur. 1. Per mortem beneficiati. 2. Ex dispositione juris, idque vel propter alterius Beneficii incom-

possibilis consecutionem, vel per professionem religiosam, vel per contractum matrimonii, vel per commissionem criminis, (v.g. hæresis, schismatis; sodomiæ sæpius exercitæ) cui amissio Beneficii ipso facto est annexa, ut *v. apud Less. l. 2. c.* 34. 3. Per sententiam judicis. 4. Per liberam resignationem: de qua.

Resp. II. Resignatio est spontanea proprii Beneficii dimissio, facta coram legitimo superiori id acceptante. Estque duplex, scilicet Tacita, quæ fit ex juris dispositione; ut dum quis religionem profitetur: & Expressa, quæ rursus est duplex, scilicet Pura, quæ fit sine conditione, & pacto apposito, coram Ordinario, qui Beneficium cuilibet alteri conferre potest; & Conditionata, seu in favorem: eaque vel est Simplex in favorem, ut quando fit absque reservatione; vel est Qualificata, quando scilicet fit reservato sibi jure regressus, vel pensione, vel fructibus aliquibus, quæ ob simoniam juris humani, non nisi in Pontificis manibus fieri potest. Et quamvis verius sit, etiam resignationem simplicem in Pontificis manus faciendam, cum alioqui periculum sit, ne Beneficiorum resignationes speciem quandam hæreditariæ successionis acquirant, quod jura Canonica detestantur: probabile tamen est, in manus Ordinarii fieri posse, eo quod permutatio in ejus manibus fieri possit. Idq; à fortiori verum est, si fiat sine modo obligatorio, quamvis addita deprecatione, ut personæ certæ conferatur. Idque observari potest, ubi non est recepta Bulla *Pii V.* quamlibet personæ successuræ de-

signa-

signationem prohibens, quam citat *Laym. hic* c. 17.

Porro ut resignatio conditionata valida sit, requiritur 1. Ut Beneficium sit resignantis, cum resignatio sit juris sui dimissio. 2. Ut fiat libere. 3. Ut fiat in manibus ejus, qui potest admittere, scilicet Pontificis, Ordinarii Collatoris vel institutoris, juxta dicta. 4. Ut acceptetur à Prælato, in cujus manibus fit: quia sine acceptatione jus suum resignans non perdidit. 5. Ut conferatur illi, in cujus favorem cum clausula consueta, (*non aliter nec alias*) est resignatum. 6. Ut is, cui confertur, acceptet: alias enim resignans non perdit Beneficium, propter clausulam, *non aliter*. 7. Requiritur consensus Patroni, vel electorum, prout Beneficium est patronatum vel electivum. 8. Si resignans sit infirmus, ut à resignatione supervivat 20 dies: alias enim per obitum vacare censebitur. 9. Ut si resignatio fiat in Curia Romana, intra 6. menses à supplicatione oblata computandos, in loco Beneficii publicetur: sin autem extra curiam, intra mensem: alioqui si contingat resignantem mori, antequam resignatarius cepit possessionem, Beneficium per obitum vacare censebitur, *Less. & Laym. c.* 17.

Resp. III. Permutatio Beneficiorum, quæ est quædam species conditionalis resignationis, fit, cum duo beneficiati, unum vel plura sua Beneficia, Pontifici non reservata, in manus Ordinarii, alteriusve Episcopali authoritate præditi, resignant, cum conditione, ut is postea vicissim alteri alterius Beneficium conferat. Quod

quandoque Episcopus instituere potest, si necessitas ita exigat; vocatis tamen iis, quorum interest, scilicet patrono & Collatore inferiore: Ad hanc autem omnia requiruntur, quæ ad resignationem in favorem. *vid. Less. c. 31. d. 35. & 6. Lay. t. 27. Bon. de simon d. 1. q. 4 §. 12.*

*Quares I.* An licitæ sint permutationes coram Ordinariis, in mensibus reservatis per concordata Germaniæ. *Resp.* Affirmativè, quia per reservationem concordatorum non censetur, Pontifex voluisse conditionem Ordinariorum Germaniæ deteriorem facere, quàm Episcoporũ extra Germaniam, coram quibus id simpliciter licet.

*Quares II.* An licitum sit permutare Beneficia, compensata fructuum æqualitate?

*Resp. I.* Non licere, si Beneficium copiosius, non separatis proventibus à titulo, permutetur cum tenui. Ratio, quia excessus ille eo ipso quo manet annexus titulo, est debitus titulo, ideoque pro eo nihil exigi potest, quin etiam exigatur pro titulo.

*Resp. II.* Posse peti compensationem, ob hujusmodi permutationem, à Pontifice, pro incommodo temporali, quod alter subit, spoliando se proventibus sui Beneficii; ideoque talis compensatio non est pretium Beneficii, aut proventuum annexorum, sed conditio, ut se indemnem servet, sine qua conditione nollet se spoliare.

*Resp. III.* Jura proventuum posse separari à titulis, & primo nudos titulos, deinde alio contractu jura proventuum, utpote temporalia, permutari, compensato excessu opulentioris, idque autho-

authoritate solius Papæ, v. Less. l. c. Bon. l. c. §. 12. num. 11.

*Quæres III.* An licitè permutetur Beneficium, hac lege, ut expensæ litis, vel bullarum, refundantur per recipientem? *Resp.* Videri permutationem simoniacam, si impensæ sint causa impulsiva permutationis, sine qua actus non fuerit futurus, idem de simili resignatione affirmarem v. Less. l. c. Bon. l. c. n. 9.

## ARTICULUS VI.

### *Quid & quotuplex sit pensio?*

Resp. Pensio est jus percipiendi fructus ex alieno Beneficio. Estque triplex. 1. Temporalis, quæ datur propter ministerium temporale, v. g. Cantori, ædituo, patrono, & defensori Ecclesiæ. 2. Spiritualis, quæ fundatur in titulo merè spirituali, ut quæ datur Concionatori, Coadjutori Episcopi, Parocho, &c. 3. Media, quæ fundatur in statu spirituali, non tamen officio spirituali, ut quæ datur Clerico pauperi, vel Parocho seni ad sustentationem, vel quæ datur causa resignationis, & litis componendæ. Duæ posteriores dicuntur Clericales, quia Clericis; prima Laicalis, quia laicis tantum datur.

Porrò circa pensiones *Laym. c. 18. & Less. 34:* docet hæc. 1. Etsi eam designare proprium sit Papæ: id tamen etiam Episcopum posse in causis specialibus, & necessariis, v. g. propter pauper-

tatem & senium resignantis, vel litis compositionem, vel propter adæquandos fructus in permutatione Beneficiorum. 4. Debere esse moderatam, ita ut beneficiato relinquatur sufficiens sustentatio: talis autem plerumque censetur tertia pars fructuum. 3. Ad pensionem non requiri consensum patroni, uti quidam volunt, quia id nullo jure statutum est. Neque ullum fit præjudicium per impositionem pensionis, cum is fructus non percipiat ex Beneficio, sed tantum habeat jus instituendi, & præsentandi, quod ei non adimitur. 4. Pensionarius post constitutionem *Pii V.* ubi ea est recepta, tenetur recitare Officium B. V. nec facit fructus suos, si omittat. 5. Pensionem extingui morte Pensionarii, sicut usus fructus morte usufructuarii. Posset tamen Papa facere perpetuam, ex plenitudine potestatis. De venditione & redemptione pensionis, *vid. Laym. c. 18. & Less. l. 2. c. 35. d. 22. Bon. l. c. §. 13.*

## DUBIUM II.

### *De Horis Canonicis.*

### ARTICULUS I.

### *Qui obligentur ad Horas?*

Resp. I. Clerici majorum ordinum, etiam suspensi, excommunicati, degradati, tenentur, tum jure Ecclesiastico, tum generali consuetudine Ecclesiæ.

Dixi.

Dixi, *majorum ordinum*; quia minorum; non tantum non ad Horas, sed neque ad psalmum Miserere tenentur, quem, vel simile quid, cum Episcopus primam tonsuram conferens injungit, non videtur obligare, nisi ut vel tantum fiat aliquoties: vel per modum consilii, *Less. l 2. c. 37. d. 9.* Unde resolvuntur hi Casus.

I. Tenetur ad Horas, qui cum dispensatione Papæ ducit uxorem, nisi in hoc ipso sit dispensatum: quia dispensatio. utpote odiosa, stricte est explicanda, & characterem retinet. *Bon. & Azor. l. c. c. 5.* contra alios.

II. Clericus incipit obligari à puncto subdiaconatus suscepti: & quidem ad Horas respondentes horæ, quâ ordinatur, *Bon. tr. de Horis, q. 1. punct. 5. ex communi.*

Resp. II. Omnes religiosi professi, ad chorum destinati, utriusque sexus obligantur ad Horas, idque ex antiqua & recepta consuetudine, quam tamen quidam, ut *Aragonius*, putant non obligare tam stricte, ut peccent mortaliter, si bis terve omittant, & de Monialibus dubitat *Cajet. Medin. Armill. Dian. tr. 12 R. 17.* imo eas (atque adeo omnes Religiosos sacris non initiatos non teneri sub onere peccati, absolute, sed nimis laxe, docet *Petrus Marcha* apud *Dian. p. . t. 6. R. 7.* contra aliorum communem, & veram sententiam, quæ docet, teneri secundum suas regulas, & consuetudines, *Bon q . p. 2 nu. 5. ex Azor. Less. Maldero, &c.* Unde resolves.

I. Non tenentur ad Horas. 1. Novitii. 2. Conversi; Religiosi Societatis Jesu, militares, hospitalarii,

larii, & cæteri Choro non destinati. *Trul. l. 1. c. 7. d. 12. §. 1. n. 5.*

II. Is, qui ex una religione transit in aliam, in qua non est hæc consuetudo, non tenetur: quia consuetudo non obligat, ubi non est recepta. Ita *Suar. & Lay.* Idem dic de religioso ejecto, vel qui dispensationem obtinuit perpetuo vivendi extra monasterium: quia etsi maneat religiosus, non tamen regularis. Ita probabiliter *Sotus, Sanch. Bon. d. 1. q. 2. p. 2. n. 4. &c.* contra *Suar.*

Resp. III. Beneficiati, quotquot habent jus in re, & plenum dominium Beneficii, si fructus percipiant, vel percepturi sint, tenentur ad Horas, *Less. & Laym. l. 4. t. 2. c. 4.* ex communi & *Concil. Lateranensi* sub Leone X. Ratio, quia Beneficium datur propter officium. *Vade resolves.*

I. Non tenentur ante acceptam possessionem, nec, si sine sua culpa fructus nullos percipiant, nec percepturi sint, *Lay. l. 4. t. 2. c. 5. n. 3.* quia non habent Beneficium secundum omnem effectum. Videntur tamen pro ratione fructuum teneri ad aliquoties legendum. *Trul. l. c.*

II. Tenetur is, qui etsi (sive sine, sive cum sua culpa) non recipiat omnes suos fructus, recipit tamen tantam partem; quæ sufficit ad sustentationem. *Bonac. d. 1. q. 6. p. 3.*

III. Tenentur ii, qui primo, aut etiam secundo anno, non percipiunt fructus, eò quod assignentur fabricæ, vel prædecessori mortuo: quia etiam ipsi mortui fruentur eodem privilegio, & sic pro tota vita satisfaciunt fabricæ, *Bon. p. 4. n. 22. Lay. §. 5. Suar. Regin. &c.* Contraria tamen sententia non

non est improbabilis; & negat *Less.* cum *Caiet.* se talem damnaturum, eò quod vel resignare, vel mori ante possit, & sic non frui anno gratiæ, *Lay. l. c. Palaus; Trul. d.* 11. §. 1.

IV. Tenentur & ii, qui habent Beneficium tenue, octo v. g. vel decem aureorum, quia jura omnibus indistinctè obligationem Horarum imponunt, sicut iis, qui sunt in majoribus ordinibus. Ita probabiliter *Sylv. Azor. Suar. Palaus. Bon. d.* 1. *q.* 2. *p.* 4. *num.* 7. *& comm.* contra *Sotum Less. Rodriq. & Dian. R.* 9. *Mald.* qui dicunt, si habet Beneficium tam tenue, ut tertiam partem mediocris sustentationi alicujus Clerici non adæquent non teneri. *v. Dian. l. c. Escob. tr.* 5. *E.* 6. *cap.* 13. quorum sententiam non damno, *v. Trul. l.* 1. *c.* 7. *d.* 12. §. 5. ubi notat eum, qui habet plura Beneficia tenuia, ex quibus competentiam habeat, teneri ad Horas.

V. Non excusatur, qui primis annis parum recipit, eò quod fructus expendat in substitutum: quia Horarum onus Beneficio annexum est personale, cum quo sponte acceptatur. *Bon. l. c. ex Azor. Vasq. Fill. &c.*

VI. Si filius à patre coactus ad statum Ecclesiasticum percipiat ipse fructus, tenetur ad Horas: secus, si percipiat pater, hic verò ad restitutionem obligatur, *Laym. c.* 5. *num.* 2. *ex Less. l.* 2. *c.* 34. *dub.* 3.

VII. Probabile est, eum, qui non residet ex legitima licentia, vel dispensatione, ideoque fructus non recipit, non teneri ad horas: quia obligatio hæc est propter sustentationem damn-,

tam, *Trul. l. 1. cap. 7. d. 16. §. 3. ex Sanch. &c.*

VIII. Non tenentur, qui habent præstimonia, (quæ solent dari adolescentibus, in subsidium studiorum) eo quod non sint proprie dicta Beneficia. Ita *Medin. Garsias & Less.* contra *Navar. Setum. & Rodriq.* Recte tamen monet *Laym. c. 5. num. 6.* considerandam rationem præstimoniorum. Quod si enim dentur in titulum perpetuum, & habeant annexum aliquod obsequium spirituale, quod per laicum expediri nequit, esse Beneficia Ecclesiastica, proindeque obligare ad Horas: secus, si consistant in solo temporali obsequio: Similiter non tenentur pensionarii, cum pensiones non sint proprie dicta Beneficia, ut *dubio praced.* videri potest. Quod limitat *Escob. c. 5. E. 6. c. 4. ex Palao*, si fruantur pensione, ob sæcularia obsequia, secus, si titulo Clericali. Denique, neque tenetur Coadiutor, si non administrat, quia obligatio tenet proprietarium, *Palaus Escob. l. c. v. Laym. c. 5. a. 9.*

IX. Etsi habens plura beneficia satisfaciat unica recitatione horarum, tenetur tamen tot facere commemorationes, quot sunt beneficia, seu patroni beneficiorum, quia par est omnium ratio, *Bon. Trul. l. c. n. 27.*

ARTI-

## ARTICULUS II.

### *Quanta sit hæc obligatio?*

Resp. I. Est tanta, ut peccet mortaliter, quisquis habens hoc onus, Horas, vel notabilem earum partem omittit. Ita *communiter omnes* contra *Anglum, V. Hora & Richardum*, qui dicunt non esse mortale, nisi quis habeat consuetudinem omittendi: quam sententiam *Less* non audet dicere probabilem, quod sit contra torrentem Doctorum. Ratio, quia violat præceptum in re gravi pertinente ad virtutem religionis. Ex dictis *resolvuntur hi Casus.*

I. Non est mortale omittere unum psalmum, lectionem, vel quid simile, ut habet communis contra *Navar.* nec tertiam partem parvæ horæ, contra *Azor. & Mald.* quia non censetur pars notabilis. Talem autem dicit *Palaus l. 1. p. 5.* esse in Matutino, quod est æquale uni parvæ Horæ, *Sanc. in sum. tom. 1, l. 1. c. 18. nu. 8.* dicit tres lectiones cum responsoriis, in feriali officio, esse materiam parvam. In parvis Horis, dicit *Fern. Fill. & Laym*, dimidium, esse notabilem quantitatem, *v. Escob. l c. cap. 13. num. 107.* ubi docet, unam parvam Horam; non esse partem notabilem, respectu totius officii, quod per modum unius est præceptum. Verum hoc merito rejicitur ab aliis.

II. Est mortale, si omittas vel unam integram ex Horis, (quarum sunt septem, Matutinum cum

cum Laudibus, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ & Completorium) vel dimidiam etiam ex brevioribus, ut (docet *Fernand Regin. Fill. Suar. Laym.* contra *Bonac.* & *Less.*) vel ex Matutino 9. lectiones cum responsoriis, ut *Sanch. 1. mor. cap.* 18. aut æquivalentem partem Horæ uni minimæ, ut *Suar. de rel. t. 2. l. 4. c. 25.* & *Gavantus* vel ut alii, unum Nocturnum. *vid. Bon. d. 1. q. 5. pag. 1. Dian. p. 2. t. 12. R. 26. & 41.*

III. Sive omissio Horarum (abstrahendo à multiplicatione actuum voluntatis) sit unum numero peccatum, ut vult *Bon.* sive sint plura formaliter, ut docet *Less.* sive unum multiplex, ut *Suar.* sive unum pluribus æquivalens, ut *Fill.* loquitur; probabile tamen est, in confessione explicandum, quot horæ sint omissæ: eo quod sit circumstantia tenens se ex parte obiecti, & constituens actum in ratione sua individuali, *Bon. l. c. n. 9. Less. Suar. Fill.*

Resp. II. Tanta est obligatio, ut inducat ei onus restitutionis fructuum, pro rata omissionis officii, qui titulo Beneficii ad Horas tenetur, si elapsis 6. mensibus post adeptam possessionem, (iis enim etsi graviter peccet omittendo, non tamen tenetur ad restitutionem) culpabiliter officium non recitaverit. Patet ex *Concil. Lateranensi sub Leone X.* Sed quia dubium fuit, utrum hoc Concilium esset receptum; *Pius V.* Bullam edidit, quæ est apud *Nav. c. 25.* quâ hoc decretum confirmat, ac declarat sic, ut qui uno die totum officium omiserit, teneatur restituere omnes fructus illi die respondentes, v. g. qui accipit annuè 365. flo-

renos,

renos, teneatur pro uno die restituere unum florenum; qui autem omiserit Matutinum tantum, mediam partem fructuum unius diei; qui reliquas Horas, etiam mediam partem; qui vero unam ex illis, sextam partem. Eaque restitutio facienda est, vel fabricæ, vel pauperibus, *Laym. Fill. Bon. d. 1. q. 5. p 2. &c.* contra *de la Cruz & Lopez* apud *Dianam. p. 2. tr. 12. R. 34.* qui dicunt, si Beneficiatus intra annum, per 8. vel 10. dies tantum omittat, non teneri ad restitutionem, eo quod sit servus liberalissimi domini, qui multo minus quàm domini temporales, ad pauca attendat. Unde resolves.

I. Clerici maiorum ordinum, qui solo titulo ordinis, & quotquot alio titulo, quam Beneficii, ad Horas tenentur, non obligantur ad dictam restitutionem: quia nullos percipiunt fructus, propter onus recitandi officium, *Bon. l. c. p. 2. n. 3.*

II. Nec ii obligantur, qui ex naturali oblivione, justo impedimẽto, bona fide, invincibili ignorantia, aut aliter absque culpa omiserunt. Ratio, quia in conscientia non debetur pœna, ubi non est culpa. *Less. Suar. Bon. num. 4.*

III. Valde probabile est, quod qui alia onera habent, quam precum, v. g. Pastores, Episcopi, &c. omittentes Horas, possint retinere maiorem partem fructuum istius diei, ratione dictorum onerum; sufficiatque dare tertiam partem, vel quartam fructuum; eo quod tantum obligentur ad restitutionem fructuum, respondentium oneri divini officii, *Navar. Fill. Bon. p. 2. t. 12. R. 8.* citans alios multos.

IV. Si

IV. Si talis Pastor habeat tenues reditus ad sustentationem, videtur ad nihil obligandus; cum ob alia onera illi debeatur sustentatio, *Laym. l. 4 tr. 2. cap. 5.* Imo *Dian. p. 2. tr. 12. R. 9. & Mald. tr. 10. c. 2. dub. 3.* dicunt, eum, qui habet beneficium valde tenue, v. g. cujus reditus tertiam partem mediocris sustentationis non adæquent, non teneri, ob Horas aliquoties neglectas, ad restitutionem.

V. Restitutio hæc fieri potest, vel pauperibus amicis, vel aliis, vel ipsi etiam beneficiato, si pauper est. Item impendi potest in fabricam domus, vel meliorandos agros beneficii; quia hæc nomine fabricæ intelliguntur, apud *Suar. & Bonac.* Denique aliquando compensari potest, offerendo suffragia pro defunctis, aliisque precibus, ut *v. Bon. l. c. p. 4.* & sic etiam per alium, seu per officium aut preces ab alio ad tuam intentionem recitatas, & à te defunctis applicatas, satisfieri posse, docet *Quintan. t. 8. s. 6.* Nec continuo damnandus, qui ordinarie recitare solitus, semel v. g. vel bis in anno omisit, etsi nihil restituat, docet *Sotus, Med. Fill. c. 10. n. 316. 317.*

VI. Qui pecuniam, quam ob neglectas horas tenetur restituere, sive erogare in usus pios, impendit in alios, quam vel in pauperes, vel fabricam beneficii, non satisfecit (secundum jus commune, ubi Concilium Lateranense, vel Bulla Pii V. est recepta) obligationi suæ, nisi aliud ferat consuetudo, vel statutum alicubi receptum: quia diserte præcipitur restitui pauperibus, vel fabricæ beneficii, *v. Bon. q. 2 p. 2. & 4.*

VII.

VII. Posse aliquando beneficiatum excusari à restitutione,(ob Horas neglectas)titulo pecuniæ expensæ, (intellige post omissionem Horarum) etsi non isto intuitu, in pauperes, vel alios usus pios,censet *Dian.p.3.R.57.ex Laym.l.3 s.5.t.2.cap. 12.num.9.* esse probabile:tum quod quidam Authores ita sentiant:tum quod videatur esse virtualis intentio omnium dantium eleemosynas satisfacere per illas omnibus obligationibus,quas suis peccatis contraxerunt: tum quod leges Ecclesiasticæ benignè debeant explicari. Addit *Ioannes de Salas de leg d.15.sess.2.n.27.Vasq.* Si Canonicus grossam,seu corpus sui Canonicatus, vere & absolute lucretur prius, quam omittat officium, non teneri ad restitutionem,propter omissionem sequentem; eo quod pœna non sit,ut fructus faciat ~~suos~~ fructus restituat, sed ut fructus non faciat suos ~~fructus~~. Sic ille apud *Dian.p.2.t.12.R.8.V.* infra *art.4.§.6.in fine.*

VIII. Ubi Bulla Pii V. non est recepta, potest videri probabile, beneficiatum ad dictam restitutionem non obligari,ut habet *Sylv.V. Clericus.*

## ARTICULUS III.

### *Quæ excusent à recitatione Horarum?*

Resp. Hæc sequentia. 1. Infirmitas gravis, v.g. dolor notabilis capitis, ita ut sine incommodo, vel incremento morbi,legi non possint. Dixi,*gravis:* quia levis, v.g. dolor stomachi, aut pectoris, vel etiam aliquando febris tertiana, aut quartana non excusat,cum toto die non affligat. Ita *Nav. Fill.Laym.Bon.d.1,q.6.p.1.* Porro taliter excusatus

non

non tenetur, ut quidam volunt, audire alium legentem, nec alium substituere, ut habet *Fill. & Sa. V. Horæ*: si tamen commodè potest, & solet legere cùm socio, tenetur, ut habet, *Less. Bonac. & Dian p. 2, t. 12. R. 41.*

2. Justum impedimentum, v.g. metus proditionis, inter hæreticos. Item gravis, vel repentina occupatio, vel opera charitatis majoris momenti, quam Horæ, quæ sine scandalo, vel gravi incommodo tuo, vel alterius omitti non possint. Quo modo etsi Concionatores, vel confessarii aliquando excusari possint, idque ex benigna Ecclesiæ intentione, ut docet *Sylv. Suar. & Laym. &c.* tenentur tamen anticipare, si possint, v.g. si manè prævideas, te tota die confessionibus occupandum, quæ differri non possint. Ita ex *Suar. & Azor. Bon. l. c. p. 2. & 2. & c. communiter.*

Ex hoc capite dicunt etiam aliqui, non tenente repetere, quod neglexisti, (nec recitando, nec audiendo) dum thurificando ad Magnificat, vel Benedictus, vel libros necessarios circumferendo, vel lectionem mox cantandam prævidendo, vel alia in choro necessaria peragendo, occupatus fuisti. quia Chorus totus pro eo, qui in re, ad officii celebritatem pertinente, occupatur, videtur supplere, & non tantum suo, sed etiam aliorum ministrantium nomine, recitare aut canere. Ita *Laym. l. 4. tr. 1. cap. 5. n. 7. Henr, Sylv. Azor. Sot. Morfesius. Naldus. Arag. Regin. citati à Dian. p. 2. t. 12. R. 13.* Idem de eo, qui choro organis musicis, alternis versibus respondet, dicunt *Nav. Sanc. Arag. & Rodriq.* apud *Laym. l. c.* scilicet eum non

non esse obligatum, ut etiam voce proferat: sed negat *Escob. t. 5. E. 6. v. Trul d. 16.*

3. Cœcitas. *Bon. p. 2 n 4. & c. communiter.*

4. Carentia Breviarii inculpata. Quod si tamen memoriter possis dicere, vel totum officium, vel unam Horam, teneris. Si verò tantum scias psalmos, vel lectiones vel capitula, dicit *Fill. tom. 2. tr. 21. cap. 9, n. 287.* citans *Nav. & Suar.* item *Escobar. E 6. num. 149.* probabile esse, non teneri, quia psalmi ut sic, non sunt Hora Canonica, ad quam tenetur Clericus Idem dicit *Garf. de benef. t. 1. p. 2. cap. 1. n. 221. Mald. in 2. 2. t. 10. c. 2. d. 5. & Ioannes Sancius in select. d. 15. n. 1. citati à Diana.* eo quod lectiones, & Capitula sint pars (licet minor) maximè principalis, ita ut absque illis, non sit officium Canonicum. Idem concedit *Sanch. l. 1. c. 19.* in Matutino festi duplicis, vel semiduplicis, *v. Bon. p. 2. n 6, Dian. p. 2. t. 12. R. 30. & 43.* Verum hæc probare non ausim, sed potius quod docet *Bon. d. 1. q. 6. p. 2.* impeditum ex aliqua dictarum causarum, si possit dicere partem notabilem, ad id teneri, alias ad nihil. Denique si quis careret breviario, quo uti solet, v. g Romano, teneretur legere aliud, quod habere potest: quia per utrumvis impletur substantia præcepti. *Creus. Escob. Dia. p. 9. R. 25.*

5. Dispensatio: quam sine causa, solus Papa dat validè; cum causa, Episcopi. Et sic subdiaconum, qui ex dispensatione Pontificia ducit uxorem, hoc ipso liberari ab onere horarum, contra *Bon. & Azorium*, docet *Sanch. de mat. l. 8. d. 8, Dian. p. 8. t. 3. R. 34.*

Et meritò, v. 54. Inn. XI.

ARTI-

## ARTICULUS IV.

### *Quomodo recitandæ sint Horæ?*

Resp. In recitatione Horarum sequentes circumstantiæ sunt servandæ: 1. Ut recitentur juxta præscriptum Breviarii Romani jussu Pii V. editi saltem publicè. Excipe Religiosos, qui habent peculiare Breviarium ordinis; & Ecclesias quæ 200. annis ante institutionem Breviarii per Pium V. peculiare habuerunt: eæ enim sine consensu Episcopi illud mutare non possunt. Privatim tamen omnibus, etiam regularibus, probabile est licere, ex consuetudine, uti Romano, ut docet *Less. cap.* 37. *d.* 12. *Rodriq. & Sa, V. Horæ, Bon. d.* 1. *q.* 3. *p.* 1. Adde, quod qui eo utitur, ne quidem in choro obligetur ad psalmos pœnitentiales, graduales, officium defunctorum, (excepto die animarum) officium tamen B.V. in choro recitari debet, ubi est consuetudo. Ita *Fill. & Bon.* ex Bulla Pii V. & Clementis VIII. Item tenetur ad Litanias diebus Rogationum; tum qui sunt pars officii eo die; tum quia peculiaris de ea re est constitutio. Ita *Bon. l. c. ex Fill.* Etsi contrarium probabile esse dicat *Dian. p.* 2. *tr.* 12. *R.* 42. *ex Vasq.* item *Esc. t.* 5. *E.* 6. Quod si autem ex inadvertentia, vel necessitate, v.g. quia lectiones de festo nullas habes, officium mutes, ita ut dicas de feria, quando erat dicendum de Sancto, vel contra, nullum erit peccatum, nec obligatio repetendi, licet consultum sit repetere ea, quæ ad proprium officium pertinent:

nent: si verò studio idem mutes, aliud sentiendum videtur, cum ratio non sit eadem: Quanquam quod eo casu venialiter tantum pecces, nec tenearis repetere, vel restituere quidquam, eo quod substantia præcepti sit impleta, probabile esse censeat *Escob. t. 5. E. 6. c. 5. Dian. p. 3. t. 12. R. 3.* Item *Cajet. Sylv. Binsf. Azor. Val. Less. Fill. &c.* citati *à Bon. d. 1. q. 1. p. 1. n. 17. & Dian. l. c.* contra alios multos quos citat & sequitur *Barbosa. Laym.* verò *l. 4. t. 1. cap. 5. num. 4.* cum *Suar.* limitat, nisi per fraudem quasi, multo longius in multo brevius, v. g. paschale mutetur: aut idem pro libitu toto anno dicantur; quia est gravis inordinatio. *v. Trul. d. 14. l. 11.* ubi docet, eum, qui per errorem, legit hodie de Sancto, qui eras v g. colitur, posse eras legere de Sancto, qui hodie celebratur, ne is hoc anno omittatur; imo hodie celebratur; imò ita faciendum esse vult *Quintan. t. 8. sing. 10.* Verum contrarium rectius tenet *Villolab.* eo quod præstet semel quam bis errare: idque multis bene confirmat. *C. Lugo Resp. mor. l 5. d 8.* Similiter eum, qui per errorem, vel oblivionem de festo duplici, vel semiduplici non recitavit de proprio, posse de eo legere primo die non impedito 9. lectionum officio, docet idem *Quintan. t. 8. n. 9.* esse probabile. Verum & hoc merito rejicit *C. Lugo l. c* & ipse *Quinta.* contrariam sententiam agnoscit probabiliorem. Denique qui in aliquibus horis erravit, (legendo v.g. de feria, quando erat de festo, vel contra) agnoscens errorem, non debet eum continuare, sed reliquas horas legere juxta officium eo die currens, ut in iis saltem conformet

formet se toti Ecclesiæ, vel communitati, cuius est pars, & observet legem, quantum potest, C. *Lugo l. c.*

2. Pronunciatio vocalis exterior; ea enim est de substantia præcepti: Etsi quidem cum socio legis (quod rectè fit, & est conforme primæ institutioni Ecclesiæ, ac publico orandi ritui, estque licitum etiam si is ad eas non obligetur, nec interius attendat, *Bon.q.3.p.2.* §.1. ea pronunciatio adhibenda est, ut ab eo exaudiri possis, eumque audire vicissim, Sa, tamen *V. Horæ*, putat satisfieri, etsi quædam non percipias, quæ à socio dicuntur; neque ideò aliquid scrupulosè repetendum esse: si vero solus legas, ita legendas esse, ut audire te ipsum possis, docet *Regin.* & *Suar*, sed probabile est, id non requiri, cum Ecclesia id non præcipiat: ut docet *Azor. p.1.l.10.c.11.q.4. Bon.* & *Dian. resol.11.* admittitque *Fill. tr.23.c.3.num.* 117. pro scrupulosis. Si plures duobus recitent officium simul non debet unus unum, alter alterum, tertius tertium versum recitare, sed alternatim facto duplici tantum choro, sive plures sint ex una parte, sive pauciores quia sic habet usus, & praxis Ecclesiæ: secus est de lectionibus, quarum primus primam, secundus secundam, tertius tertiam recitat, (imo alicubi consuetudo permittit, ut omnes ab uno recipientur) aliis audientibus, *Bon.d.1.q.5.p.2.* §.1. *ex Suar. Azor.* & *Laym.* addens etiam satisfacere eum, qui lectiones, vel orationes, vel capitula, vel responsoria tantum audit, & non recitat, *v. Bon. l.c. Trullen. d.16. num.* 17.

3. Pro-

3. Pronunciatio integra, sine syncopa, & abbreviatione verborum & syllabarum, & absque præcipitantia. *Bonac.d* 1.*q*.3.*p*.2.§.1. Ex hoc tamen defectu in publico facilius peccari potest mortaliter, ratione scandali, & severioris præcepti Ecclesiæ, quam in privato. *Azor. & Fill.t*.2. *l*.2 3.*cap*.2, *Escob. Dian.p*.2.*t*.12. *R* 32 ubi addit. 1. Eum, qui cum tali, qui ultimas syllabas abscindit, recitat officium, satisfacere suo officio nec teneri repetere 2. Quando in cantu, propter nimiam celeritatem & abscissionem syllabarum (vel alia de causa) audientes non possunt verba percipere, & attendere, ordinarie tantum esse peccatum veniale, neq; obligari aditeratam recitationem officii; nisi adsit contemptus, vel grave scandalum, seu notabilis corruptio, & deformatio verborum, in toto cantu, *v Dian.l.c. Sylvium, & Trul. d*.15. ubi ex *Nav. Azor. Less. & Palao* negat satisfacere eos, qui cum sociis recitãt ita festinanter, ut nondum expletis à socio versiculis, ipsi incipiant; quia pars, quæ anticipatur, non communicatur cum socio, qui eam audire nequit. Excusat autem ex *Nav. Sa. & Suar.* surdum, qui alios in choro canentes non intelligit, nec sequi potest.

4. Pronunciatio continuata unius Horæ: si autem interruptio notabili tempore, sine causa, fiat, erit tamen veniale tantum, ut ait *Fern. Laym.* & *Less. d*.10. quia singuli psalmi suam completam significationem habent: si justa ex causa fiat, nulla culpa erit, nec repetenda priora. Quod verum est, etiamsi animo repetendi interrupisses: consilii tamen est, si interruptio longa esset, re-

petere ab initio psalmi vel nocturni: imo probabile est, nocturnos singulos separatim saltem intra trium horarum spatium dici posse, (quod certum videtur, si justa causa concurrat) quia secundum quosdam antiquitus ita fiebat, ut docet *Filiutius tr. 23. c. 6. & Bon. q. 5 p. 3. Escob. &c.* Addit *Quintanad. t. 8. f. 3.* lectiones, sive tres sint, sive novem posse absque culpa gravi, sine causa, & cum hac absque ulla culpa dividi à psalmodia ejusdem matutini. Divisio autem matutini à laudibus, non excit interruptionem officii; unde privatim fieri potest sine causa *Dian. p. 5. t. 14. R. 48. ex Bon. Fil. Sanch. &c.* Item *Trul. l. 1. c. 7. d. 11.*

5. Ne invertatur ordo Horarum absque justa causa: quod si tamen fiat, erit tantum veniale, quia ordo iste, saltem extra chorum, non est sub præcepto, nisi secundario, & tanquam circumstantia minoris momenti. Quod si autem per inadvertentiam, vel ex justa causa mutes, v. g. cum amico, vel ægro, qui tecum legere cupit, satisfacias, nullum erit peccatum: vel si in Choro dicantur posteriores Horæ, cum tu necdum dixeris priores; vel si inter orandum advertas te aliquid omisisse, vel priorem Horam nondum dixisse: perge enim, & supplebis in fine. Similiterque, si cantus vel necessitas instet Horas dicendi, potes dicere Laudes, dilatis lectionibus, vel aliquo simili, quod ad manus non est, *v. Bon. q. 3. p. 4.*

6. Ut, nisi justa causa excuset, dicantur tempore præfixo à jure, vel consuetudine: quæ nunc obtinuit, ut Matutinum, & Laudes, absoluto Completorio in Ecclesia, hora circiter quarta, & secundum

cundum *Bon.* etiam tertia dicantur: & hieme quidem media hora ante solis occasum dici posse, ait *Fill.* ex communi sententia; cum etiam privilegium quibusdam concedatur, ut hora ante occasum dicant. Quod tamen non est signum, id sine privilegio fieri non posse: quia talia sæpe dantur ad tollendos scrupulos, & dubia, quæ sequuntur ex varietate opinionum. Juxta eandem sententiam non peccabit, ait *Bon.* qui primam, tertiam, sextam, & nonam, duabus vel tribus horis post ortum solis dicit: tum quia est moderata & consueta propositio; tum quia tempus à jure præscriptum magnam latitudinem; teste consuetudine, habet: erit tamen venialc, Matutinum, sine causa, ad vesperum differre, vel ante prandium, sine causa Vesperas & Completorium dicere; quia hæc est insueta inversio. In Quadragesima autem Vesperæ legi possunt privatim post prandium, cum rubrica breviarii feria IV. Cinerum non imponat præceptum, *Nav. Sanch. Trul. d* 18. *n.* 6.

Dixi, *sine causa*: quia si iter aliave causa urgeat, secundum *Cajet.* & alios, omnes Horæ mane dici possunt, usque ad Vesperas inclusive. Denique ad evitandum mortale, sufficit dici omnes à media nocte, usque ad alteram mediam noctem: præterquam quod Matutinum pridie possit anticipari. Quod si intra dictum tempus quis Horas non dixerit peccavit quidem, non tamen tenetur post modum dicere; quia sunt onus affixum à

diei, etsi supplendo possit, secundum quosdam restitutionem subterfugere, eo quod rependat æquale. *Molfes. 3. tom. 2.* item *Major. Palud. Ludo ma, &c.* apud *Henriq. l. 13. c. 13. Bon. d. 1. q. 5. p. n. 3.* ubi dicit, eam sententiam esse probabilem citatque pro ea *Suar. & Fill.* sed male, quia hi vo loquuntur tantum de primo medio anno; vel sc ctato solo jure ~~positivo~~ *natura & secluso jure positi* quitur. *Quintan. t. 8. s. 8.* vocatque veriorem co traria. Vide etiam *Dian. p. 2. t. 12. R. 24.*

7. Ut devote, & cum attentione interna vi tuali saltem, recitentur, sive ea ad Deum sit, si ad sensum verborum, sive, ut ait *Cajet.* ad verb solum. Quam postremam sufficere, recte not *Less.* supposito tamē animo orandi, & vacādi De Unde attentionem confusam saltem ad Deum, & ad verba includit, cum alioqui attentio præcis ad sola verba, nihil ab externa attentione differ videatur. Ita commun. contra *Nav. Sylv. & Co* qui nullam attentionem internam requirunt, se tantum externam, quæ excludat omnem actio nem incompossibilem cum attentione interna licet animo voluntariè inter ea distrahatis. Qua sententia, secundum *Laym. & Less* non est im probabilis, & utilis, tum scrupulosis, tum con fessariis, ne beneficiatis sine attentione Hora recitantibus, impetrent restitutionem fructuum partim ob Doctorum Authoritatem, partim quod hoc præcepto tantum materiales quæ dam preces, earumque externa pronunciatio (per quam, sicut per hymnos organo cantatos, Deo aliquid Ecclesia potest impetrare) præcip

videa

videantur; devotio vero tanquam finis præcepti extrinsecus ad ejus substantiam non pertineat. Verum nostra sententia est communior; & probabilior. Et probatur: sine oratione enim interna, nulla est oratio; ergo hoc ipso, quod sub mortali ad orationem obligaris, sub mortali item ad aliquam attentionem ex prædictis obligaberis. Nec refert, quod Ecclesia non possit per se actus internos præcipere; potest enim eos præcipere, ut sunt necessarii ad actus externos debite præstandos, ut sint actus virtutis. Quo modo cum possit præcipere confessionem, potest etiam contritionem. Dixi, *cum attentione interna virtuali saltem*: etsi enim melior sit actualis, sufficit tamen virtualis; quam *Bon.* & alii communiter dicunt manere ex actuali, quamdiu non revocatur expresse, vel tacite per distractionem voluntariam, vel actionem cum debita attentione incompossibilem. Unde licet involuntarie distraharis, virtualiter tamen attendis. 1. Si in genere intenderis officium dicere, modo consueto, vel animo laudandi Deum; vel satisfaciendi tuo muneri. 2. Si cum confusa aliqua apprehensione & proposito opus consuetum faciendi recites, *v. Bon. d. 1. q. 3. p. 3.* Ex dictis resolves.

I. Is, qui dubitat ob evagationem mentis, an aliquid omiserit, si probabilem conjecturam habeat, se dixisse, vel quia proposuit initio attendere, vel quia se reperit in fine v. g. psalmi, præsumere potest, se dixisse, si ex libro, vel memoria, cæteroqui non errare solita, dixit, proindeque melius erit, si non repetat, ad vitandas anxias con-

consuetudines, & scrupulos, & ut totum officium sine perturbatione decurratur. Ita *Binsf. c. 11. d. 13. Laym. c. 5.*

II. Qui sponte distractus nullam harum attentionum habuit, graviter peccavit, teneturque secundum sententiam communem Horas repetere, nec fructus facit suos: quia non fecit opus præceptum, quod erat, ut devote oraret. *Sotus, Nav. Regin. Fern. Suar. Bon. & Trul. l. 1. c. 7. d. 17.* ubi ex *Nav.* addit, non excusari à mortali eum, qui recitationem horarum ita differt, vel ita se componit, ut advertat se somno præoccupandum; v.g. si Completorium vesperi reservet dicendum in lecto, sciens se tunc somno solere obrui. Quidam tamen Doct. paulo ante citati negant, eo casu necessariam esse repetitionem; eo quod substantia operis sit impleta, absque circumstantia devotionis. Multoque magis ac probabilius iidem negant, obligationem restitutionis; eo quod ad illam tantum teneantur, qui officium omiserunt, non qui distracte dixerunt. *v. Bon. l. c. Less. Laym. & Dian. t. de Horis R. 1. & 2. Escob. tr. 5. E. 6. c. ult n. 62.*

III: Cum recitatione officii conjungere actiones, quæ notabiliter non impediunt, (v.g. induendi, abluendi) veniale est, si fiat sine causa; alias mullum, *Escob. l. c. cap. 7.* Qui vero advertenter occupat se aliqua re incompossibili cum attentione interna, v.g. scriptione, lectione, &c. graviter peccat, & præcepto non satisfacit; atque adeo tenetur repetere, *Nav, Suar. Bon. Trul. l. c. vid. infra lib. 5. c. 3. dub. 7.*

Du-

## DUBIUM III.

### *Quid Clerici possint circa dispositionem fructuum suorum Beneficiorum?*

Resp. I. Clerici beneficiarii, quoad eam partem bonorum Ecclesiasticorum, quæ necessaria est ad congruam sustentationem, & decentiam status, ita fiunt domini, ut de iis possint libere disponere. Ubi recte notat *Navar.* hanc congruitatem & decentiam habere latitudinem, & suos gradus; proindeque, si infimum congruæ sustentationis pretium sint floreni 300. medium 400. summum 500. Clericus autem infimo vivat, de reliquo libere posse disponere. Ita *communiter*: quia id acquisivit ut stipendium sustentationis, quasi mercedem operis præstiti.

Resp. II. Probabilius etiam est, contra *Navar.* & *multos Canonistas*, Beneficiarios non regulares (secus enim est de regularibus, ut v. *Lugo t. 1. d. 4. s. 1. n. 2.*) absolute esse dominos omnium suorum proventuum, ideoque etsi in profanos usus expendant, non teneri ad restitutionem. Est communior inter recentiores, apud *Binsf. Maldorum & Bon. d. 4. p. 1.* ex *S. Tho. Soto. Mol. &c.* tum quia fructus faciunt suos, ut supponit *Trid. sess. 24. cap. 12.* tum quia alioqui non possent fructuum dominium in alios transferre, (extra pios usus) omnesque eorum donationes, contractus essent invalidi, & ut tales à judice declarandi, & bona Ecclesiæ restituenda: quod cum nun-

quam sit factum, præsumi non debet esse faciendum *C. Lugo d. 4. num. 1.* Quo non obstante, teneri eos ad bona Ecclesiastica, congruæ sustentationi superflua, expendere in pios usus, tam est communis sententia, ut C. *Lugo d. 4. num. 10.* dicat, nimis singularem esse sententiam *Petri Hurt. & Dian.* dicentium, eos satisfacere, si (seclusis gravibus necessitatibus) erogent in communibus necessitatibus, quartam partem redituum Ecclesiasticorum, vel certe dimidium ejus, quod congruæ sustentationi supereſt. *v. C Lugo l. c.* ubi plurimis pro se citatis Auth. ostendit, *Toletum, Mol. & Ban.* male citari pro contraria sententia; imo ipsummet *Hurt. & Dian.* in ea non persistisse, atque nulla vel authoritate, vel ratione fulciri: ac denique suam multis probat, præsertim ex *Trid. sess. 21. c. 5. de ref.* ostenditque, istam obligationem nasci ex jure, non tantum humano, sed etiam divino naturali. Vide etiam *Bon. l. c. p. 2.* Porrò congrua sustentatio Clerici censetur, quæ necessaria est, ad status & familiæ sustentationem, secundum conditionem status, gradus, dignitatis, qualitatis, & regionis, in qua habitat, *Bon. l. c. Mol. Laym. C. Lugo, &c.* Unde resolvuntur hi Casus.

I. Congrua sustentatio non est æqualis respectu omnium: quia plus requirit Episcopus, quam Diaconus: Decanus, quam Canonicus; Canonicus in Ecclesia principali, quam Parochus; debilis & tener, quam robustus & valens: & quod sufficit in uno loco, non sufficit in alio. Quapropter attendi debet ad usum aliorum timoratæ con-

conſcientiæ, in eodem gradu, &c. Nec obſtat, quod Beneficiarius emerſerit ex humili; quo minus poſſit ſtatui ſuo convenientes ſumtus facere, ut ex *Molin.* docet *C. Lugo l. c. v. Bon. l. c. n. 8.*

II. Nomine congruæ ſuſtentationis, etiam intelligitur debita hoſpitalitas, non tantum in pauperes peregrinos (qui maxime commendantur Clericis à Trid.) ſed etiam urbanos. *C. Lugo num. 66.*

III. Debita quæ Clericus contraxit pro ſua ſuſtentatione, vel ob piam cauſam, poteſt ſolvere ex reditibus Eccleſiaſticis, non item, quæ contraxit ante Beneficium obtentum, niſi ſit pauper. Ib. n. 67.

IV. Poteſt Clericus ex bonis ſuperfluis, licite in ſtudiis alere ſuos conſanguineos, ſi aliunde non habent; eo quod parentes vel nolint, vel non poſſint alere in ſtudiis. *Ib. & Bon. p. 2. n. 13.*

V. Si habet ſorores pauperes, vel filios ſpurios, ex fructibus Beneficii dotare licet, ſi aliunde non poteſt; quia naturali jure debet illis alimenta, in quorum locum ſuccedit dos. *Mol. Binsf. &c.* Cavendum tamen ſub mortali ne vel illas notabiliter ſupra ſtatum exalter; vel legitimis æquet: etſi nobilis plus poſſit dare, quam alius infimæ ſortis, *v. Laym. l. 4. tr. 2. c. 3. n. 4.*

VI. Si bona ſuperflua expendat in uſus profanos, v.g. in venationes, canes, equos, paraſitos, ludiones, luxum, in amicos, cognatosque ditandos, &c. (quod intellige de quantitate notabili in genere prodigalitatis, quæ longe major eſt, quam in genere furti) graviter peccat quidem, non ta-

men tenetur ad restitutionem; quia est dominus fructuum, & consequenter neque is, qui accipit, ita contra *Navar.* &c. communiter Doct. alii ex *Trid. sess. 21. cap. 2. Azor. t. 2. l. 7. c. 8. q. 2. v. Laym. l. 4. t. 2. c. 3. n. 4. Bon. d. 4. pag. 2. num. 9. & pag. 4 n. 1. &c.*

*Quares 1.* Quæ teneantur in pios usus expendere? *Resp.* Ea omnia, quæ acceperunt, sive ab Ecclesia, sive ab aliis, tanquam procuratores cultus divini; non autem illa, quæ in cultum divinum oblata non sunt, vel jam ab Ecclesia in cultum divinum sunt expensa. *C. Lugo d. 4.* Ratio, quia prima habent annexam obligationem religionis, posteriora non: vel si habuerunt, ea jam est extincta per expensionem in pios usus. *Unde resolvuntur.*

I. In profanos usus expendi possunt à Clericis bona patrimonialia; eaque, quæ hæreditate, industria, donatione, aliove modo, ut Laici, acquirunt. vivendo interim ex Beneficiis. Item quasi patrimonialia, hoc est, quæ acquirunt quidem ut Clerici, non tamen ut reditus Beneficii, sed ut stipendia alicujus officii Clericalis, v. g. ratione concionis, pro Missa, funere, officio defunctorum, administratione Sacramentorum, anniversariis, &c. *Sanch. C. Lugo l. c. n. 23. Bon. p. 2. n. 19.*

II. Probabilius est, in profanos usus posse expendi distributiones, sive præsentias (ut vocant) quæ Beneficiariis ob præsentiam in Choro distribuuntur. Ita *Sylv. Bon. C. Lugo n. 24. Bon. p. 1. n. 3* contra *San* &c.

III. Fructus, qui dantur ob Capellaniam, vel Vica-

Vicariam non collativam, sed ad nutum amovibilem, possunt expendi in usus profanos: quia non sunt fructus Beneficii, (hoc enim confertur per collationem Canonicam) sed bona quasi patrimonialia, *v. C. Lugo n.* 28.

IV. Probabiliter etiam Pensionarius licite suam pensionem expendit in usus profanos: quia eam Papa extrahit ex reditibus Beneficii, & dat alteri, qui id Beneficium non habet *C. Lugo l. c.* contra *Bonac. &c.* Secus est de eo, qui Beneficium habet in commendam, quia substituitur loco Beneficiarii. Ibid.

V. Partem, quam Clericus parce vivendo, sibi servat ex congrua sustentatione, licite expendit in usus profanos; quia expensa est jam ante in usus pios. *Ibid. & Bon. d. 4. pag. 2. num. 14. ex Molin.*

*Quæres II.* Quid intelligatur nomine usus pii? *Resp.* Qui vel ad cultum divinum, vel misericordiam spiritualem, aut corporalem ordinatur: v. g. ad cultum templorum, necessitatem pauperum, hoc est eorum, qui non habent necessaria, sive ad naturam, sive ad statum servandum: item in usum religiosorum, in Capellanias, Missas, suffragia pro defunctis, hospitalia, &c. *Unde resolvuntur sequentes Casus.*

I. Si Clericus superflua expenderit in usus profanos, v. g emerit bona immobilia, non potest hæc retinere; quia obligationi, bonis iis annexæ, non satisfecit, & adhuc potest satisfacere, cum bona empta pretio æquivaleant, *C. Lugo n.* 43. *vid. Bon. n.* 20.

II. Qui in usum profanum à Clerico bona accipit dono ex superfluis, potest excusari à peccato, si eum non induxit ad talem donationem, neque per eam Clericus redditur impotens, ad superflua expendenda in usus pios, *v. C. Lugo n. 40.* Quia Clericus ex patrimonialibus, vel quasi patrimonialibus potest substituere.

III. Clerici quidem ex consuetudine multis locis recepta, licite possunt testari de reditibus Beneficiorum, non tamen nisi ad causas pias: etsi enim ubi consuetudo invaluit, etiam in usus profanos valide testentur, peccant tamen mortaliter. *v. Less. l. 2. c. 19. d. 4. Laym. l. c. Bon. d. 4. p. 3. n. 2 & 5. Trid. sess. 22. c. 1. de ref.* & sequitur ex dictis. Nisi tamen fecerint cum facultate Papæ; quæ licet superveniat testamento jam condito, facit tamen illud convalescere. *Sanch. Salas, Dian. p. 8. t. 3. r. 99. v. supra l. 3. t. 5. c. 4.*

## DUBIUM IV.

### *Quis sit habitus Clericorum, quæ artes, officia, actiones iis prohibeantur?*

Resp I. Clericos majoribus ordinibus initiatos, vel etiam minoribus, si habeant Beneficium, quoad habitum obligari ad ferendam tonsuram, & vestem Clericalem, quæ non debet esse virgata, in qua diversi coloris virgæ ducantur, nec partita seu dissecta.

Resp. II. quoad artes, prohibetur macellariorum, tabernariorum, jaculatorum, quorum etiam ludis, uti & hastiludiis, prohibentur interesse. Item medicorum aut chirurgorum, ubi opus incisione

cisione aut adustione, nisi, ut habet *Navar.* erga pauperes aut propinquos, aut in necessitate.

Resp. III. Quoad officia, prohibetur (si sint Beneficiati, vel initiati sacris) officiū Judicis in causa sanguinis, Advocatorum, Patronorum, Tabellionum, seu Notariorum, in placitis secularibus. Quod addo, quia in specialibus quibusdam casibus hæc licent, v.g. advocare pro Ecclesia, pro personis non debet se immiscere negotiis sæcularibus, *Sayr. l.* 18. *c.* 25. *n.* 6 (qui tamen concedit instrumenta ab eo facta valere,) *Bon. in præcep. d.* 10. *q.* 3. *p. ult. Lay. l.* 2. *t.* 1 *c.* 8. *n.* 4. & notat, consuetudine inductū esse, ut officio Cancellarii, Consiliarii. imò etiā Judicis fungi possint in causis civilibus.

Resp. IV. Quoad actiones, prohibentur arma portare, nisi in itinere, tabernas intrare, venationi clamosæ vacare (quod addo, quia venatio sine strepitu, recreationis causa permittitur) accipitres vel falcones alere pro venatione, aleis aut taxillis ludere, mercaturam aut negotiationem lucri causa, (non tamen necessitatis) exercere, cohabitare mulieri, nisi sit mater, soror, amita, aut certe talis, quacum nullum periculum aut scandalum immineat. *Less. l.* 2. *c.* 5. *d* 9. *n.* 40. *Cajet.* tamen *V. Clericus*, contra *Angl. & Nav.* docet horum & similium transgressionem non esse mortalem, si absit temeritas, contumacia, contemptus & scandalum, *v. Laym. lib.* 5. *tr.* 8. *cap.* 12. *n.* 2. *&* 3. Nec refert, air, quod transgressor sit excommunicandus; quia hæc pœna est sententiæ ferendæ, quam non nisi contumax post monitionem incurrit. Quod tamen universim *Nav.* putat esse laxius, maxime

eum Canones utantur verbo, *præcipio*. Unde ait esse mortale, si habitum vel tonsuram non gestent. Quod restringit *Bon. disp. 8. de sacram. q. 1. p ult. n. 8.* si sint initiati majoribus ordinibus, aut habeant Beneficium, & tonsuram, vel habitum longo tempore, absque justa causa, non gestent, tunc enim peccare mortaliter; citatque pro se *Regin. Navar. Henriq. Vasq.* Negat tamen *Sylv. & Laym. l. c.* si non sit notabilis excessus supra loci consuetudinem. Negotiari verò esse mortale, concedit idem *Laym. lib. 3. tr. 4. c. 17.* & alii commun. Sed de hoc *vide supra lib. 3. cap. 3. dub. 7. de emptione & venditione.*

## Caput III.

### *De statu & officio personarum secularium quorundam, præsertim judicialium.*

### DUBIUM I.

### *Quæ requiruntur ad legitimum judicium?*

Resp. Hæc tria. Primum est. Jurisdictio, sine qua sententia nulla est, & peccatur mortaliter, ut ex *D. Thom. 2. 2. q. 60.* habet communis. Quare peccat Judex sæcularis, si personas, aut causas mere Ecclesiasticas, ad se trahat: uti & Ecclesiasticus, si mere civiles. Nisi forte per accidens, ob defectum justitiæ in foro sæculari, aut nisi sint causæ miserabilium personarum. Porro quæ causæ dicantur mere civiles, quæ Ecclesiasticæ, &

quæ

quæ mixtæ, nosse oportet judices, & jurisperitos, potestque videri apud *Laym. l. 4. c. 2. v. Card. de Lugo d. 37. s. 3.*

Secundum, Rectus processus, v.g. ut citetur Reus, & audiatur &c. Nisi forte expediat aliquando, cum delicta sunt atrocia, in flagranti crimine deprehensos subito plectere, vel in criminibus exceptis, communem procedendi modum mutare: nam Judici supremo (dummodo crimen sit publicum) aliquando licere, sine citatione, defensione, & omni processu, Reum morti adjudicare, eo quod factum notorium, & publicum sit loco accusatorum & testium, neque Reo jus defendendi se in judicio relinquat, docet *Navar. c. 25. n. 10. Less. Fill. Bon. d. 10. in præcepta, q. 2. p. 2. n. 5. v. etiam Card. de Lugo d. 37. s. 5. Trul. l. 8. c. 1. d. 13.* Ubi tamen bene notandum, quod etsi talia crimina excipiantur à communi dispositione legis, seu *positivæ* juris naturæ: ideoque graviter peccare judicem, qui in tali processu, v.g. contra sagas, quidvis licere putat. *v. Cautionem criminalem, cap. 17. 18. 37. & seq.*

Tertium, Recta intentio, ut scilicet procedatur ex intentione justitiæ. Unde si Judex procedat ex odio aliove fine malo, v.g. ob inanem gloriam, peccabit, non quidem contra justitiam, sed charitatem, aliamve virtutem, mortaliter aut venialiter, prout finis illius mortalis, aut venialis erit. *Bon. d. 10. q. 2. p. 3.*

DU-

## DUBIUM II.

### *De Potestate & Officio Iudicis?*

### ARTICULUS I.

### *Quid requiratur in Iudice?*

Resp. I. Præter tria dicta superiore dubio, requiritur scientia, quâ sciat suo munere recte fungi. Ita commun. Doct. & *Bon. d. 10. q. 2. p. 3.* Ratio est, quia quilibet tenetur scire ea, quæ pertinent ad propriurn officium, & sine quorum cognitione munus suum, & officium exercere non potest. *Unde resolvuntur sequentes Casus.*

I. Petens, aut suscipiens officium Judicis (idem est de Medico & Chirurgo, ut *v. infra dub. 7.*) quo indignus est, ita ut probabile sit, inde notabile damnum proximi secuturum, peccat mortaliter. *Nav. c. 25. Anton. Card. de Lugo d 37 n. 1.*

II. Judex carens necessaria scientia, non debet absolvi, nisi facta renunciatione officii, vel nisi firmum habeat propositum renunciandi. Ita *S. Thom. 2. 2. q. 76. a. 1. Cajet. Clavis regia l 12. c. 3. num. 2. Regin. l. 23. n. 675. Nav. c. 25. Farin. 3. p. q. 3. a. 16.* Ratio, quia nullus potest officium, cujus munia obire non potest, retinere, præsertim cum damno vel periculo proximi.

III. Si Judex ex magna imperitia male judicet, tenetur ad interesse parti læsæ, & ad expensas litis: uti etiam, quotiescunque notabile damnum, sive

sive in substantia litis, sive in superfluis expensis, propter ejus culpabilem ignorantiam, partibus litigantibus accidit, *Bon. Card. de Lugo ll cc.*

IV. Si Judex agnoscat errorem à se (etsi sine gravi culpa) commissum, in præjudicium litigantis, tenetur, si potest citra infamiam, impedire errorem: v.g. monendo occulte partem læsam, ut sibi appellatione, vel aliter consulat. Quia id pertinet ad debitam muneris executionem, *Card. de Lugo l. c n. 3.*

Resp. II. Judex tenetur causas judicare, & celeriter expedire. Quia ex officio tenetur cuique tribuere suum. Quod non facit, si sententiam sine justa causa differt. *Unde resolvuntur sequentes Casus.*

I. Judex mortaliter peccat contra officium suum, differendo valde notabiliter causarum expeditionem, sine justa causa, *Sylv. V. Iudex q. 12. Clavis reg. c. 12. n. 8. Nav. c. 25, n. 14. &c.* cum *Bon. d. 10. q. 2. p. 3.*

II. In casu dicto, idem Judex tenetur parti læsæ damna & expensas, quæ ex iniqua dilatione secutæ sunt, restituere: quia est earum injusta causa. *Ibid. Auth. ll. cc.*

III. Si Judex in exequenda causa, & proferenda sententia negligens, aut iniquus sit, non tantum parti læsæ, sed interdum etiam fisco tenetur ut v.g. si mulctam pecuniariam, quam ex consuetudine, vel lege communi debebat imponere Reo, sine causa remisit, *S. Thom. 2. 2. q. 67. a 4. ad 3. Sylv. V. pœna. q. 28. Salon. Laym. l. 3. t. 2. c. 5. n. 7.* contra Azor.

ARTI-

## ARTICULUS II.

### *Quid Iudici servandum circa inquisitionem?*

Tribus modis procedi potest contra criminosos. 1. Via accusationis, cum est aliquis actor, qui spondet se objecta probaturum. 2 Via denunciationis, cum deferens crimen, non vult suscipere onus probandi. 3. Via inquisitionis, quæ triplex est. 1. Generalis, quando in genere quæritur, an leges serventur, 2. Specialis, quando de certa persona, & certo crimine quæritur. 3. Mixta, quando vel sola persona, vel crimen solum est speciale, ut si quæratur, quis Cajum occiderit.

Resp. I. Judex sine ulla data occasione, ex solo officio suo, potest instituere inquisitionem generalem, in qua tamen ejus potestas non extendit se ad occulta elicienda, de quibus nulla est fama. Ratio prioris est, quia id necessarium est Reipub. nec cuiquam fit injuria. Ac licet quorundam scelera detegantur, id fit per accidens, præter intentionem, cui incommodo bonum commune prævalet. Ratio posterioris est, quia inde maxima sequerentur incommoda. *Farin. Less. l. 2. cap. 28. d. 13.* Unde resolves.

I. In hac inquisitione, subditus etiam rogatus sub juramento. non tenetur, imò nec potest, prodere crimino sum occultum. *Laym. l. 3. tr. 6. cap. 2. Less. l. 2.*

II. Si talem revelet, peccat contra justitiam, nisi forte cederet non tam in pœnam, quam certam

tam ejus, qui deliquit, emendationem, vel ad grave malum ab aliis avertendum) cum enim crimen, ut ponitur, probari non possit, ac proinde ex ejus revelatione non possit aliud sequi, quam infamia, nullum habet jus revelandi. *Laym. lib. & t. 3, b. 2. c. 4.*

III. Si in hac inquisitione, ex relatione duorum vel trium deprehendatur alicujus criminis auctor, potest per tales testes contra illum procedi, ut habet praxis communis. *Laym. l. 3. tr. 3. p. 2 c. 4 n. 12.*

Resp. II. Quando crimen est manifestum, & ignoratur auctor, licet Judici quærere in genere, quis fecerit, non tamen in particulari, v.g. an Petius fecerit, nisi infamia aliqua, indicia præcesserint. Pars prior patet, tum ex praxi Judicum, tum ex incommodis contrarii. Ratio posterioris patebit ex sequentib. *v. Bon. d. 10. in 8. præcept. q. 2. p. 5.*

Resp. III. Ut Judex faciat inquisitionem specialem, debet saltem regulariter præcedere infamia, vel quid æquipollens, quod justam det causam. Ratio est, tum quia alioqui diffamaret sine causa; tum quia Judex procedere debet ex scientia publica, quam non habet, nisi per accusationem, vel confessionem Rei, vel evidentiam facti, vel per infamiam: ad quam non sufficiunt duo testes, qui jurent se vidisse crimen admitti, quia adhuc est occultum; sed requiritur, ut rumor sit sparsus per majorem partem communitatis, id est, civitatis, viciniæ, vel monasterii, neque à maledicis sit extortus; etsi hac in re tutum sit, sequi praxin communem bonorum virorum, & Rerump-

ut ha-

ut habet *Laym. l. c. & Less. dub. 15. art. 19.* ex aliis *Bon. l. c.* Unde resolves Casus.

I. Antequam Judex procedat ad inquisitionem specialem vi infamiæ, ipsa infamia prius examinari debet, & probari per testes saltem duos, qui nominent personas, à quibus id publice audiverint. *Nav. Rub. de jud. Trul. l. 8. c. 1. d. 17.*

II. Judex infamatum de uno crimine, v.g. adulterio, non potest interrogare de alio, de quo non est infamatus, v.g. furto, quia esset inquisitio specialis sine prævia infamia, *Salon. Cajet. Trul. l. 8. c. 1. d 18.* nisi tamen crimina sint connexa, vel unum sit circumstantia alterius, *lb. & Sanch. 2. p. conf. l. 6. c. 3. d. 21.*

Dixi in Resp. *Regulariter*, quia ad specialem inquisitionem non requiritur infamia prævia in casibus certis, quos v. apud *Less. l. 2. c. 27. d. 15. Bon. t. 2. d. 10. p. 5. Sanch. 2. p. conf. l. 6. c. 3. d. 19. Trul. l. c.*

## ARTICULUS I.

### *Quid liceat Iudici circa quæstiones, sive torturam?*

Resp. I. Ad torquendum Reum (si tamen torqueri potest) requiruntur alicujus gravis criminis ea saltem indicia: quæ faciant semiplenam probationem, id est, reddant rem plus quam probabilem, qualia habentur, v.g. testis unus omni exceptione major, Rei confessio extra judicium, item probabiliter etiam assertio duorum vel trium criminis sociorum, in criminibus exceptis, præ-

præterquam veneficii, (in quo, an ex sola denunciatione complicum, & quomodo procedere liceat. *v. Tann. tom. 3. d. 4. de just. dub. 2. & 3. Laym. l. 3. tr. 6. c. 5.*) item fama publica à viris honestis orta, ac per testes probata, cum alterius judicii adminiculo (nam fama sola non probat, sed habet se instar accusatoris) *Laym. l. 3. tr. 6. c. 5. n. 9.* ex variis. Ratio responsi est, quia tortura instituta est ad subsidium probationis, quando argumenta & indicia sunt valde efficacia, ut sic plena probatio eliciatur: nam confessio Rei (si eam ratificet extra torturam, maneatque in ea usque ad sequentem diem) ex semiplena probatione facit plenam. *Less. l. 2. c. 29. d. 17. Delrio l. 5. s. 3. Laym. l. c.*

Dixi in responsione, *si tamen torqueri potest*: quia quædam personæ prohibentur torqueri, nisi in criminib. exceptis: tales sunt viri in magna dignitate constituti, Officiales Principum, Urbium Gubernatores, Nobiles Equestris Ordinis, Milites, Doctores, eorumque liberi, item impuberes, senes memoria vacillantes, prægnantes, & nondum confirmatæ à partu. *Delrio s. 9. Binsf. c. 6. C. de Lugo d. 37. s. 14.* Unde resolves.

I. Peccat Judex graviter, si non prius omnia alia media mitiora detegendæ veritatis tentet, quam ad torturam descendat.

II. Tortura simpliciter abstinendum est, quando adest plena probatio criminis, quia ad hanc ordinatur tortura, *Nav. Less. l. c.*

III. Insufficientia ad torturam indicia sunt, si cadaver occisi sanguinet ad præsentiam alicujus; & sagæ non possint lachrymari. Item illicita est

proba-

probatio per aquas, &c. de quibus *v. Delrio l. 5. Leſſ. n. 176. Trul. l. 8. c. 3. d. 21.*

IV. Peccant Judices, qui in cauſis criminalibus, aut notabilis infamiæ, Reum comprehenſum, antequam habeant probationem contra ipſum, juramento adſtringunt, ad dicendam veritatem, de omnibus, pertinentibus ad caſum; cui quem comprehenſus eſt, *Nav. c. 18. n. 41. & c. 25. n. 36.* Additque, idem eſſe, ſi (etſi ſine juramento) minis, terroribus, tormentotum oſtenſione, hominem turbent, & implicent, ut ſibi contradicens, circumſtantiam aliquam revelet, qua convincatur & puniatur. *v. Card. de Lugo d. 40. n. 1.*

V. Si Judex extorſerit confeſſionem per injuriam, v. g. ſi torſerit exemptos, ſi ſine ſufficientibus indiciis, ſi dolo malo, mendaciis, ficta impunitatis promiſſione induxit ad fatendum, vel aliter, (ſive quoad ſubſtantiam, ſive quoad modum) notabiliter exceſſerit in tortura, confeſſio nulla eſt, nec poteſt ex ea procedi: imò tenetur Judex ad compenſationem damnorum, ut docet *Card. de Lugo d. 37. ſ. 14. n. 137. v. Leſſ. c. 19. dub. 18. Laym. l. 3. t. 6. c. 5.* ubi etiam dolos bonos, quos *Delrio* ſuggerit Judici, plane rejicit, *v. Tan. tom. 3. d. 4. q. 2. d. 2. Trul. l. c.*

VI. Licet Reus confeſſionem injuſte extortam poſtridie ratificet, nihilominus Judex non poteſt procedere ad punitionem Rei, vel complicis occulti: quia cum confeſſio fuerit irrita, conſequenter etiam ratificatio ex ea orta, ex *L penult. ff. de quæſt.* atque adeo etiam cognitio per illud medium parta, eſt injuſta, *Nav. Salon. Leſſ. Sayr. Resp. Trul l. c. d. 10.*

Resp. II. Gravius torqueri potest, contra quem graviora sunt indicia, non tamen ita, ut moraliter sit impossibile tormenta sustinere, habita ratione personarum. Unde si hic excedatur, confessio extorta erit involuntaria, & habenda pro nulla, etiamsi extra tormenta coram Judice ratificet, metu novæ torturæ, *Laym. c. 5. n. 11.*

Resp. III. Semel tortus, si nihil est fassus, iterum torqueri non debet, nisi nova criminis indicia superveniant: quia per torturam priora elisit. Si vero crimen in tortura fassus, extra eam revocet coram Judice, repeti tortura potest, tum quia indicia manent in suo vigore; tum ob inconstantiam. Si verò tertio tortus ac confessus, tertio retractet, absolvendus est quia præsumendum est, vi tormentorum coactam fuisse confessionem, ideoque nullam. *Less. c. 29. d. 17.* Excipiunt quidam, si indicia sint gravissima, quæ violentam præsumptionem pariant, crimen malitiosè à Reo negari, *Laym. l. c. v. Cardin. de Lugo d. 37. num. 156, Diun. tom. 3. tr. 6. R. 16 & 23. Trul. l. c.* v. infra *hic dub. 6. & 7:* An quando, & quomodo Judex possit interrogare Reum de complicibus, *v. Trul. l. 18. c. 1. d. 22.*

## ARTICULUS IV.

### *Quid servandum Iudici circa sententiam & pœnam?*

Resp. I. Judex debet judicare secundum leges. Unde inferior Judex ordinarie non potest pœnam

nam relaxare, vel minuere, etiam si actor con
sentiat, nisi aliquando ad bonum Reipub. aliu
necessarium esse dictaret Epikia, vel nisi de privat
tantum injuria actoris ageretur, *S. Th. 2. 2. q. 65. a*
*5. Regin. l 25. n. 643. Bon. & c. Trul l. 8. c. 1. d. 12.*

Dixi, *inferior:* quia supremus ob justam cau
sam id potest: sine causa tamen graviter peccaret
secundum *Cajet. V. Iudex*, quia animaret delin
quentes, & concurreret ad peccatum. An autem
liceat intercedere apud Judicem pro liberatione
Rei, *v. Bon. l. c. & Trul. l. c.*

Resp. II. Si in aliqua causa fuit Advocatus, n
eadem Judex esse, & sententiam ferre non potest
*L. eos in princ. c. de appell. & L. Prator. de jurisd.*
quia judicium ejus habetur suspectum, propter
affectum ad unam partem, ut ex communi Doct.
docet *Sanch. l. Cons. c. un. dub. 26.* additque n. 3.
sententiam non fore validam: quod tamen alii
negant, si sit Judex ordinarius) *Card. de Lugo de*
*just. d. 41. s. 1. n. 4. v. etiam Dian. p. 3. t. 3. misc. R. 56.*
ubi ex *Corduba* sentit, talem Judicem in conscien
tia non peccare, si sine affectu, secundum leges
altera parte insciâ judicet.

Resp. III. Quem Judex privatâ scientiâ scit es
se nocentem; si juridice sit probatus innocens,
non potest condemnare: quia judicat ut persona
publica, ideoque sequi debet scientiam publicam
ac procedere secundum allegata & probata, præ
sertim in favorem Rei. *D. Thom. 2. 2. q. 67. Navar.*
*c. 25. Cajet. Ll Less. Bon. d. 10. q. 2. p. 2.*

Resp. IV. Quem Judex privatim scit esse inno
centē, si juridice probatus sit nocens, tenetur omni
modo

modo liberare, si potest, v.g. impediendo accusationem, extrahendo judicium, aperiendo carcerē, (si sine majore malo potest) remittendo causā ad superiorem, & si sic nihil efficiat, probabiliter quidem plurimi Doctores tenent, cum S. *Thom. l. c.* ob rationem paulò ante datam, quòd possit condemnare: verius tamen videtur contrarium, quod cum aliis docet *Less. l. 2. c. 19 d. 10. Sa, V. Iudex. Petrus Nav. Fill. Bon. d. 10. q. 2 p. 2. n. 2. Tol. &c. vid. Card. de Lugo, d. 37. s. 14.* quia directè occidere innocentem, est intrinsecè malum; ergo quomodocunq; sciatur esse innocens; erit peccatum; *Less. l. c.* In causis tamen civilibus, & criminalibus minoribus, ubi tantum agitur de pœnis pecuniariis, potest etiam Judex, secundum hos auctores simpliciter procedere secundum allegata & probata: tum quia innocens per appellationem potest restitui in integrum: tum quia Respub. habet potestatem in bona suorum civium, quando bonum publicum id requirit; in hoc casu, ne forma publicorum judiciorum cum populi scandalo evertatur, *v. Laym. c. 2. n. 8. Less. d. 10. Bon. l. 5. n. 4.*

*Quæres* 1. Quid faciendum Judici, cum utrimq; sunt sententiæ probabiles in quæstione juris, v.gr. an ex testamento minus solemni debeatur hæreditas?

*Resp* Debet ferre sententiam secundum opinionem de jure probabiliorem, saltem si sit Judex supremus. Neque tunc videtur tenendum, quod quidam docent, eum satisfacere conscientiæ, si causam adjudicet defendenti se probabiliter, licet altera probabilius. Ratio, quia Judex est cōsti-

tutus,ut ſecundum merita cauſæ, & ſententiam quæ ei maximè videtur rationi conſona, cauſam decidat,quia alioquin eſſet acceptorperſonarum.

Dixi,*ſi ſupremus ſit*:quia ſi ſententia aliqua communiter ſit recepta in tribunali ſuperiore, Judex inferior videtur ſecundum eam poſſe judicare licet minus probabilem : quia videt probabiliorem,cum honoris ſui præjudicio, revocandam in ſuperiore tribunali, *Laym. l.1. tr.1.c.5.§.3. num. 16. ex Sylv. Vaſq. &c.v.* tamen *Card. de Lugo d. 37.ſ.10.*

Reſp.II.Si opiniones oppoſitæ æquè probabiles videantur, non licebit uni eorum adjudicare totum pro ſuo arbitrio,cum uterq; æquale jus habeat; ſed ſuadebit compoſitionem ; imò etiam imperabit,in caſu nimis intricato; (aliàs enim nó licet)vel uni dimidium,& alteri alterum dimidium juris aut rei,de qua lis eſt,adjudicabit;memor interim axiomatis : quod *ſi partium jura ſint obſcura,potius favendum ſit Reo,quàm actori. ibid. Bonac.de peccatis,d.2.q.4.p.9.*

*Quæres II.* Ad quid teneatur Judex,qui ſententiam injuſtam tulit?

*Reſp.1.* Si dolo,vel(ut dixi *d.2.a.1.*)magna imperitia id fecit,litem fecit ſuam, i.e. damnum partis læſæ in ſe transtulit,cui tenetur reſtituere, *Bon.d. 10.q.2.p.4.ex S.Thom.&c.v.ſupra d.10.a.1.*

*Reſp.II.* Si alioqui dignus ſuo munere,(tametſi id petens impetraverit, aliis dignioribus neglectis) per oblivionem, ex humana fragilitate erraverit, non obligatur in conſcientia ad reſtitutionem ex propriis,cum injuriam formalem non intu-

V.2. Inn. XI.

tulerit; neq; aliquid commodi ex tali sententia acceperit, vel potius (secundum alios) cum culpam Theologicam non commiserit, debet tamen revocare sententiam, si potest sine gravi incommodo, *Laym. l. 3. tr. 6. c. 2. n. 11.*

*Quæres III.* An sententia Judicis injusta obliget in foro conscientiæ?

*Resp.* Sententia injusta ex natura rei, aut ex omissione ordinis juris simpliciter necessarii, sive feratur per falso allegata, & probata, sive ex Judicis iniquitate, nullum habet robur in foro conscientiæ, manetque parti læsæ, tametsi non appellet, jus suum, licebitque, si absq; scandalo possit, recuperare bona, *S. Thom. Sayr. Bon. d. 10 q. 2. p. 4. Trul. l. 8. c. 1. d. 7.* Ratio, quia sententia eatenus obligat in conscientia, quatenus habet rationem judicii, hoc est, ut est determinatio juris, & definitio justi.

Dixi, *in foro conscientiæ*, quia in foro externo, ubi non tam veritas facti, quàm probatio juridica spectatur, sententia prolata servanda est, ad evitãda scandala, & incommoda: neq; elapso termino, (intra quem appellare licebat) actio ei conceditur, lege sic statuente, tum in pœnam pigritiæ, tum ob bonum publicum, ut litium sit finis, *Trul. l. 8. c. 4. d. 7. ex Sayr. &c.* Unde resolves.

I. Is, cujus bona per sententiam manifestè injustam adjudicata sunt alteri, potest (nisi alter juste præscripserit) per occultam compensationem ea recipere, quia recuperat jus suum. *ibid.*

II. Qui sciens per injustam sententiam mala fide accepit bona, tenetur ea semper restituere, nec unquam præscribere potest, quia sunt aliena,

& possessor malæ fidei nunquam præscribet; in
tenetur expensas restituere, & compensare damn
etiamsi pars læsa non appellaverit, cum non re
nunciet ideo juri suo.

III. Qui bona fide rem postulavit à Judice, d
bona fide accepit, intelligitq; ante tempus præscri
ptionis finitum, fuisse sententiam injustam, tene
tur eam, non tamen expensas, restituere. Si veri
possedit rem bona fide, tempore ad præscribe
dum necessario, non tenetur restituere, & quia le
gitimè præscripsit. *Salon. Sayr. Trul. l. c.*

*Quæres IV.* Quid liceat Judici circa munera?

*Resp. I.* Etsi à partibus munera liberalia accip
ens aliquando peccet, vel ob scandalum, vel ob
periculum pervertendi justitiam; acceptorum ta
men dominium comparat, spectato jure naturæ.

*Resp. II.* Etsi lex positiva munerum acceptionem
prohibeat, accipiens tamen non tenetur ad resti
tutionem, ante sententiam Judicis, nisi lex expr
mat, quod non illicita tantum, sed etiam invalida
sit acceptio. *v. Bon. in 8. præcept. q. 2. p. 8. Laym. l. 3*
*tr. 4. c 4. n. 9. & 10.*

*Resp. III.* Si Judex injustè extorqueat munera
nolens facere quod justum est, & debet, nisi ea
dentur, tenetur ea restituere: uti etiam, si quid da
tum sit ad redimendam vexam, v. g. ne injustè fa
veat parti adversæ; ne causam nimis differat. Quā
quam hoc casu interdum præsumi possit, datorem
remittere obligationem restituendi. *Lay. l.*
*c. ex Cab. & Rebell. &c.*

Du

## DUBIUM III.

### *Quod sit officium Advocati?*

Suppono secundùm omnes, in Advocato quatuor requiri, scilicet scientiam convenientem, justitiam causæ: fidelitatem, & pretium justum: quod si taxatum est, non licet ultra hoc accipere: ubi non est taxatum, sufficit justum naturale, ut *v. apud Bon.*

Resp. I Non potest sub gravi peccato suscipere causam, quam scit esse injustam. Ex causis autem civilibus in utramque partem probabilibus, & dubiis, utramvis, etiam minus probabilem tueri; dummodò cliens de minore probabilitate moneatur, *Vasq. Salas, Card. de* Lugo, *Dian. t. 3. p. 2. R. 4.* Quia utraq; pars habet jus proferendi suas rationes in judicio, ergo etiam Advocatus patrocinādi: neq; semper est verius, quod videtur probabilius; & fortè aliud erit judicium Judicis. *Bon. de pec. d. 2. q. 4 p. 9.* & supra *l. 1. c. 2. & in præcepta, d. 10. q. 3. p. 4.*

Dixi, *Civilibus*: quia in causa criminali dubia, non licet tueri partes actoris, qui in tali casu graviter peccat contra Reum; ergo etiam Advocatus. *Fill. t. 40. c. 1.* Neq; quando actor contra possessorem agens, scit se nihil posse evincere, sed rem mansuram semper dubiam: quia tunc injustè vexatur possessor; pro quo tandem Judex debebit judicare, ut *v. Card. de Lugo, de just. d. 41. n. 7. Salas in 1, 2. d. 1. sult. n. 208.*

Resp.II. In causa criminali, potest Reum etiam fontem defendere, ut mortem aliamve pœnam evadat: quia Reus non tenetur ad pœnam, nisi convictus, ergo potest per se vel alium eam avertere donec convincatur, *Bon.d.*10.*q.*2.*p.*4.*n.*7.

Resp.III. Advocatus tenetur pauperibus in extrema, vel gravi necessitate, gratis patrocinari, sine notabili tamen suo incommodo. Ratio est, lex charitatis. *Nav. Cajet. Less. Fill. Bon. l.c.* Undeto solves.

I. Advocatus, qui sciens patrocinatur causæ injustæ, tenetur ad compensationem omnium damnorum inde consequentium. Unde parti contrariæ restituere debet ex peccato commissionis; quia fuit illi causa positiva damni: (similiterque si causam dubiam tueatur, eamq; obtineat fraude; quia intercedit injustitia, ratione partis adversæ, Clienti verò suo tenetur restituere ex peccato omissionis, quia ex officio tenebatur monere ignorantem causæ injustitiam. Quod addo, quia si clienti constabat causæ injustitia, non tenetur illi restituere, *Bon.d.*10.*q.*3.*p.*4. *Less. l.*2.*c.*3.*d.*5. *Fill. Laym. Tan.q.*4.*dub.*6.*n.*127.

II. Similiter peccare, & ad restitutionem teneri, quando defendit articulum justum causæ injustæ, ut sic Adversarium vexet, impediat, differat, aut pervertat, docet *Trul. l.*8.*c.*5.*d.*3. *ex Caj. Sayr. &c.* quia censetur defendere causam injustam.

III. Quando causa nihil ferè habet probabilitatis, ita ut vix moraliter sit spes obtinendi, eò quod apud Judices semper rejiciatur, regulariter non licet suscipere: tum quia facit, ut cliens sine fructu tem-

tempus,& pecuniam perdat;tum quia talis communiter non habetur probabilis. *Gard. de Lugo, de just. d.* 41. Quando autem cliens habet bonum jus in causa possessionis, non tamen in proprietate, an liceat Advocato eum defendere in causa possessoria, (dum de proprietate non agitur) quidam affirmant, negant alii, *v. Facund. in p.* 8. *c.* 47. *n.* 13. *Mol. tom.* 1. *tr.* 2. *d.* 81. *Card. de Lugo l. c. n.* 10.

IV. Advocatus, antequam patrocinium causæ suscipiat, tenetur examinare ejus æquitatem, & probabilitatem, eamq; clienti indicare sincerè: si enim falsa promissione, vel inani spe victoriæ, sumptibus involvat, tenetur ad restitutionem. *Bon. de pec. d.* 2. *q.* 4. *p.* 9. uti & qualitatem ac statum causæ, seu periculum ejus perdendæ indicare negleserit, & cliens eo cognito litigaturus non fuisset, neq; id ulla diligentia cognosci possit, non teneri Advocatum ad damna resarcienda: docet *Bardi. d.* 4. *cap.* 29. quòd melior sit conditio possidentis, dum de damno illato non constat.

quod si dubium sit an eo casu lite prosecturus fuisset

V. Si clientis causam minus probabilem dicat esse omninò justam, tenetur de damno, si cliens cognito causæ dubio, non fuisset litigaturus. *Bon. l. c.*

VI. Si in progressu causæ iniquitatem videat, tenetur mox monere clientem, & suadere, ut desistat; aliàs ad restitutionem damnorum obligabitur: quia cum stipendio sit conductus, tenetur ex justitia monere. *Tan. l. c.* Neq; potest vel ipse, vel Judex suadere compositionem, cum damno partis: quia compositio non habet locum, nisi quando res est dubia. Si verò inducat ad transactionem

sine damno, deceptione, vi & metu, non tenetur quia nulli facit injuriam. *Valent. Azor. Less. Layn. Bon. l. c.*

VII. Non potest absolvi, qui paratus est quasvis causas defendendas suscipere, *Sayr. l. 12. c. 2. n. 18.*

VIII. Non licet cum cliente convenire de pretio, post inchoatam litem, sed vel ante cœptam, vel post finitã, ex *c. Infames, 3. q. 7.* quia postquam sua instrumenta ostendit, cogetur quolibet pretio stare, ne prodatur. Nec licet pacisci de parte aliquota, v. g. dimidia, tertia, vel quarta litis, pro pretio, si victoria obtigerit: quia id graviter prohibetur L. *Sumptus ff. de pactis.* L. *Item. c. de proc. Arcentur 3. q. 7. L. Si qui, cod. de post.* Ratio est, ne præbeatur occasio, per fas & nefas procurandi victoriam. Hoc tamen casu non obligatur ad restitutionem, si justum pretium non excedat, & dolus & fraus absit, *v. Sylv. V. Advocatus Nav. c. 15. Fill. Lay. Bon. Sanch. l. 5. Consil. cap. 7. d. 9. & l. 37. & Card. de Lugo l. c.*

IX. Peccat Advocatus, 1. Si, cum non sit idoneus, officium Advocati exerceat, & patrocinetur. L. *Nemini, ff. de Advoc. S. Thom. 2. 2. q. 71.* est q; peccatum ex genere suo mortale. 2. Si defendat causã injustam secundùm dicta, *cap. 1. 3.* Si ob nimias dilationes, illicitas subornationes testiũ, &c. notabiliter officiat parti adversæ, habenti aliàs justã causam, &c. *v. Nav. c. 25. Fill. q. 3. 4.* Si utriq; parti patrocinetur; quia repugnat, ut utramq; partem æquè defendat. *Sylv. Sanch. cons. p. 2 l. 6. c. 7. d. 7.* In diversis tamen causis, secluso scandalo, non repugnat.

gnat. 5. Si in eadem causa, in qua est Judex, vel Assessor, agat Advocatum, quia duo officia contraria in eadem causa exercere non licet. *Sylv. Adv.* q. 2. 6. Si (tametsi defendat causam justam) producat scripturas, vel testes falsos, aut instrumenta; non tamen peccat, si in causa manifestè injusta, v.gr. allegando falsa, &c. *S. Thom. 2. 2. q. 71. a. 3. Sylv. Sanch. cons. p. 2. l. 6. c. 7. d. 8. Trul. l. c.* 7. Si adducat leges falsas, vel abrogatas, vel doctrinam reprobatam; vel leges bonas in falsos sensus sciens prudens detorqueat. 8. Si in gravamen alterius partis quærat dilationes ad rem non facientes. *v. Fill. Trul. l. c.* 9. Si accipiat mercedem injustam. Quando autem à lege pretium nullum taxatum est, censetur illud justum, quod habetur tale judicio prudentum, attenta qualitate negotii, dignitate, scientia, & peritia Advocati, & labore, quem impendit, ac demum consuetudine approbata. *v. Trul. l. c. d. 5.* 10. Si contractum usurarium, vel aliter iniquum suadeat aut probet. 11. Si leges, statuta & consuetudines patriæ ignoret, (unde si grave damnum clienti obveniat, tenetur compensare) vel intelligere non studeat.

X. Peccat advocatus contra justitiam, si rationes, & fundamenta clientis, quem justè defendit, vel secreta causæ detegat adversario, ut ex aliis probat *Fagund. in p. 8. c. 47. n. 13. v.* etiam *Card. de Lugo l. c. n. 6.* teneturque ad restitutionem, si eam ob causam cliens causam perdidit, victurus aliàs: quia fecit contra officium, nec adhibuit diligentiam ad causam obtinendam in favorem clientis. *Azor. Fill. & c. ll. cc.* Limitant tamen aliqui, nisi

periculum sit, ne pars adversa grave damnum in que patiatur; quia ajunt, quilibet potest sine damno, grave damnum alterius prohibere, *v. La p. 2. cap. 31. Azor Regi. Fill. Lay. lib. 1. t. 1. cap. 5. nu* 18. Verùm hanc limitationem, cum *S. Thom.* non admittunt, nisi forte Reus capite plectend esset, & accusator injustè procederet: tunc enim ajunt, Advocatus accusatoris deberet falsitatem prodere: si tamen spes esset profuturum, a cusatore prius monito, ut desistat. *v. Card. de Lu go l. c.*

XI. Advocatus, si causarum expeditiones, cum præjudicio clientum, differat, postponat, vel plu res acceptet, quàm expedire possit, peccat, ac te netur ad restitutionem; uti & omnium damno rum, quæ per ejus imperitiam, malitiam, vel ne gligentiam, cliens aut actor incurrit: non tamen tenetur in omnibus causis adhibere eandem dili gentiam, sed majorem vel minorem, pro causæ qualitate. *vid. Fill. Bon. in prac. 8. d. 10. q. 3. Less. l. c. 39. d. 9. Laym. l. 1. t. 1. c. 5.*

## DUBIUM IV.

### *Quæ sit obligatio Referentis, Secretarii, Notarii, & Procuratoris?*

Resp. Tenentur ii omnes justè fideliterque exercere suum officium, sive ex debito muneris tantum, sive etiam ex juramento. Item tenentur scire ea, quæ ad suum officium spectant, debitamque diligentiam adhibere, præstando omnia necessaria, terminos justos petendo, & appellando, cum fue-

fuerit necessarium, *Bon. Escob. & commun.* Unde resolvuntur sequentes Casus.

I. Peccant, si odio, vel amore, spe, vel timore, abutantur officiis suis: si secreta servanda non servent; si partibus, vel earum solicitatoribus, aliisve, tradant processus, vel scripturas originales, quas non debent; accipiant stipendium majus justo, vel ultra pretium taxatum; si lites iniquas suadeant, &c.

II. Referens peccat, 1. Si defectu studii, vel per incuriam, malè referat, vel aliquid substantiale prætermittat. 2. Si sit partialis, coneturq; unius partis justitiam magis, quàm alterius explicare. 3. Si sententiam alterutri parti manifestet, priusquã evulgetur, undè possint gravia incommoda sequi, v.g. Judex recusari, &c. *v. Escob.*

III. Secretarius peccat 1. Si juramentum violet. 2. Si arcanum prodat. 3. Si sententiam nondum publicatam manifestet. 4. Si processus, aut sententias non custodiat, vel partibus, sine præscripto Judicis, ostendat. 5. Si testimonia non fideliter transscribat, sive exaggerando, vel imminuendo, sive immutando, aut invertendo. *Escob.*

IV. Tabellio, sive Notarius publicus peccat, si sine sufficienti peritia (v.g. clausulas communes, &c. ignorans) suscipiat officium. 2. Si juramentum violet. 3. Si in depositione testium aliquid addat, vel detrahat, non levis momenti. 4. Si ministro transscriptori (erroris periculo) examen committat. 5. Si protocolla; & acta negligenter custodiat, cum damno partium. 6. Si differat causa, um expeditionem, ut pecuniam extorqueat. 7. S te-

ſtamentum ſcribat hominis rationis uſu deſtitu
8. Si teſtes falſos admittat. 9 Si ſolemnitates nec
ſarias, ex ignorantia culpabili, vel malitiâ, præt
mittat. 10. Si teſtimonium aliquod neceſſariu
unius rogatu, & alterius damno, non exhibeat
conficiat inſtrumentum uſurarium, vel falſu
præſertim in damnum tertii; ſi faciat, ut proceſſ
& cauſæ veniant ad alios Judices, vel Referen
&c. quàm ordo illius tribunalis poſtulat: q
multum intereſt habere hunc, vel illum Judice
*Eſc. v. Laym. l. 3. q 6. c. 2 Bon. in præ. diſp. ult. p.*
11. Si ſecretum violet, v. g. aperiendo parti adver
dicta teſtium, ante eorum publicationem; quo
eſſe mortale contra juſtitiam docet *Trul. l. 18*
*num. 3. ex Nav. c. 25. n. 52.* 12. Si parti petenti inſtru
menta occultet, præſertim quæ continent legata
*Nav. l c. n. 53. Sylv. v. Tabellio Trul. l. c.* 13. Si acta
occultet, vel parti petenti tranſumptum proceſſu
neget. 14. Peccat graviter, ſi amiſſo inſtrumento
antiquo publico, vel teſtamento, aliud ſimile d
novo confingat.

V. Procurator peccat, 1. Si litem procuret injuſ
tam. 2. Si plures cauſas ſuſcipiat, quàm poſſit ex
pedire. 3. Si plus mercedis accipiat, quam juſtum.
4. Si ſuadeat Reo, vel parti, ut injuſtè veritatem
neget. 5. Si ſua injuria; negligentia, aliave culpa,
cauſa ſit, ut lis perdatur. 6. Si nomine juris juret, ſi
ne particulari ejus informatione, cum periculo
pejerandi. 7. Si culpabiliter tribunali non adſit, ſci
turi incommodi metu, &c. *v. Eſc. Laym. l. c. Bon.*
*q 3 p. 4.* 8. Si partes adducat ad concordiam ini
quam. 9. Si differat cauſam, vel pervertat Judicem,

vel

vel petat terminos impertinentes, aut dilationes ſuperfluas 10. Si falſos teſtes inducat, *v. Sayr. l.* 12. *c.* 24. *Fill. tr.* 40. *c.* 10, *n.* 294. *Trul. l.* 8. *c.* 6. *d.* 1.

## DUBIUM V.

### *Quod ſit officium Accuſatoris?*

Reſp. Ut in accuſatione ſervetur juſtitia, cavẽda ſunt tria. Primum eſt, calumnia, i.e. impoſitio falſi criminis vel ejus, quod ſufficienter probari nequit. Et hæc inducit obligationem reſtituendi, & ſubeundi vel pœnam talionis, vel aliam arbitrio Judicis. Secundum eſt, prævaricatio, id eſt, colluſio cum Reo, & ſimulata tantum accuſatio. Quæ in criminalibus, ſi Reipub. damnum ſequatur, obligationem reſtitutionis inducit. Tertium eſt, tergiverſatio accuſationis inchoàtæ, abſq; juſta cauſa. Quod addo, quia cum cauſa, v.g. ob imperium Principis, vel Judicis, quod interſit Reip. talem perſonam non puniri, vel infamari, vel quod in accuſatione defectus ſubſtantialis ſit commiſſus, poteſt deſiſtere, imò tenetur, ſi in progreſſu cauſæ cognoſcat ſe erraſſe, ſi incipiat dubitare de crimine, ſi videat ſe non poſſe probare, *Fill. tr.* 10. *c.* 7. *n.* 205.

*Quæres.* An & quis teneatur alterum accuſare?

*Reſp. 1.* Privatum rarò ad id teneri: tum ex praxi timoratorum; tum quia alias tribunalia eſſent plena accuſationibus, cum perturbatione Reipub.

Dixi 1. *Privatum:* quia ſi quis à Repub. ſtipendiũ ob hoc accipiat, v.g. fiſcalis, &c. tenetur ex ju-

ſtitia,& conſequenter ad damna,ex omiſſione accuſationis ſecuta,*Fill.Bon.in 8.præc.d.*10 *q.3.p* 1.

Dixi II. *Rarò:* quia ſi ita exigat bonum publicum,v.g. ſi proditio imminens,vel grave damnũ vitæ innocentis,aliter averti non poſſit, & crimen facilè probari poſſit,tenetur etiam privatus accuſare,vel ſaltem denunciare: idq; tamen ex charitate tantum,quæ reſtitutionem non importat,*Fill. Bon.l.c.*

*Reſp.II.* Accuſare prohibentur, 1.Excommunicati,proditores,infames,idq; in pœnam criminis. 2.Filii,ſervi,ſuos parentes vel dominos, ob reverentiam. 3.Clerici,in cauſa ſanguinis, ob indecentiam,*Leſſ.l.2.cap.3.d.5.Bon.l.c.*

*Reſp.III.* Non teneris,imò nec debes etiam,poſito ſuperioris præcepto,denunciare crimen. 1.Si delinquens emendatus eſt, ſine periculo recidendi,& parti læſæ ſatisfactum ; nec periculum imminet aliis, nec crimen eſt notorium: quia ſine cauſa proximi infamia ſequetur. *ſupra l.2.t.3.c.2. d.4.* 2. Si crimen noſti ſub ſecreto naturali,tanquam conſultor,advocatus, &c. Niſi tamen is, qui ſecretum commiſit, innocentem,vel rempublicã injuſtè vexaret,nec vellet deſiſtere, *Card.de Lugo,de juſt.d* 14.*n.*142. 3.Si indè immineat grave periculum honoris,vitæ & rerum tuarum. 4. Si etiam probare cogereris, nec poſſes,

*vid. Cardin. de Lugo, d.* 38. *ſ.2.*

# DUBIUM VI.

## *De Testibus.*

Suppono, ad legitimam & plenam in judicio probationem, requiri duos testes, eosq; debere. 1. Externo sensu percepisse id, de quo testãtur. 2. De eodem facto & crimine, cum iisdem circumstantiis, deponere; alioqui erunt testes tantum singulares, ut vocant, qui non faciunt plenam probationem. 3. Esse omni exceptione majores, in quibus scilicet nulla desideretur conditio, quo minus testari possint, juxta versum vulgarem:

*Conditio, sexus, ætas, discretio, fama,*
*Et fortuna, fides, in testibus illa requires.*

Hinc à testando rejiciuntur, 1. Servi, 2. Mulieres. 3. Minores 20. annis, in criminalibus; in civilibus autem impuberes. 4. Inimici. 5. Sanguine juncti, & domestici exceptis quibusdam casibus, apud *Less. l. 24 cap. 5. n. 38.* 6. Infames. 7. Perjuri. 8. Socii criminis. 9. Personæ inopes, & viles. 10. Deliri, & semifatui: ex quibus tamen ii, qui solo jure positivo ad testandum sunt inhabiles, possunt admitti in criminibus exceptis. Quo supposito:

*Quæritur I.* An, & quando teneatur quis testari. II. Ad quid teneatur, qui non vult testari, aut qui falsa est testatus?

Resp. I. Non tenetur quis testari, nisi vel ex charitate, cum ita necessarium est, ad avertendum grande malum proximi, aut reipub. vel ex præcepto, cum Judex, seu superior habens potestatem,

ita

ita legitimè præcipit. In quo ultimo casu, si fugias, aut occultes te, antequam ad testandum citeris, non peccabis contra justitiam; ideoq; nec teneberis restituere, ut contra multos docet, *Valen. & Less.* Ratio, quia tibi necdum est præceptum: quod autem jus nascatur ex tuo testimonio, id ex præcepto oritur. Imò etsi sit communis sententia, ad restitutionem teneri eum, qui à Judice citatus fugit, vel testimonium fraude declinavit, cum sit efficax & moralis causa, ut Judex sententiam ferat in alterius damnum: non tamen est improbabile, quod docet *Mol. & Less.* non teneri. Ratio, quia citatio intimata non inducit obligationem justitiæ, sed tantum obedientiæ: proindeque non comparens, contumax tantum est, & inobediens, non autem injustus, *Less. l. 2. c. 17. & 30. v. Bonac. Laym. ll. cc.*

Resp. II. Etiam legitimè & juridicè interrogatus, non teneris testari sequentibus casibus. 1. Si scias rem ex confessione. 2. Si accepisti sub secreto naturali, ut consiliarius, advocatus, medicus, &c. modo tamen non sit necessarium ad magnum Reipublicæ, vel proximi malum avertendū: tunc enim licet tale secretum detegere, etiamsi jurasses te nulli dicturum; quia tale juramentum non obligat, cum jure naturæ tenearis ad contrarium. *vid. Laym. c. 4. n. 9.* 3. Si ex testimonio, tibi vel tuis, immineat notabile damnum; nisi tamen damnum publicum, vel privatum alienum prævaleat, ut notat *Card. de Lugo, de just. d. 39. num. 10.* Unde communiter non teneris testari contra cōsanguineum. 4. Si à viris non satis fide dignis accepisti

pisti: tunc enim potes te habere, ac si nihil scires. 5. Si factum intellexisti per injuriam, v.g. aperiendo literas, cogendo alium ad revelationem, &c. *Laym.l.3.tr.6.c.4.n.5. Mol.d.5.n.5.* 6. Si alter probabiliter in facto non peccaverit, vel propter ignorantiam, vel quia rem aliquam accepit in occultam compensationem debiti, ex quo tanquam de furè inquiratur. Ratio, quia mens Judicis est, inquirere de delicto. *v. Az.3 p.1.ult.c.27. Fill. Bon. d.10.q.3 p.3. Laym.l.c.*

Resp.III. Qui sciens falsum testatus est, per quod alteri fuit efficax causa damni, tenetur ad impeditionem, vel reparationem omniũ damnorum, quæ causantur. Item tenetur revocare cum pari suo damno, & periculo etiam vitæ, si Reus de ea periclitetur, & putetur revocando aliquid effecturus. Ita *communiter*. Ratio, quia in damno æquali, potius habenda est ratio innocentis, *vid. dub. seq. a.1.*

Dixi I. *Sciens:* quia si ex ignorantia, inadvertentia, aut oblivione inculpabili, falsum est testatus, etsi teneatur impedire, si possit, non tamen ad restitutionem, etiamsi Reus damnetur. Ratio, quia neque tenetur ex re accepta, neque delicto.

Dixi II. *Causa efficax:* quia si à parte rei falsum illud testimonium nihil effecisset, v.g. quia per falsa testimonia aliorum, jam tota causa damni erat data, ita ut Judex ex hoc testimonio nihil fuerit motus, ad nihil tenebitur. *Less.l.2.c.30 & Laym.l. 1.t.5.c.8. & alii.*

Testis peccat. 1. Si affirmet quod ignorat. 2. Si veritatem, quam debebat celare, aperiat. 3. Si se

se occultet, ne rogetur, casu quo teneatur testari. Si judici justè interroganti non obediat. 5. Si pretium pro dicenda veritate accipiat.

## DUBIUM VII.

### *De Reo.*

### ARTICULUS I.

### *An, & quando Reus teneatur fateri veritatem?*

Resp. I. Si non interrogetur legitimè, non tenetur fateri suum crimen, sed potest Judicem eludere, vel ambiguis verbis, vel etiam negando, cum aliqua restrictione, & in bono sensu, ut mendacium absit. Ratio, quia tunc Judex non habet jus interrogandi, aut obligationem imponendi Reo. Ita *Less. Laym. tr. 6. l. 3. c. 5, Bon. d. 10. q. 3. p. 2.* Unde resolves.

I. Reus non tenetur fateri crimen suum. 1. Si Judex non sit legitimus. 2. Si à seipso litis processum inchoet sine prævia accusatione, saltem virtuali. 3. Si non præcessit semiplena probatio, nec infamia, nec manifesta criminis indicia extent. Ratio, quia in his Judex non interrogat legitimè. *Azor. Less. Fill. Laym. Bon. ll. cc. Card. de Lugo d. 40. n. 1.*

II. Nec tenetur, si dubitet, an Judex legitimè interroget: quia non tenetur parere cum gravi suo damno, nisi constet superiorem posse præcipere. Ita *Less. Fill. Laym. l. c. Sanch. l. 6. consil. c. 3. d. 31. Sal. C. de Lugo, &c.* contra *Sylv. Bon. & alios.*

III.

III. Judex tenetur Reo manifestare statum causæ, & quæ sint indicia, quo modo probetur delictum, &c. ut Reo constet, an legitimè interrogetur: quia non tenebitur respondere alioqui, & seipsum honore, aliisve bonis, quæ bona fide possidet, spoliare. *Cajet. Nav. c. 25., n. 43. Card. de Lugo, d. 40. n. 1.*

IV. Si Reum juridicè quidem interroget Judex, sed non nisi ex falsa præsumptione delicti, v. g. an exierit ex tali domo, stricto ense: potest Reus (idem est de teste) licet sciat semiplenè probatum esse, id negare, si exiit quidem, non tamen facto delicto, sed ob aliam causam: quia si Judex veritatem sciret, non posset interrogare. Ita cum *S. Tho. 2. 69. a. 1. Sot. Fagund. p. 8. c. 34. Dian. 3. p. t. 5. misc. R. 66. Card. de Lugo d. 40. n. 5.*

Resp. II. Etsi communior, & verior sententia sit *S. Th. 2. 2. q. 69.* si Reus legitimè interrogetur à Judice, teneri in conscientia apertè veritatem dicere; probabile tamen est etiam, quod ex *Sylv.* docet *Sa* & *Less.* non teneri, saltem sub mortali, in causis capitalibus, & gravioribus, si sit spes evadēdi, & nullum grave damnum reipub. timeatur, *Tann. d. 4. q. 4. d. 5. Card. de Lugo, d. 40. n. 15.* ubi dicit, esse sententiam valdè probabilem, & in praxi tutam. Ratio, lex humana communiter non obligat cum tanto periculo, v. g. mortis; tum quia inhumanum videtur, ut, qui convinci non potest, teneatur præbere arma contra se, quibus occidatur, aut gravem pœnam, v. g. perpetui carceris, subeat; tum quia non videtur tam heroicus actus præcipi posse. *Bon. in 8. prac. d. 10. q. 3. p. 2. n. 17.*

Dixi

Dixi I. *In Capitalibus*: quia aliud est de caus in quibus agitur de pœna Ecclesiastica, [quæ c medicinalis.

Dixi II. *Si spes sit evadendi*: quia absque ea cel set ratio celandi veritatem. *Vnde resolves.*

I. Non semper opus est (juxta dicta *Resp.2.* Confessarius Reum urgeat ad crimen fatendum *Card.de Lugo, d.40.n.20.*

II. Post sententiam latam, Reus non tenet confiteri crimen, quod antè injustè negavit: qu finito judicio, finitur obligatio Rei, *Laym.l.c.* Im probabile est, nec ante sententiam ad id tenet (etiamsi adhuc sit in potestate Judicis) donec rum interrogetur *Card.de Lugo, d.40.n.17.*

Resp.III. Si quis ad evitanda tormenta gravia mentitus, falsum sibi crimen imposuit, per quod sit morte plectendus, non videtur mortale. Ita contra *Navar. & alios* docet *Anglu, Sylv Less* 2.c.11.*d.7. Tann.de just.d.4.q.4.dub.3.* Ratio, qua non est mentitus perniciosè, cum non teneatur tantis tormentis vitam conservare, *v. Card.de Lu go l.c.* Unde resolves.

I. Talis non tenetur postea crimen revocare, quamvis ante perjurio confirmâsset, si prudenter metuit; ne ad tormenta revocetur; quia etsi pejeratione graviter peccârit, hoc jam transiit, & non retractando nemini facit injuriam; ideoque sufficit; coram Deo pœnitere. *v. Less. Tann.l.c & q.5. d.4.*

II. Si ex illa falsi criminis confessione, grave damnum aliis sequeretur, v.g. bonum Reipub. aut

fama religionis, vel familię notabiliter læderetur, aut aliqui ideò in hæresin lapsuri essent, quævis potius tormenta perferenda essent, *Tan. l. c. & q. 5 d. 4.*

III. Si reus tormentis coactus, denunciavit alium innocentem, tenetur sub mortali ante suam condemnationem, & si tum nō fecit, etiam potest sententiam damnationis revocare: ad quod etiam à Confessario est obligandus. Ita ex communi *Tol. l, 5. c. 66. n. 7. Less. cap. ult. d. 15. Tann. d. 4. q. 5. dub. 4. n. 103.* ubi subjungit, 1. Si quis tamen sequatur, ipsaq; praxi servari advertat eam sententiam, quæ negat per revocationem in extremo vitæ factam tolli, vel infirmari denunciationem ante factam, ut docet *Delrio. l. 5. s. 5. Valent. d. 6. q. 13 p. 4.* is consequenter existimare poterit, denunciantem in eo mortis articulo (saltem cum suo incommodo, & sub peccato mortali) obligatum non esse ad revocationem, quia esset inutilis. Ita *Tan. l. c.* Licet ipse rectè censeat, fundamentum istius sententiæ minus esse probabile.

2. Monet idem *Tan. n. 105.* cavendum esse Cōfessario, ne vel importunè sæpius Reo damnato inculcet retractionem denunciationis iniquè factæ; vel retractionem factam imprudenter & cum scandalo evulget.

*Quæres.* An reus teneatur revelare complices?

*Resp. 1.* Si omninò occulti sint, nec aliis indiciis, aut testimoniis convinci possint, non potest, nec tenetur: si tamen vi tormentorum coactus prodat, ordinariè non peccabit, *Less. l. c. & Laym. l. 3, t. 5. c. 5.*

*Resp.*

*Resp. II.* Si crimen sit exceptum, tenetur etiam non rogatus, ideoq; si nolit, secundum *Nav.* non erit absolvendus.

## ARTICULUS II.

### *Quid liceat Reo circa fugam pœnæ?*

Resp. Quando sententia est materialiter injusta, lata tamen secundum allegata & probata, etsi in conscientia non obliget, non potest Reus Judici positivè resistere; tum ob scandalum; tum quia tali casu Judex habet jus sententiam exequendi, & ad id tenetur. Ita communiter *Less. Sanch.* contra *Vict. Bonac. Card. de Lugo d. 4. n. 38.*

Dixi, *positivè*: quia Reo, etiamsi verè reus sit, licet ante, & post sententiam, (quoad mortem, vel pœnam morti æquivalentem, v. g. perpetuum carcerem) fugere. Ratio, quia quilibet tam magnum jus habet ad vitæ suæ conservationem, ut nulla potestas humana obligare possit ad eam non conservandam, si spes commoda ostendatur: nisi tamen bonum publicum aliud postulet, *Less. l. 2. c. 31. d. 5.* Unde resolves.

I. Regulariter Reo licet fugere, etiamsi custos carceris grave damnum inde passurus sit, (saltem nisi juraverit se mansurum) quia utitur suo jure, & nulli facit injuriam, *Fill. t. 40. c. 4. n. 274. Azor. Less. d. 5. n. 31.* nisi tamen charitas aliud suadeat, ob damnum custodis præponderans. *v. Bon. d. 10. q. 3. p. 2. n. 13. Less. l. c.*

II. Multò magis licet fugere, ne capiatur, vel etiam

jam à ministro apprehendente se excutere, non tamen illi vim inferre, vulnerando, percutiendo, &c. *Ibid.& Regin l.24.n.4.*

III. Licet etiam, saltem in foro conscientiæ, custodes (præcisa vi & injuria) decipere, tradendo, v. g. cibum & potum, ut sopiantur vel procurando, ut absint: item vincula & carceres effringere: quia cum finis est licitus, etiam media sunt licita. Et licet alii captivi per effractum parietem simul elabantur, non tenebitur de damno: quia tantum est ejus causa per accidens, cum jure suo utatur. Nec refert, quòd leges & magistratus quidam tales effractores graviter puniant: id enim fit, quod vel contrariam sententiam sequantur; vel ex præsumptione, quod vim intulerint custodibus; vel quod propter bonum reipub. ea pœna statuta sit, *Fill. l.c. Tan.d.4.q.4.dub.5.* ex aliis multis, *v. Card. de Lugo d.40.s.4.*

IV. Illis, qui non sunt ministri justitiæ, licet non solũ consilio juvare Reũ, ut fugiat, sed etiam suppeditatis instrumentis, v g. funibus, lima, &c. quia finem alter licitum illi suadere, & ad eundem media proponere licet, *Less. l.c.d.6.n.40. Tan. l.c. Sylv. Turr. Vasq.*

V. Non tamen licet juvare in effractione carceris, ut habet communis; tum quia executio ipsa effractionis soli Reo licita est, propter jus vitæ conservandæ; tum ne alioqui omnis securitas carceris pereat. *Less. l.c. v. Bon. d.10.q.3 p.1.*

*Quæres.* An Reo liceat appellare?

*Resp.* Si sciat sententiam esse justam, & justè processum esse, non licet, (licet tamen supplicare) quia

quia id esset judici calumniam imponere. Imò in justè appellans tenetur de damno. Si verò putet sententiam iniquam esse, aut injustè processum esse; aut si diversę sint opiniones, potest appellare. *v. Tan. l. c. n.* 100. *C. Lug. l. c. c.* 14. *Sanch.*

## DUBIUM VIII.

*Quomodo Confessario agendum cum Reo?*

Resp. Observanda sequentia. 1. Instruat eum, quod quæ secum in foro conscientię agit, cum Judicibus non communicentur, ideoq; sive sit nocens, sive innocens, id ei, nec prodesse, nec obesse possit. Ratio, quia alias multi conantur se falsò probare innocentes, ut à Confessario juventur: alii contra falsò se nocentes dicunt, quod timeant, ne Confessarius conferat cum Judicibus, ipsiq; revocentur ad torturam. Unde expedit, 1. Ut non temerè evulget Confessarius accepta extra confessionem. 2. Ut ad confessionem sacramentalem Reum non admittat, nisi postquam in foro profano res sunt liquidæ: vix enim adigi poterit, ut omnia fateatur ob timorem, ne vel deferatur, vel cogatur eadem fateri Judici: ante tamen de contritione agendum est, *Delrio. l.* 6. *c.* 1 *s.* 3. *Tan. d.* 4. *q.* 5. *d.* 4.

II. Ne cogat importunis modis Reos, ut falsales fateantur; tum quia verè quidam rei non sunt, & victi illa importunitate, ne moriantur incommunicati, vel à Confessario in extremis deseruntur, confitentur sacrilegè; tum quia frustra est confessio, nisi fiat ex contritione, & vera ad Deum conversione: de hac ergò laboret, & sequetur bona confessio, non autem contra. *Tann. l. c.*

III.

III. Caveat, ne coram Reo censeat modum procedendi judicialem; proindeq; communiter non admittat querelas de injuria facta, cum non sit Confessarii ea judicare, sed ad pœnitentiam disponere.

IV. Etsi quidam authores permittant Judici uti dolis bonis, ad crimen eliciendum; non tamen id licet Confessario, ne ministerium ejus infametur.

V. Non licet (secundum *Concil. Antioch. Can.* 33. & *cap.* 34. *Non licet*:) palam interesse tormentis, aut suggerere modum torquendi, nisi mitiorem, *v. Tan d.* 4 *q. ult. dub.* 5. *n.* 128.

VI. Expedit habere cognita indicia, & probationes deprehensas in judicio, ipsumq; modum processus, ut & prudentius possit in suo foro agere, & Judicem, si cubi opus, prudenter admonere.

VII. In confessione examinet, 1. An consortes criminis prodiderit, (si secundum suprà dicta tenebatur) & quidem si falso alios infamârit, inducat ad revocationem, etiam cum periculo torturæ. *v. Tann. d.* 4. *q.* 5. *dub.* 4. *num.* 103. & dicta *dub. superiore.* 2. Si saga sit, quo tempore, qua occasione, in magiam sit lapsa; ut si postea neget, convinci possit in eodem foro. 3. In qualitatem superstitionis, an ex animo Christianæ fidei renunciârit, dæmonem adoraverit, falsa de Deo & æternitate senserit, rebus sacris abusa sit, hominibus nocuerit, præsertim conjunctis, ut marito, liberis, & an alios seduxerit. Item de peccatis carnalibus. Denique confessæ aperiat fraudes dæmonis, instruatque quomodo iis deinceps occurrendum, atque

inter cætera suadeat fidei professionem, & fr
quentem Symboli repetitionem

VIII. Sæpè non expedit post supplicium Jud
ci significare, Reum in extremis denunciatione
revocasse; tum quia Judices id parvi faciunt (qu
rectè, vide *Laym. & Tann. l.c.*) tum quia frangit S
gillum sacramentale, si non petita licentia, inno
centiam denunciati evulget, cum eo ipso revel
peccatum denunciantis. Quare si aliquando Jud
cem movere expediat, rogandus est Reus, ut
extra confessionem, & coram testibus dicat, eo b
ne, ut Judex moneatur.

IX. Si alicujus innocentiam ex confessione co
ligeret (quod etsi difficile, non tamen impossibil
esse, docet *Ta. d. 4. q. 5. dub. 4. n. 85.*) id Judici aper
re, ac pro Reo intercedere, periculosum est, tum
quia post publicatam Rei confessionem, ei non
credetur; tum quia si plures audiat hoc ipso aliorū
nocentiam, de illis tacendo, videtur confirmare,
cum fractione sigilli; tum quia si Rei cognoscant,
eum pro innocentibus intercedere, occasionem
arripient, eum callidè sua facinora celandi, *v. Lay.*
*l. 3. tr. 6. c. 5. Tan. d. 4. q. dub. 5. n. 65.*

Etsi pro Reis, etiam justè damnatis, intercede
re aliquando possit, maximè apud magistratū su
premum, juxta scripturam, *Prov. 24. v. 11. Erue eos,*
*&c.* valde tamen prudenter, & moderatè id faci
endum: quia relaxatio potest esse illicita, Judex q
(non tamen Confessarius, nisi ea prævideri) fieri
reus malorum omnium, quæ ex liberatione se
quuntur; imò & ipsi imputabuntur, cum ex officio
debuerit impedire, *vid. Bon. in t. prac. d. 10. q. 2. &*
*3. Tann. de just. d. 4. q. 5. dub. 4.* Du-

## DUBIUM IX.

### *Quæ obligatio Medicorum, Pharmacopæorum, & Chirurgorum?*

Resp. Tenentur ii imprimis, quando tale officium petunt, vel suscipiunt, sub gravi obligatione, sufficientem habere scientiam, sive peritiam. *Navar. cap. 25. Anton. C. Lugo, d. 27 num. 1.* Deinde in curandis infirmis, servare sequentes regulas. 1. Ordinariè debent sequi opiniones medicorum securas, & tutas. Ratio est periculum & damnum proximi. Ita *Bon. Laym. Sanch. 1. mor. cap. 9.* 2. Quando certum aliquod est pharmacum, quod nimirum certo infirmis profuturum est, tenentur illud adhibere, omisso eo, de quo dubitatur: quia alias imprudenter proximum in periculo relinquerent. 3. Si non sint certa pharmaca, debent adhibere probabiliora, & tutiora; tum quia alioqui salutem proximi in discrimen adducerent, tum quia tenentur fungi officio, quantum possunt, cum minimo proximi periculo & damno. 4. Quãdo nulla est spes de salute infirmi, nec adest remedium, nisi dubium, de quo scilicet dubitatur, num profuturum, an nociturum sit, possunt, imò debent illud adhibere. Ratio, quia sic infirmi negotium utiliter geritur, si mors sequatur, ipsis non imputabitur, cum alias spem vitæ non habeat, *Laym. lib. 1. tr. 1. c. 5. Fill. n. 152. Bon. de pec. d. 2. q. 4. p. 9.* Unde resolves.

I. Medicus peccat, 1. Si absque sufficienti peritia gravem morbũ curare tentet. 2. Si occurrente

gravi & insolito morbo, speciali studio operam non impendat. 3. Si det pharmacum infirmo, quod probabilius creditur nociturum, quam profuturum. 4. Si medicamenta inexplorata, explorandi gratia adhibeat, præsertim, quando de iis non est opinio probabilis, & habet medicamenta probabiliter utilia. 5. Si non benè perspecta morbi natura, temerè adhibeat remedia obvia, vel periculosa, præsertim cum discrimine vitæ, vel gravis læsionis. 6. Si agnito ægroti periculo, oportune non adsit, aut necessariam curationem negligat, aut medicos alios adhiberi non permittat. 7. Si aliquid suadeat Dei honori, vel præcepto contrarium, v. gr. incantationem, pollutionem, superstitionem, &c. 8. Si facilè, & sine necessitate, à jejunio absolvat, carnium esum permittat. 9. Si ægrotantem pauperem in periculo constitutum contemnat. *v. Bonac. l. c. Nav. cap. 15. Azor. 1. p. l. 2. c. 17. Escob. l. 2. E. 3. cap. 9.*

II. Pharmacopola peccat, 1. Si rudis & ignarus munus exerceat. 2. Sine arte, vel diligentia, medicamenta conficiat. 3. Melle in potionibus pro saccharo utatur. 4. Si unum medicamentum pro alio (nisi tamen esset æquè bonum, & non majoris pretii) contra medici præscriptum, cum gravis damni periculo porrigat, *v. Salas. dub 34.* 5. Si medicamenta ad non patiendum, vel ad fœtum expellendum vendat. 6. Si pharmaca vendat inutilia, &c. *vid. Escob. l. c.*

III. Peccat Chirurgus, 1. Si sine scientia & peritia sufficienti, vulnera curare tentet, cum periculo erroris. 2. Si Medicum, quando gravitas vulne-

ris

ris exigit, non consultat. 3. Si lucri amore, curationem protrahat. 4. Si mercedem justo majorem exigat. 5. Si abortus causa venam aperiat, aliudve remedium adhibeat. *v. Escob. l. c.*

## DUBIUM X.

### *Quæ obligationes Mercatorum, Opificum, & caterorum sæcularium?*

Resp. Eæ patent ex dictis de septimo præcepto: ex quibus resolves.

1 Mercator peccat, 1. Si venenum, vel alia prohibita vendat, cum suspicione pravi usus 2. Si paratus sit quodcunque pretium, etiam injustum, ab emptore accipere. 3. Rem carius, quam supremo pretio, vendat ob dilatam solutionem. 4. Mercium defectum gravem occultum non aperiat, pondus & mensuram imminuat. 5 Si in emptorum injuriam, monopolium injustum instituat, merces omnes unius generis sibi comparet, immoderato quæstu pro libitu vendendas. 6 Si merces ab eo, qui non novit, emat pretio minore, vel cariore vēdat ignoranti. 7. Si merces veteres & inutiles novis admisceat, & vendat eodem pretio utrasque. 8 Si justa tributa defraudet. 9. Si tempore debito, cum posset, non solvat creditoribus cum gravi eorum damno. 10 Si mercibus solvat, quod pecunia debet, contra creditoris voluntatem. 11. Si diebus festis publicè emat, vel vendat contra consuetudinem permissam. 12. Si juret falsò, se tanto pre-

tio merces comparasse. 13. Si contractum inc
quemcunque, dubitans de ejus justitia. 14. Si em
res furtivas, &c. *v. Esc. t. 2. E. 3. c. 12.*

II. Bibliopola peccat, 1. Si vendat libros prohi
bitos, vel lascivos. 2. Si librum defectu laborantem
vendat pro integro, &c. *v. Esc. c. 13.*

III. Argentarius, sive Aurifaber peccat, 1. Si a
pro auro vel argento vendat. 2. Auro vel argen
plus æris misceat, quàm requirit, & emptori
mixtionem non significet, neq; minuat pretium
3. Si ex rebus furtivis aliquid emat, mala fide. 4.
communem lapillum pro pretioso vendat,
pretiosum pro vili emat, &c.

IV. Sartor, Sutor, & cæteri opifices peccant, 1.
jurent se tali die opus perfecturos, quod sciunt
(vel dubitant) non futurum. 2. Si plus materiæ a
igant, quam ad opus sit necessarium, aut partes
alicujus momenti, quæ supersunt, retineant, sine
voluntate domini. 3. Si diem festum sine gravi
causa violent, per se, vel per suos famu-
los, &c. *v. Esc. c. 1. d. 13.*

(O)

# LIBER V.

## *De ratione cognoscendi, & discernendi peccata.*

## CAPUT I.

### *De Peccato in genere.*

### DUBIUM I.

### *Quid sit peccatum?*

REspondeo. Est transgressio legis, sive, ut ait *Tol.* est voluntarius recessus à regula divina, per quam regulam intelligitur præceptum, tam naturale, & humanum, quàm divinum: per recessum, intelligitur actus (vel ejus omissio) qui sit non tantum voluntarius, sed etiam liber, cum aliqua actuali advertentia malitiæ: quod addo, quia ut docet *Sanch. 1. mor. cap. 16* cum *Vasq. Bon. d. 2. q. 2. p. 3 n. 3. & 12. &c.* non sufficit ad actum peccaminosum, libertas & advertentia quævis virtualis, vel interpretativa, quâ scilicet quis advertere poterat, & debebat; nec quæcunq; actualis, quâ scilicet intellectus rationes commodi, & incommodi

in objecto attendat: sed requiritur, ut advertat moralem malitiam objecti, aut saltem de ea dubium, vel scrupulum corripiat. Ratio est, tum quia sine ista advertentia, non est voluntarium, cum non sit cognitum; quia, quamdiu talis cogitatio intellectui non occurrit, non est sufficiens principium deliberandi de malitia, ideoque nec libertas, ac proinde nec culpa; & censetur illa inadvertentia, naturalis & invincibilis ob oblivio. Addit tamen *Tann.d.4. de pec. d.5.q.1. dub.5.n.106.* non esse necesse, ut consideratio illa maneat actu, dum peccatum durat, sed satis esse, ut vel actu, vel virtute maneat, ita ut cum ea, vel actus peccati fuerit inchoatus, vel saltem causa data: ut fit in ebrio, qui peccat, non vi præsentis, sed præteritæ deliberationis, *v. Bald.l.1.d.36.* Verum recentiores communiter docent, talem, v.gr. ebrium non peccare formaliter, quando usu rationis caret; sed malitiam eorum, quæ tunc fiunt, contraxisse ante, dum prævidens malum, quod commissurus erat, ejus causam dedit: ajuntque, dum quis actu peccat, semper esse, ac manere advertentiam aliquam malitiæ tenuem, vel confusam, ut *vid. apud Scholast.* nam in ordine ad praxin, parum refert, utrolibet modo loquaris.

Resp.II. Ad peccatum requiruntur tres conditiones, ut patet ex prima responsione. 1. Ut sit voluntarium, id est, ut fiat à voluntate consentiente. 2. Ut sit liberum, id est, ut sit in potestate voluntatis facere, vel non. 3. Ut advertatur malitia. *Ex quibus resolves.*

I. De-

I. Defectu primæ conditionis, nullus actus, qui neq; est in, neq; à voluntate, est peccatum, nisi voluntas eum acceptet: ideoq; nec impedit communionem, sive is sit internus: ut cogitationes contra fidem, blasphemæ, obscœnæ, motus carnis, etiam usq; ad effusionem seminis; sive externus ac violentus, v.g. stuprum virgini per vim illatum.

II. Defectu secundæ conditionis, subinde à peccato excusantur vehementissimi motus iræ, aut concupiscentiæ, quibus usus rationis perturbatur, & libertas tollitur.

III. Defectu tertiæ non peccat, qui die jejunii, de præcepto nihil cogitans cœnat, vel carnes comedit, etsi advertat eas sibi delectabiles. Item qui lapidem projicit per fenestram, non advertens periculum lesionis; vel qui contractum usurarium celebrat, non advertens esse talem, *Sanch.l.1.c.16. n.21. Reg.l.25.n.75.*

IV. Damna & eventus (licet alioqui frequentes) ex ebrietati secuti, & nullo modo prævisi, inculpabiles sunt: quia nec in se, nec in causis sunt liberi. Sunt verò culpabiles, si sint prævisi, nec diligentia sufficiens ex præscripto prudentiæ sit adhibita, ne sequerentur: ea verò adhibita, etsi postea eveniant, culpâ vacant. Uti etiam, quando juxta loci & temporis circumstantias, non apparet periculum mali, ideoque nulla cautela est adhibita. Ita *Vasq. l.2.d.124.c.2.* Quibus conformiter *Less. l.4.c.3.* docet, si negligentia, charitatem aut eventus ex ea sequi solitos præcavendi, fuerit tantùm venialis, etiam mala, quę prævideri poterant, tantùm venalia fore; quia cum non in se, sed tan-

sum in causa sint libera, non possunt habere
jorem culpam, quàm ipsa causa.

## DUBIUM II.

### An, & quando desideria, & delectationes sint peccata?

Per desiderium intelligitur voluntas, intent
vel propositum efficax rei malæ: per delectat
nem verò, simplex amor & complacentia obj
cogitati, fruendo ejus dulcedine, absq; desid
executionis: soletque dici morosa, non à m
temporis, cum momento possit perfici, sed q
voluntas, post plenam advertentiam rationis
immoretur.

## ARTICULUS I.

### Quale peccatum sit desiderium malum?

Resp. I. Desiderium absolutum, sive cogitat
cum voluntate consentiente absolutè in peccat
aliquando perpetrandum, aut in perpetrato com
placente, habet eandem speciem, ac malitiam
peccati mortalem, vel venialem, quem habet a
ctus exterior, in quem fertur. Est communis, &
constat ex *Matth. 5. v. 28. Qui viderit, &c.* Ratio
est, quia actus interior habet suam bonitatem, &
malitiam ab actu externo, tanquam objecto. *Ita*
*commun.*

Resp. II. Desiderium cum consensu conditio
nali, quo quis aliquid concupiscit, sub tali condi
tio

one,quæ omnem malitiam objecti auferat, non est peccatū,saltem mortale:v.g. vellem prædari,si àDeo mihi permitteretur,si Judex essem,malefactorem istum occiderem. *Valent.to.2.d.6 q.4.p.4. Sayr.Sal. in t.2. tr.13 d 16.s.27 Vasq. dub.116.c.1.* Si verò conditio malitiam non auferat,est peccatum:ut v.gr. si cogites,si non esset infernus,mœcharer,si non essem religiosus,fornicarer;si nō haberem rationem mei status,ulciscerer,occiderem te. Item si id mihi fecisses in adolescentia,vel antequam religionem ingrederer,vindicassem intellige,si dum hæc dicit, habeat affectum vindictæ sumendæ,si esset in tali statu:secus enim est,si tantum ostendat, quid facturus fuisset in alio statu ) *Bon.de mat.q.4 p.8.n.9.* Ratio responsionis est, quia etsi consensus conditionatus nihil ponat in rerum natura,ex parte objecti voliti; in voluntate tamen ponit affectum committendi illud peccatum,præcisa conditione non auferente malitiam; ac proinde talis erit culpa,qualis esset illud amare absque conditione, *Cajet. Sanch.1.mor.c.2.Vasq. Laym.l.1.tr.3.c.6.n.1.* Ex quibus resolvuntur hī Casus.

I. In omnibus, solo jure positivo prohibitis,licitum est desiderium cum conditione hac, *si prohibitum non esset*,v.g.ederem carnes die Veneris,si Ecclesia non vetuisset,Ratio,quia conditio omnē malitiam,quæ à sola prohibitione est, aufert, *Az. l.4.c.6.q.10.Sanch.l.1,c.2.Vasq.d.116.c.2.*

II. Idem valet in prohibitis quidem jure naturali,licitis tamen in aliquo casu, aut statu,si is pro conditione apponatur, v.g. occiderem Petrum,si

Deus mandaret; suspenderem furem, si essem ... dex; ducerem uxorem, si liceret, si non esse... cerdos, si essem liber à voto. Ratio, quia hæc ... illo statu sunt licita. Rectè tamen monet *Sa. V... catum*, hujusmodi desideria esse periculosa, ... tanda, atq; ut ait *Cajet. ibidem*, esse fatuas & ... bolicas tentationes. *Ibid. Laym. l. 1. t. 3. c. 6. n. 10.*

III. Etsi idem quidam, ut *Cajet. Sal. & Val...* niversim affirment de omnibus jure naturæ, ... simpliciter prohibitis, si conditio impossibilis ... posita tollat rationem peccati ab objecto; ut si ... eas, si non esset peccatum, fornicarer; eo qu... tunc consensus non videatur ferri in malum ... babilius tamen videtur, quod docet *Az. Sanch. ... Lay.* esse pecatum; eo quod sit intrinsecè malum ... nec malitia sua, (quæ in consensum circa tale ob... jectum traheret, nisi Dei lex arceret) exui possit, ... deoq; voluntas feratur in malum. Quod tamen ... intellige, si efficaciter feratur, quia si tantum sit ... gnificatio propensionis naturalis in illud obje... ctum, non est peccatum, *San. l. 1. c. 2. n. 25. Laym. ... 1. t. 3. c. 6. n. 11. v. Card. de Lugo, d. 16. n. 376.*

IV. Gaudere & delectari de opere malo, sub co... ditione, *si liceret*, v. g. in prædictis desideriis ... cacibus illicitis, quando conditio est possibilis, ... etsi possit excusari à peccato, secundum quosdam ... Doctores, si fiat tantum secundum appetitum ra... tionalem, sive voluntatem: (secluso omni alio pe... riculo consensus illiciti, & turpis motus: qui ta... men, quia communiter & connaturaliter sequitur, ... vix tutum videtur in praxi) non potest tamen ex... cusari, si sit delectatio voluntaria appetitus sensiti...

Jh

vi, quæ propriè delectatio dicitur, fitque communiter cum aliqua alteratione corporis. Ratio discriminis est, quia voluntas potest ferri in objectum abstractum à malitia, cum sequatur intellectum, cujus est abstrahere, appetitus verò, quia sequitur imaginationem, non fertur in objectum, sub aliqua certa conditione status, vel temporis apprehensum, sed ut est in se, ideoque talis delectatio est de objecto absolutè malo, *vid. Laym. & Bon, de mat. q. 4. p. 8.*

## ARTICULUS II.

### *An delectatio morosa semper sit peccatum?*

Resp. Si terminetur ad cogitatum opus malum secundùm se, est peccatum mortale, vel veniale prout ipsum opus mortale, vel veniale est. Ita commun. ex *D. Thom. 1. 2. q. 78. n. 8.*

Dixi, *secundùm se*: quia si delectatio sit tantum de ipsa cogitatione, non autem de opere, non est peccatum, quia sicut cogitatio, v. g. de rebus obscœnis, in ordine ad doctionem, vel concionem, &c. bona est: cogitatio autem de iisdem rebus ex curiositate; est mala venialiter: ita consequenter, delectatio de tali cogitatione tanquam objecto, non est mala, sed quandoq; bona, quandoq; venialiter mala. Similiter nec peccatum erit, si delectatio versetur circa modum malè operandi, non circa ipsũ opus malũ: quo modo sine peccato sæpè nos delectãt fabulæ, comœdiæ, bella, homicidia, fraudes, furta, lapsus hominis, v. g. ex equo, &c. nõ

secundum se, sed modus furandi, rapiendi; artificiosus & industrius, modus cadendi inopinatus, *Leg. l. 1. t. 3. c. 6. n. 4.* Ex quibus resolves.

I. Licitum est gaudere, & delectari morosè de effectu bono, secuto ex opere malo: quia tunc delectatio non est de objecto malo.

II. Si talis effectus secutus sit ex opere secundum se quidem malo, hic tamen & nunc culpa vacante, ut v.g. quia factum est in somno, amentia, ebrietate, inculpabili ignorantia, tunc etiam de ipso actu licere aliquando delectari, non quidem secundum se, sed ut est causa talis boni effectus, docent *Less. l. 4. c. 3. n. 105. & 106. ex Vasq. t. 2. d. 105. c. 2.* v.g. de solutione naturæ facta in somno. Ratio, quia objectum delectationis istius non est malum. *v. Bon. de mat. d. 4. p. 8. n. 8. Sanch. l. 1. mor. cap. 2. n. 18. Card. de Lug. de pœn. d. 16. n. 389.* Imò addunt, licere aliquando desiderare (affectu simplici, & inefficaci desiderio,) ut tale quid fiat sine culpa, v.g. ut in somno eveniat naturæ solutio, ob finem bonum: dummodo desiderium non sit tam intensum, ut tale quid probabiliter causet, neq; sit periculum consentiendi in talem voluptatem. Ratio est, ajunt, quia objectum hujus desiderii, aut gaudii non est malum, *v. Less. & Bon. l. c.*

III. Non est peccatum, saltem mortale, si conjuges delectentur appetitu tantum rationali, de actu conjugii præterito, futuro vel possibili, respectu compartis præsentis, vel absentis. Item si sponsus desideret copulam futuram, aut de ea delectetur; vel vidua de præterita, Ratio, quia hi actus habent objectum licitum.

*V. 15. Inn. XI.*

Di-

Dixi, *appetitu rationali*: quia si sponsus, aut vidua, voluntariè consentiat in delectationem sensitivam, & carnalem, (quæ recordatione copulæ futuræ, aut præteritæ naturaliter oritur) mortaliter peccat, ut docet *Less. l. c. t. 3. cap. 6. Bon. Tann. Palau. v. Dia. t. 5. misc. R. 2.* contra *Medi &c.* Quia verò ad supradictam voluntatis oblectationem sensitiva & carnalis, ut plurimum, imò etiam periculum consensus in fornicationem, consequitur, oblectationem illam voluntatis in praxi vix locum habere, saltem in vidua, & sponsis; inter conjuges tamen, modo periculum pollutionis absit, etiam sensitivam & veneream delectationem non esse mortale, docet *Fill. Bon. de mat. q. 4. Sanch. Less. l. c. d. 1. & Dian. t. 3. misc. R. 36.* Tum quia status matrimonii hæc excusat, uti etiam tactus impudicos, solius voluptatis causa institutos: tum quia hæc tendunt per se ad opus conjugale, licet per accidens opus non exerceatur.

IV. Delectatio morosa, de rebus solo jure positivo prohibitis, non est illicita; modò non fiat sub ratione prohibitionis: v. g. si Carthusianus, vel alius, die jejunii se oblectet de cogitato esu carnium; quia non est de operè malo; cum lex tantum vetet comestionem externam. *Laym. l. 1. t. 3. c. 9. n. 9. Less. l. 4. c. 3. d. 14. n. 111. & n. 113.*

V. Qui delectationem morosam mortalem confitetur, addere debet circumstantias operis, de quo fuit delectatio: v. g. in materia iræ, an fuerit de occidendo fratre, an alio; uno, an pluribus in materia carnis, an de conjugata, moniali, consanguinea. Quod tamen limitat *Az. Sa. V. Luxuria. Salas*

*tom.2.t.13.d.16.ſ.6.n.59. &c.* ſi delectatio ferat in objectum apprehenſum ſecundum totam ſuam malitiam, non autem ſi tantũ ſecundum partem, v.g. in fœminam apprehenſam ut non ſuam non tamen ut alteri nuptam, vel ut monialẽ, tum enim probabile eſſe ait, delectationes tales reduci ad ſpeciem ſimplicis fornicationis. Ita etiam *Fil. Leſſ. Bon. Dian. Palaus. v. Card. de Lugo. d.16. num.* 363 Aliud eſt de ipſo opere externo, quod ſemper fertur in objectum ſecundum totam ſuam malitiam; aut etiam de deſiderio efficaci, quod fertur in opus externum ſecundum ſe, & ut eſt à parte rei, ac proinde eſt ejuſdem cum illo ſpeciei, ideoque ejus circumſtantiæ ſemper fatendæ ſunt, *v. Auct. cit.*

Reſp.II. Si quis ſine cauſa, & neceſſitate actionem exerceat, ex qua intelligit delectationem carnis naturaliter orituram; (v.g. ex curioſitate legit vel audit turpia) tamen ſine directa intentione, & ſine periculo conſenſus, peccat venialiter; ſi verò juſtam cauſam habeat, nihil peccat. *vid. ſupra in 6.p l.3 t.4.c.2.d 4.*

*Quæres.* An voluntas delectationem carnalem poſitivè reprimere teneatur:

Reſp. Si voluntas planè eam advertens, negativè & permiſſivè ſe habeat, ita ut nec approbet, nec repellat dummodò id non permittat ex ipſius delectationis complacentia, nec periculum ſit ulterioris conſenſus probabile eſt, quod docet *Cajet. Sanch. 1.mor.c.12.* non peccare mortaliter: tum quia non conſentit in delectationem: tum quia moraliter eſt impoſſibile, omnes illos motus evita-

tare; tum quia ex justa causa illos permittere, licet etiam secundum adversarios.

Resp.III. In praxi tamen verius videtur, quod docet *Vasq. Az. Less. Bec.* 1.2.*t.*2.*c.*5.*q.*5. sine justa causa eis non resistere, esse mortale: quia ferè semper voluntas est exposita periculo consensus; & contrarium credere, est nimia sui confidentia & præsumptio. Moderatè *Laym.* utramq; sententiam probabilem fatetur, & ait, delectationem videri mortalem, nisi saltem actum simplicis displicentiæ circa illam elicias; etsi efficaciter animum ad alia divertere negligas, cum facilè possis, & speres te tali modo posse depellere. *v. Laym. l.*1 *t.*3.*c.*6.

## DUBIUM III.

### *De Distinctione peccatorum.*

## ARTICULUS I.

### *Quæ peccata distinguantur specie?*

Resp. Peccata, quoad materiale, sive entitatem positivam, specie distinguuntur ex objectis formalibus, & circumstantiis speciem variantibus, quatenus eæ objecti formalis rationem habent. Quoad formale autem, proximè distinguuntur ab oppositis formis, sive rectitudine virtutis, qua privant, remotè autem & fundamentaliter, ex objectis. Ita *Tann. d.*4. *de pec. d.*1. *q* 2. Ratio primæ partis est, quia omnes actus specie distinguuntur ex objectis; peccata autem quoad materiale, dicunt ipsos actus. Ratio secundæ partis, quia pri-

va-

vationes proximè distinguuntur specie à form
quibus privant; sed peccata formaliter sunt pr
tiones rectitudinum oppositarum. Ratio
partis, quia rectitudo virtutis specificatur proxi
ex objecto : ergo privatio rectitudinis ex eod
remotè; *Ex quibus resolves.*

Peccata specie differunt, non tantùm quæ
versis virtutibus, sed etiam, quæ eidem oppon
tur extremè; ut prodigalitas, & avaritia: vel
ne diversa difformitatis, id est, quæ adeò diver
ratione & malitia ejusdem virtutis materiam
tingunt, ut quantum est ex natura ejusdem pec
ti, non sit eadem facilitas, moraliter loquendo,
que propensio utrumque peccatum commit
di, qualia sunt homicidium, furtum, adulteri
detractio.

## Articulus II.

### *Quæ peccata distinguantur numero?*

Resp. Numero distinguuntur duobus mod
Ex diversis objectis numero totalibus, non ma
rialiter & physicè tantùm, sed etiam formaliter
moraliter distinctis. 2. Per interruptionem actu
um moralem. *Fill. t. 21. c. 8.*

Dico, *moralem*: quia etsi ad distinctionem nu
mericam physicè sufficiat quævis interruptio, p
ordine tamen ad confessionem, non multiplic
tur, nisi moraliter multi sint, quia sicut in confes
one actus moralis, ita etiam multiplicatio & d
stinctio moralis attendi debet.

Pa

Porrò actus moraliter interrumpuntur, ita ut virtualiter, nec interpretativè manere censeantur. 1. Per contrariam voluntatem & propositum. 2. Per cessationem ab actu, voluntariam & liberam. 3. Per cessationem involuntariam & naturalem, sive ea fiat per somnum, sive per distractionem ad alia. Per somnum quidem, quia cum in illo cesset usus rationis, non continuatur actio libera & moralis: per distractionem verò, quia per illam prior cogitatio fit involuntaria, ideoque si ad eam redeatur, fit voluntaria, & moraliter multiplicatur. Ita *Vasq. &c.* Quæ sententia, etsi in peccatis externis tenenda sit, in internis tamen non habet locum, secundùm *Fill. tr.* 21. *cap.* 8. *num.* 317. Ratio, quia etsi per hanc interruptionem physicè actus multiplicetur, non tamen moraliter, quia hoc ipso quòd animus involuntariè distrahitur, remanet interpretativè prior voluntas, cum non sit retractata, aut aliter interrupta. *Vid. etiam Baldell. d.* 21. *n.* 3. Ex dictis resolves.

I. Unum numero peccatum committit, qui non actu odii, vel detractionis, fertur in 10. homines; qui uno ictu duos occidit; qui uno actu vult omittere officium horarium per mensem, jejunium per quadragesimam. Quia etsi hæc objecta physicè sint plura, sunt tamen unum moraliter & formaliter, quatenus in uno actu hic & nunc conjunguntur. Ita *Navar. Fill. Bonac. d.* 2. *q.* 4. *p.* 1. contra *Az. Vasq. &c.* qui satis probabiliter dicunt esse peccata distincta. Verum sive 10. peccata dicas, odiisse, v. g. 10. homines, sive unum, parum refert, cum unum hoc illis decẽ æquivaleat, proindeq; objecti gra-

gravitas in confessione exprimenda sit, quia quæ actum in suo esse individuali constituit, notat *Fill.Bon.Suar.de pœn.d.22.s.5.*

II. Actus voluntatis internus sæpius interruptus & repetitus, licet physicè sit multiplex, moraliter tamen est unum numero peccatum, in ordine ad confessionem, si consummetur in operibus quo externo, per eum intento & causato, aut etiam in pluribus actibus externis, sibi invicem subordinatis ad eundem finem: hinc v. gr. qui furatur bibliothecam per totam noctem, etsi sæpius voluntatem furandi renovet, unum furtum; qui ad occidendum alium pergens, sæpe voluntatem renovat, unum homicidium committit. Ratio, quia est una actio externa, ab internis intenta & causata, in qua internæ omnes complentur, & moraliter uniuntur. *v. Baldel. d.22. num.4.*

III. Actiones externæ, licet numero distinctæ ad eundem tamen finem, & actum principalem relatæ, modo non habeant distinctam ab illo malitiam, non distinguuntur ab ipso fine, & actu principali, moraliter loquendo, & in ordine ad confessionem: hinc oscula, tactus, verba impudica, &c. copulam carnalem præcedentia, imò etiam comitantia & subsequentia, tanquam complementa & appendices operis, unum numero peccatum sunt, ut docent *Nav.cap.16. n.17 Azor.l.4 cap.4. q.6. Fill. & c.* Ratio, quia sunt vel initia, vel partes, vel complementa & appendices operis, ejusdem actus humani & objecti, in quo omnia prædicta moraliter uniuntur.

Di-

Dixi, *complementa*: quia si similes actus non sunt initia vel partes copulæ subsecuturæ, aut ex actu præterito ex natura rei non consequantur, distinguuntur numero; ut v. g. si quis de fornicatione glorietur: proindeq; illi in confessione explicandi sunt separatim, non autem priores, ut docet *Suar. tom. 4. de pœn. d. 22. s. 1.*

## Caput II.

### *De Peccatis in specie, mortali & veniali.*

### DUBIUM I.

### *Quid sit peccatum mortale, & veniale?*

Resp. I. Mortale est, quod ob sui gravitatem, gratiam & amicitiam cum Deo solvit, pœnamq; æternam meretur. Dicitur, *mortale*: quia spiritualis vitæ principium, gratiam scilicet habitualem tollit, & mortem animæ affert.

Veniale est, quod ob suam levitatem gratiam & amicitiam non tollit, etsi fervorem charitatis minuat, & temporalem pœnam mereatur. Dicitur, *veniale*: quia salvo vitæ spiritualis principio, scilicet gratia, languorem animæ facilè curabilem infert, veniamq; facilè consequitur.

Resp. II. Mortale peccatum duplex est: aliud est mortale ex genere suo, aliud ex accidente. Mortale ex genere suo est, quod per se lædit charitatem Dei,

Dei, vel proximi, quoad personam, res aut jura nos ipsos corrumpit graviter. Ita *Azor.l.4.c.* *Sanch.1.mor.cap.*3. Unde resolves.

I. Peccata contra bonum proprium commissa ut plurimum sunt venalia ex genere, ut v.g. immodestis & vana concupiscentia, vana oblectatio, prodigalitas, curiositas, superfluitas, cultus & vestitus nugæ, otium, excessus in cibo, potu, somno, usu conjugii, timore, tristitia, appetitu pecuniæ, laudis, &c.

II. Peccata contra virtutes Theologicas, sunt mortalia ex genere suo; quia nocent bono alicui interno Dei, v.g. veracitati, misericordiæ, charitati. Item ferè omnia, quæ fiunt contra Decalogum; quia quæ committuntur contra tria prima præcepta, nocent similiter Deitati, scientiæ, omnipotentiæ divinæ, ejusque honori externo vel interno; quæ verò contra reliqua præcepta fiunt, nocent personæ, bono aut juri proximi.

II. Peccata illa septem, quæ dicuntur capitalia non omnia sunt mortalia ex genere suo, quia non omnia graviter Deum, aut proximum lædunt, vel nos ipsos corrumpunt.

Resp. III. Mortale ex accidente dicitur, cum actus aliquis venialis, aut indifferens fit per accidens mortalis, de quo *infra*.

Dd

## DUBIUM II.

### *Quibus ex causis peccatum ex genere suo mortale, fiat per accidens, veniale?*

Resp. I. Tria requiruntur ad peccatum mortale, quorum si unum desit, fit veniale, quod alias ex se est mortale. 1. Ex parte intellectus, plena advertentia & deliberatio. 2. Ex parte voluntatis, perfectus consensus. 3. Gravitas materiæ, saltem ut plurimum. Ratio primæ & secundæ partis est, quia spectata fragilitate humana, non videtur decere divinam bonitatem, æternis suppliciis punire hominem, absque plena consideratione & consensu. Ratio tertiæ partis, quia ubi materia parvi est momenti, ibi moraliter modica offensio esse reputatur, ut plurimum.

Resp. II. Peccatum ex genere suo mortale tribus ex causis fieri potest veniale, ut patet ex dictis. Prima est, si ex parte intellectus non sit perfecta advertentia malitiæ, seu deliberatio. Signa autem imperfectæ deliberationis sunt. 1. Si tenuiter, & quasi semidormiens, apprehendisti esse malum. 2. Si post, ubi melius consideras, judicas te non fuisse facturū, si ita apprehendisses. 3. Si vehementissima passione, apprehensione, vel distractione laborasti, vel turbatus fuisti, ita ut verè nesciveris, quid ageres.

Secunda causa est ex parte voluntatis, si non sit perfectus consensus. Signa autem imperfecti consensus sunt. 1. Si ita dispositus fueris, ut licet fa-

facilè potueris exequi peccatum ; non tamen executus.2.Si quis dubitet num consenserit, præsertim si sit vir timoratus. 3. Si quis soleat esse affectus;ut malit mori, quàm expressè mortaliter peccare:quia talis non facilè consentit. 4. Si quis valde timidè & suspensè processisse se meminit. Si semisomnis fuit,nō plenè sui compos,&c.judicetq; se id non fuisse facturum, si plenè vigilasset, *v.Sanch* 1.*mor.c* 10.*Baldell.l.*10.*d.*8.

Tertia causa ex parte materiæ , si hæc sit parvi momenti. Quando autem talis sit,discernendum est mortali judicio prudentis, cui sequentes regulæ servient 1 Ut de materia judicetur,non tantum ipsa secundum se absolutè est consideranda,sed etiam respectivè ad finem intentum, ad quem si parum facit,levis est,gravis autem,si multum,ut docet *Vasq.*1.2.*d.*158 2.Attendendæ sunt circumstantiæ:quia sæpe fit,ut res ex se levis,attentis circumstantiis boni communis, vitandi scandali, &c.fiat gravis. 3. An pars aliqua rei præceptæ sit gravis, ea spectanda est tum absolutè , & secundum se tum etiam in ordine ad totum. 4.In transgressionibus repetitis,si plures materiæ parvæ,vel secundum se,vel secundum effectus à se productos,moraliter conjungantur,fit materia gravis: quia tunc omnes moraliter reputantur pro una. Contra verò non censetur materia gravis, si parvæ materiæ, nec secundum se,nec secundum effectus relictos, inter se uniantur. *Ex dictis resolves.*

I. Peccas mortaliter,ita ut fiat materia gravis,si sæpè modicum furaris,& non restituis,juxta dicta *l.*5.*t.*5.*ca.*1.*d.*3,*casu.*1. item si interruptim psalmos ali-

aliquot ex eodem officio omittas: ſi eodem die jejunii ſæpius parum comedas, eodem feſto ſæpius parum labores.

II. Non peccas graviter ſi diverſis feſtis modicũ labores; ſi quotidie in Quadrageſima parũ comedas. Quod verum eſt, etiamſi ſimul haberes propoſitum ita faciendi: quia cum iſta moraliter inter ſe non uniantur, ſingula ſunt parva, *v. Sanch. l. c.*

III. Non peccat mortaliter, qui diverſis diebus violat votum, quotidie aut ſingulis diebus modicum quid orandi, vel parvam eleemoſynam dandi, ſi ſit onus affixum diei: quia cum quotidie cujusque diei obligatio extinguatur, materiæ illæ non continuantur. Quod verum eſt, etſi proponat ſemper omittere: quia illud propoſitum non fertur in rem gravem. Imò contra *Sanch.* id quidam verum putant, etſi quis 100 vota diverſæ ſpeciei, in materiis valde levibus, uno die implenda haberet: quia materiæ illæ cum ſint independentes à ſe, non uniuntur. Si tamen ſimilia vota non ſint onus affixum diei, ſed tantùm dies præfigatur ut terminus, ultra quem executio non differatur, erit peccatum mortale, poſtquam ad materiam notabilem perventum fuerit.

IV. Probabile eſt, eum, qui ter vel quater 1000. aureos in cauſas pias voviſſet, non peccaturum mortaliter, ſi tres non ſolveret, quia etſi talis pars, abſolute in ſe ſpectata, ſit notabilis, comparatione tamen totius, morali judicio non valde videtur æſtimanda, *v. Laym. l.* 1. *t.* 3. *c.* 5.

## DUBIUM III.

### *Quibus modis peccatum ex genere suo venia- aut actus indifferens, transeat per accidens in mortale?*

Quinque modis id fieri communiter, docent *Sanch. &c.* 1. Ratione finis adjuncti. 2. Ratione finis ultimi. 3. Ratione periculi. De singulis dicam breviter.

Resp. I. Peccatum veniale transit in mortale ratione finis adjuncti, ut si quis leviter mentiatur ad copulam carnalem extorquendam: quia cum finis mortalis ametur, mortale est. Non tamen necessarium est in confessione exprimere illud mendacium, sed solum desiderium fornicationis: quia secluſa malitia mortali finis, manet veniale.

Resp. II. Transit item in mortale, ratione inordinati affectus in rem aliquam; ut si v.g. ultimum finem in ea constituas. Ad quod non sufficit velle intensè & vehementer ferri in objectum, sed requiritur, ut appretiativè illud ita æstimet, saltem virtualiter, ut paratus sit, ejus causa transgredi præceptum obligans sub mortali: ut si quis inordinatè afficiatur ad fabulas, lusum, potius ut malit festo omittere sacrum, &c. quam illis privari. Notat autem *Bonac.* hunc affectum non tantum habitualem, sed actualem esse debere, ut peccatum contrahatur: quia non imputa-

tur ad culpam id, ad quod committendum, habitu tantùm es paratus.

Resp. III. Peccatum veniale fit mortale, ratione contemptus absoluti, & formalis.

Dico autem *contemptum absolutum & formalem*, quando nimirum ideo formaliter & absolutè præceptum violatur, quia ipsi, aut superiori subjici renuis, quod est peccatum superbiæ consummatæ; vel quando ideo non vis obedire præcepto, quia præceptum est, & est peccatum inobedientiæ formalis: quorum utrumque graviter pugnat cum charitate debita Superiori. Ex *quibus resolves.*

I. Non est mortale, si velis quidem obedire, & subjici absolutè, nolis tamen hic & nunc in re modica; aut si authoritatem legis, vel præcipientis admittas, executionem tamen hic & nunc contemnas. Ratio, quia non est contemptº absolutus & simpliciter, sed tantum secundùm quid.

II. Si præcisè ex indignatione, malitia, prava consuetudine, aliave causa, præceptum violetur, & non ex contemptu potestatis superioris, non est mortale, quia non est contemptus formalis, sed tantum interpretativus.

III. Est mortale, facere vel omittere aliquid, ex contemptu justæ legis humanæ. Item, ex contemptu Dei præcipientis, vel etiam consulentis (quod præterea tacitam blasphemiam continet, quasi Deus inutilia præciperet, aut consuleret) & denique facere aliquid ex contemptu Prælati ut sic, & ut à Deo authoritatem habentis, non tamẽ ut talis hominis, indocti, imprudentis,

imperfecti : quia hoc posterius, non est commnere absolutè & simpliciter, sed tantum secundum quid. *v. Sanch. 1. mor. c. 5. Bon. de peccat. 2. q. 3 p. 5.*

Resp. IV. Peccatum, vel opus indifferens habens mali speciem, transit per accidens in mortale, si ruina per illud proximo causanda sit mortalis. Ratio, quia tali operi superadditur aliquid graviter repugnans charitati. *v. dicta de scandalo & Fill. t. 21. c. 6. q. 10. n. 212.*

Resp. V. Veniale, vel opus indifferens, transit in mortale, ratione periculi incidendi in mortale, quando quis sine sufficienti cautela, aut necessitate aliquid facit, per quod veniat in mortale ac proximum periculum peccandi mortaliter, quia talis salutem animæ contemnit, cum tam probabili ejus periculo temerè se exponat. Ulde in confessione explicanda est species peccati, cujus periculo se objecit, quia eodē genere peccati peccavit. Proximum autem periculū censetur, quod frequenter homines similis conditionis in peccatum mortale inducit.

## CAPUT III.

### De Peccatis capitalibus in specie.

### DUBIUM I.

*Quid sit Superbia, & quale peccatum?*

Resp. I. Superbia est appetitus inordinatus propriæ excellentiæ : mortalis ex genere suo, si sit consummata & perfecta, id est, si quis ita excellere

cellere appetat, ut DEO, Superioribus, eorumque legibus subjici nolit. Imperfecta tamen, quâ quis subjici non renuens iis, quibus debet, & in suo tantum affectu sese magnificat, est tantum veniale, ut docet *Cajet. &c. V. Superbia*, quia sine Dei & aliorum despectu, plus justo se efferre, non est gravis inordinatio; esset tamen gravis, si fieret cum notabili aliorum contemptu, complacendo in aliorum abjectione.

Resp. II. Filiæ superbiæ sunt tres. 1. Est Præsumptio, quæ est appetitus aggrediendi aliquid supra vires. Est communiter veniale tantùm: fit tamen mortale, si damnum Deo, aut proximo afferat, v. g. si præsumas jurisdictionem Ecclesiasticam, potestatem ordinis sacri. Item officium Medici, Advocati, Confessarii, &c. sine debita peritia. *Less. l. 3. c. 2. d. 3. & supra l. 4. t. 3. d. 9.*

2. Est Ambitio, quæ est inordinatus appetitus dignitatis, & honoris non debiti, vel debito majoris; ut si ambias Beneficium, vel officium, quo es indignus; vel illicito modo & medio, v. g. per simoniam. Est per se peccatum veniale: fit autem mortale, vel ratione materiæ, ex qua vel ratione medii, per quod honor quæritur, vel ratione damni, quod proximo infertur. Denique si moderate honor appetatur ob honestum finem, erit actus magnanimitatis, ut docet *Laym.*

3. Est Vana gloria, scilicet cupiditas inanis gloriæ; cujus finis est manifestatio inordinata propriæ excellentiæ, sive veræ, sive fictæ. Dicitur, *vana*, quando quæritur ex re mala, falsa, aut

ficta; aut quæ non est digna gloria, vel non tanta; ut ex opibus, nugis, &c. aut apud eos, qui non bene de re judicant, aut sine debito fine. Est peccatum per se veniale, mortale sæpe per accidens, ut dictum de ambitione. Imo ut contra *Anglum* recte docet *Sylv. Navar. ca.* 17. *&c.* Est tantum veniale res etiam sacras principaliter facere ob gloriam vanam, v. g. concionari. Porro per vanam gloriam dupliciter peccatur, juxta D. *Thom.* 1.2 *q.* 13. 1.

1. Directè idque vel per verba: estque Jactantia: quæ est venialis per se, si sit de rebus bonis, v. g jejunio, oratione, &c. etsi per accidens sæpe ratione damni sit falsa, fiat mortalis, uti etiam 1. Si quid dicat contra gloriam Dei, ut Ezech. 28. *Deus ego sum* 2. si prorumpat in contumelias, v. g. Non sum sicut cæteri hominum, adulter, &c. ut & hic. 3. ex fine malo. 4 si cum notabili damno proximi fiat. 5. si de re moraliter mala: quia approbatio operis, eandem cum illo speciē habet (quę proinde in confessione debet exprimi, saltem quando cum jactantia de peccato conjuncta fuit complacentia ejusdem. Quod addo, quia si absque ea fuit, *Navar. Palau. & Diana tom.* 2. *tract.* 4. *R.* 116. docent contra *Sanch. Lopez Rodriq. &c.* non necessario explicari. *v. Card. de Lugo d.* 16 *n.* 267.) vel per facta, quæ si vera sunt & aliquid admirationis habent, dicitur Inventio novitatum, hæc enim solet vulgus admirari, ut peregrinas vestes, opiniones, &c. mortale, si notabiliter corrumpat juventutē, vel mores. Si vero facta falsa sint, est Hypocrisis,

v. g. si

v.g. si quis boni aliquid faciat ut videatur bonus, etsi non sit: quæ ex se venialis est, nisi sit cum injuria vel contemptu Dei & proximi. 2. Indirectè, in quantum quis altero non vult esse minor. Quod fit quadrupliciter. 1. Per intellectum, & est Pertinacia, quâ quis nimis tenaciter adhæret suæ sententiæ: quæ est mortalis, si oppugnetur veritas magni momenti, vel si sit conjuncta cum periculo tertii, v.g. si medicus cum periculo ægroti maneat in sententia: Per voluntatem, & est Discordia: quâ peccatur mortaliter, quando est circa bonum Dei, vel proximi, in quo deberent esse concordes. 3. Per verba, & est Contentio, quæ est mortalis, quando animo contradicendi altercaris circa veritatem pertinentem ad fidem, vel salutem animæ, aut corporis. 4. Per factа, dum quis non vult exequi quod debet, & est inobedientia. *vid. Baldell.*

Resp. III. His tribus superbiæ filiabus respondet Pusillanimitas, qua quis nimium sibi diffidens, detrectat honores, gloriam, vel officium, quo dignus est: veniale est ex genere suo, fit mortale, si detrectes, ad quod teneris sub mortali. *v. Less l. 3. c. 2. Lay. l. 3. f. 5.* Ex dictis resolvuntur sequentes Casus.

I. Audiens laudem alterius, vel suam, de re mortaliter mala, peccat mortaliter, si approbet, suspiciat, admiretur ut laude dignum. *Sanch. Bald. d. 29. l. 3.*

II. Vituperans alium ad vindictam non sumptam, aliudve grave malum, vel peccatum omissum, v.g. fornicationem, peccat mortaliter,

quia est species jactantiæ, & est cum approbatione peccati & occasio committendi. *Ibid.*

III. Inducens in civitatem novos habitus, & prævidens, quod suo exemplo moralem necessitatem imponat aliis, ut sumptus faciant supra vires, & postea non possint alere quos debent, vel creditoribus non satisfacere, peccat graviter. *Baldel. l. c.*

IV. Exornare se nimium ex animi levitate, vel vanitate, per se tantum est veniale. *Ibid.*

V. Simulare sanctitatem cum voluntate non habendi, mortale esse dicit. *Bald. l. c.*

VI. Simulare improbitatem est peccatum, quia est mendacium & quidem scandalosum, potest esse mortale. Neque id fecerunt Sancti, nisi faciendo id, quod ex se est indifferens, & permittendo ab aliis accipi, ut signum improbitatis, cum tamen nec ex natura sua, nec ex eorum intentione esset tale.

## DUBIUM II.

### *Quid Avaritia?*

Resp. I. Est inordinatus appetitus temporalium. Unde ex hoc, & regula supra tradita, de peccato mortali, *resolves sequentes Casus.*

I. Est ipsa ex genere suo venialis.

II. Cum verò eò excrescit, ut ejus causa divinas leges prævaricari non dubites, fit mortalis.

III. Prodigalitas, quæ opponitur avaritiæ, & consi-

consistit in defectu conservandi, & excessu erogandi, est ex genere suo venialis: levior, quam avaritia, quia minus abit à virtute liberalitatis. Interim mortalis fit, si liberis, & uxori pauperiem crees; si impotentem te reddas ad solvenda debita, si profundas bona Ecclesiastica, piis causis obnoxia, *v. Less. l. 2. ca. 47. d. 8.*

Resp. II. Filiæ Avaritiæ sunt sequentes.

I. Obduratio cordis, (contra misericordiam) egenis & pauperibus non compatiendo, eos objurgando, debita dure nimis exigendo, quando creditor non est solvendo, &c. Hâc aliquando peccari potest mortaliter, quando præceptum eleemosynæ vel charitatis urget & tamen ex tali duritia non subvenitur. *Navar. ca. 27. Tol. l. 8. ca. 26. v. dicta de charitate proximi.*

II. Inquietudo cordis, hoc est, vehemens, & inordinata applicatio mentis ad acquirendas, vel conservandas divitias, cum inani & vano timore, ne non acquirantur vel perdantur. Est mortalis, quando retrahit à spiritualibus, vel aliis, ad quæ ex præcepto gravi obligamur, (v.g. auditione Missæ) vel inducit superfluum timorem, & ex hoc diffidentiam erga Deum. Venialis est, si sit de re bona; sed tempore vel loco indebito; v.g. de familia, messe, vindemia, quando quis est in templo, vel vacandum est Deo, *S. Thom. 2. 2. q. 55. a. 6. Regin. l. 23. c. 2. q. 3. Escob.*

III. Violentia mortalis est, quando est injusta, & circa materiam gravem.

IV. Fallacia sive dolus in verbis: potest esse mortalis, ratione finis, vel mediorum.

V. Fraus, sive dolus in facto. Est mortalis genere suo, contingitque multipliciter in contractibus, tam ratione materiæ (v.g. si ea vitium habet, vel non sit qualis existimatur) quàm ratione pretii. *Navar. c. 23. Tol. l. 8. c. 47. Escob.*

VI. Proditio, quæ est deceptio contra fidem datam; aut debitam, in damnum illius: mortalis est ex genere suo. Contingit ferè tripliciter. 1. Circa personas; quomodo Judas Christum, Dalila Sampsonem, prodidit. 2. Circa res, vel immobiles (ut si miles manifestet hosti modum capiendi arcem) vel mobiles, ut si pecuniam, vestem, &c. cujuspiam absconditam prædoni ostendas. 3. Circa secretum; vel sibi commissum revelando. (quod est contra fidelitatem & justitiam, siquidem promissum fuit; quia est pactum oneros um, ut docet *Card. de Lugo. d. 14. num. 139.* & quidem mortale, si prævidere possis inde secuturum notabile aliorum damnum, vel discordiam; aliàs veniale) vel alienas literas aperiendo, & legendo. Quod postremum si fiat ideo, ut sciat secreta alterius, est Curiositas; & si sit in re gravi, per se est mortale: quod quia communiter ante apertionem nescitur, communiter esse mortale, docet *Tol. l. 8. cap. 45. Baldel. l. 3. d. 11. Nav. c. pen. d. 6. de pœnit. Mol. Laym. l. 3. t. 3. p. 1. cap. 4.* [qui addit, eum, qui dolosè alienas literas aperit, & legit, cum alterius injuria vel damno, crimen falsi committere.] Dixi *per se esse mortale*; quia per accidens potest esse veniale, vel nullum, si legitima authoritate, justa ex causa fiat, *unde resolvun. tur casus seq.* I. Lite-

I. Literas alienas aperire, & legere, sæpe non est peccatum, si probabiliter scias, scriptas esse in tuum injustum damnum, vel in injuriam tuam cedere, quam intendas avertere; quia potes tibi consulere. Sic Princeps potest aperire literas, non tantum hostium, sed etiam aliorum, quæ tempore belli, ex locis finitimis hostium veniunt. Item ministri publici, quoties bono publico necessarium esse judicant. *Navar. c. 18. Reg. l. 24. n 60 Escob. Card. de Lugo d. n. 148.*

II. Communiter etiam peccatum non est, si consensus expressus habeatur ejus, à quo, vel ad quem mittuntur, (neque lex specialis vetet. *Card. de Lugo l. c.*) vel tacitus saltem; ut si facias sub ratihabitione, confidens rationabiliter, habitum iri ratum. Ita *Escob. ex Navar. Regin. &c l. c.*

III. Superior Religiosus, literas suorum subditorum, (dummodo non mittantur ad superiorem majorem, vel talem, quem statuta eximant, nec ab eo veniant.) licitè aperit, & legit; sive ex Religionis statuto, aut consuetudine; sive ex suspicione probabili, quod mali aliquid contineant, *v. Escob. Peirinum de relig. t. 1. q. 2. cap 1. Dian. p. 5 t. 6. R. 55.*

IV. Nec est peccatum, si necesse sit, vel expediat ad injuriam alteri imminentem avertendam; dummodo non plus legatur, quam ad eum finem necesse est. *Card. de Lugo l. c.*

V. Qui aperit & legit, existimans non contineri res magni momenti, venialiter tantum peccat. *Card. de Lugo, l. c.*

VI. Si literas ab alio dilaceratas, & in publicum à domino abjectas, recolligas, & junctis partibus legas, ex sola curiositate, peccatum veniale est: nullum autem, (per se) si, ut exilla notitia tibi provideas: quia quod pro derelicto habetur, in usum suum convertere licet. *Baldel. in S. Anton & Rosel. Sylv. V. emptio. q. 17. Laym. l. 3. s. 5. t. 3. p. 1. ca. 4. num. 4 Dian. tom. 2. t. 6. m.* R 55 Rectè tamen notat *Laym. l. c* talem ex charitate teneri, non manifestare secretũ iis contentum si damnum inde cujuspiam provenire possit, imo (addit) revelans ejusmodi secretum [cujus notitiam etiam justè acquisivit] contra justitiam peccabit, si intelligat, audientes eâ notitiâ usuros, ad damnum injuste inferendum. *Laym. l. c*

Dixi, I *à domino projectas*: quia si vel ab alio projectæ [domino inscio] vel ab ipsomet casu perditæ fuerint, non licet legere.

Dixi II. *In locum publicum*: quia si in ignem vel fornacem v. g. projectæ sint, ut comburantur, peccas, si extrahas & legas, *v. Card. de Lugo d. 15. num. 150.*

Dixi III. *Per se*: quia fieri potest, ut ea contineantur, quorum lectio sit perniciosa.

VII. Qui furtivè scripta alterius secreta, ipso invito legit, peccat. Et 1. quidem peccato curiositatis; etsi faciat animo discendi, & sine suspicione damni. 2. Injustitiæ: quia quisque habet jus secreti in suis scriptis, quæ aliis non vult esse communia. *Navar. cap. 15. Mol. tom. 1. d. 26. n. 1. Regin. l. 24. cap. 6. num. 119.* potestque aliquando esse

esse mortale, si nimirum fiat cum notabili damno: vel alter valde cupiat esse secreta, gravissimeque sit laturus. *Bald. d. 13. v. etiam Card. de Lugo l. c.*

VIII. Quicunque secretum violat absque justa causa, cum alterius damno: vel qui literas alterius injustè, aperit, ex quo damnum alteri sequitur, tenetur ad restitutionem. *Bon. d. 2 de rest. q. 1. l. p. 1. Trul. l. 7. ca. 10. d. 32.*

## DUBIUM III.

### *Quid Luxuria?*

Resp. Est appetitus inordinatus venereorum, quorum usus cum ex natura sua institutus sit ad conservationem generis humani, quod est magnum bonum hominum, & externum Dei, proinde qui abutitur, lædit Deum & homines. Est mortalis ex genere suo. *v. supra l. 3. t. 4. ca. 2. & l. 5. c. 1. d. 2.*

Resp. II. Filiæ Luxuriæ, quæ eam plerumque sequuntur, sunt octo: quatuor ex parte intellectus: & quatuor ex parte voluntatis.

1. Cœcitas mentis: cum quis adeò est addictus turpitudini, ut de cœlestibus non cogitet.

2. Præcipitatio, quâ quis ex eadem causa, sine consilio operatur.

3. Inconsideratio: quando in modo delinquit, inconsideratè agens, quæ statum vel personam dedecent.

4. Inconstantia; quando quis ex eodem affectu voluptatum à piis propositis mox deficit.

5. Amor sui; talis enim homo ob voluptates ipsum finem suarum actionum facit, non Deum.

6. Odium Dei: lascivus enim solet à rebus divinis abhorrere, imo ab ipso Deo, tanquam peccatorum vindice.

7. Affectus præsentis sæculi: amor enim voluptatum carnalium ita animum afficit, ut subinde etiam beatitudini æternæ paratus esset renunciare, si præsentibus frui permitteretur.

8. Horror futuri sæculi; quando voluptatibus immersus, mortem inordinatè timet, & de ea nolens cogitare, vitam illicitis mediis propagare studet, &c.

Priores quatuor sunt mortales, quando finis ultimus in Creatura ponitur: vel præceptum aliquod Dei graviter obligans, prætermittitur. Posteriores quatuor; sit plenus si voluntatis consensus, per se sunt mortales, ex indeliberatione, vel alia actuum imperfectione, sæpe veniales. *Escob. & Baldell. ll. cc.*

## DUBIUM IV.

### *Quid Invidia?*

Resp. Est tristitia de alterius bono, prout illud est diminutivum propriæ excellentiæ, ita ut hæc directè sit contra charitatem, hæc enim gaudet de bono proximi, quod invidia destructum optat, vel non destructum dolet. *Unde resolves,*

Est

I. Est ex genere suo mortalis : & gravissima quidem, atque in Spiritum S. si sit de ipsa gratia, vel auxilio Dei.

II. Filiæ similiter ex genere suo mortales sunt, ac numerantur hæ : 1. Odium, de quo supra. 2. Detractio, de qua *in præc.* 8. 3. Gaudium in malis proximi. 4. Susurratio, quæ est oblocutio mala de proximo, ad tollendam amicitiam ipsius cum aliis, quam proinde susurro restituere tenetur, & iterum reconciliare, non secus ac detractor famam. *v. in præc.* 8.

III. Si tristitia sit de bono alterius, in quantum ex eo tibi vel aliis times nocumentum, v. g. inimicus tuus est evectus ad officium, ut tibi facilius possit nocere, non est invidia, sed timor, qui per se non est peccatum, nisi sit inordinatus. *Laym. l. 3. t. 3. c. 10.*

IV. Si tristitia sit ex eo, quod nobis desit bonum, quod alter habet, ita tamen, ut illud alteri non discupiamus, non est invidia, sed æmulatio, seu zelus : qui si est circa bonum honestum, est laudabilis, si autem circa temporalia, interdum est veniale ; ut si bonum dolenti sit improportionatum, quale esset, si rusticus doleret se non esse Regem. *Laym. l. 3 t 3 cap. 10 num. 2.*

V. Si tristitia est ex bono alterius, in quantum ille est indignus, non est invidia, sed indignatio ; quæ non est peccatum : erit tamen, & quidem mortale, si vel Dei providentiam arguat, (est-que blaphemia) vel si ita afficiat, ut dicat homines ad malum imitandum. *Cajet. Laym. l. 6.*

VI. Si

VI. Si doleas, quod alter tibi æqualis, vel non multum inæqualis, in excellentia crescat, ita ut fiat superior & ipsum incrementum excellentiæ apprehendas, ut tibi malum, est propriè dicta invidia: invidus enim dicitur, quod non sit videns, quia bona alterius sine tristitia videre non potest. *Baldel. d. 29. l. 3.* & sic peccare solent, 1. Ambitiosi, & qui ex re aliqua quærunt gloriam, quam cum in eo ponant, ut in illa re sint soli, ac singulares, dolent & tristantur, si alii accedant. 2. Pusillanimes, quibus cum omnia videantur magna, quovis bono alterius putant minui suum: sic mulieres v.g. facilè apprehendunt, ac dolent, se superari bono alterius, v.g. formositate. 3. Senes respectu juvenum, & quicunque aliquid difficulter obtinuerunt, quod aliis facilè consequuntur, *Bald. loc. cit.*

VII. Qui in adversis suis, vel ob aliorum prosperitatem, optat se non fuisse natum, vel se brutum animal factum fuisse, vel diem esse maledictum, quo natus est, vel alterum primò vidit, aut conjugem accepit, si tantum intendat maledicere irrationali creaturæ, v.g. diei (sive sit nativitatis, sive conjugii) qui tot mala culpæ, vel pœnæ protulit, videtur esse tantum veniale (aliquando etiam nullum, ut Jobi) si autem deliberatè intendat optare malum homini, sive sibi, sive alteri, illo die natis, vel conjugatis, mortale est. *Escob & Marchant man, cap. 3.*

DU-

# DUBIUM V.

## *De Gula.*

## ARTICULUS I.

### *Quid sit Gula?*

Resp. Ea est inordinatus appetitus cibi & potus: opponiturque abstinentiæ, & committitur 5. modis. 1. Si edas ante tempus. 2. Si nimis exquisita 3. Si plus justo. 4. Si voraciter. 5. Si nimis exquisitè præparata. *Laym. l. 3. t. 4. nu. 5.* Unde resolves.

I. Gula ex genere suo est peccatum tantum veniale; quia nullus horum modorum repugnat præcisè charitati Dei, vel proximi.

II. Hinc probabile est, quod docet *Navar. Tol. &c.* & non repugnat *Laym.* secluso scandalo & aliis, veniale tantum esse, usque ad vomitū se cibo & potu implere: idq; etiā, si quis vomat, ut iterato possit bibere: quod tamen *V. Comedere, Sa, aliique multi* putant mortale. *v. Bald. Escob. 8. 2. E. 2. c. 5.*

III. Vix dubium est, licere esu aut potu, aliterve creare vomitum, si is salubris esse judicetur.

IV. Mortalis interim censetur crapula ex accidente & nimia inordinatione, in his casibus. 1. Si quis gulæ causa violet jeiunia Ecclesiæ. 2. Si quis ex gula notabiliter ineptus fiat ad functiones, ad quas sub mortali tenetur. 3. Si quis valdè graviter valetudini noceat, id avertens: secus si leviter tantum, ut v. g. si febricitans

haustu

hauſtu aquæ morbum augeat. 4. Si continue fiant commeſſationes, & compotationes, ita ut venter pro Deo habeatur. 5. Si quis bibat ad perfectam ebrietatem, de qua infra. 6. Si quis ex mera gula veſcatur carnibus, aut ſanguine humano; tum quia id repugnat pietati defunctis debitæ; tum quia eſt contra inſtinctum naturæ abhorrentis. Excuſandum autem erit, ſi fiat cauſa medicinæ, aliave juſta cauſa, v. g. extremæ famis in obſidione; in qua tamen ſic vitam conſervare non teneberis. *Sanch. 1. mor. cap. 18. Leſſ. Laym. l. 3. ſ. 4. Sa. Bon. Baldell l. 3. c. 29.* Sic etiam excuſant quidam lictores illos, qui ut officium ſuum melius adminiſtrent, hauſtu ſanguinis humani ſe animare dicuntur; præſertim cum ſanguis, ſecundùm multos, animatus non fuerit. *v. Auctorem.*

V. Ex genere quoque ſuo venialia ſunt, quæ filiæ Gulæ dicuntur; nimirum ex parte animæ, 1. Hebetudo mentis, ſeu ſtupiditas nata ex crapula, v. g. ut non poſſit orare, &c. quæ fit mortalis, quando quis inordinatè bibendo, vel comedendo voluntariè, fit ineptus ad intelligenda vel præſtanda ea, quæ ad ſalutem illi ſunt neceſſaria, vel ad quæ ex officio, aut aliàs ſub gravi peccato tenetur. *Baldel. d 29. l. 3. num. 15.*

2. Inepta lætitia, per quam intelligitur non quævis inordinata, quæ omne peccatum ſequitur; ſed quæ movet ad cantiones obſcœnas, actus turpes, ſaltus, vel choreas inhoneſtas, &c. fitque mortalis, quando eſt inductiva alterius ad con-

consensum, vel delectationem mortalem, vel ad eam ordinatur. *ibid*

3. Multiloquium.

4. Scurrilitas, quæ ab inepta lætitia, & multiloquio differt, quod illa sit in appetitu, istud in verbis, hæc in verbis, & gestibus, dicitque semper aliquam inhonestatem, licet (per se, & seclusō scandalo) venialem: v.g. scurrilia dicere, vel canere, ventum emittere, &c. ex levitate ad risum excitandū: mortale tamen esset, si fieret causâ delectationis venereæ, *Baldell. l. c. Escob. t. 2. E 2 c. 4*

Ex parte corporis, Immunditia, Vomitus, & Seminis effusio. Quæ ultima, si voluntaria sit, mortale est, *v. Lay. lib. 3. s. 4. Less. lib. 3. cap. 3. Baldell. l. 3 cap. 29.*

## ARTICULUS II.

### *Quid sit Ebrietas?*

Resp. Malitia ebrietatis plenæ & perfectæ, in eo consistit, quod quis sine justa & gravi causa, tantum ob voluptatem, aut ingluviem, sciens volens, privet se usu rationis; non simpliciter, id quod fit in somno, modo naturali instituto ab authore naturæ, ad virium & imaginis Dei conservationem; sed violenter & modo innaturali, rationem perturbando, & Dei imaginem deturpando, in modum amentis bruti, ac simul insuper privando se proxima potestate utendi ratione, ad omnem subitam necessitatem. *Ita docens commun Doct. Vnde resolves.*

1. Perfecta ebrietas, quâ prædicto modo ratio plane

planè sopitur, est ex genere suo mortale: qui censetur Deo injurium, eius imaginem sic deturpare. *Est communis Doct.*

II. Non est peccatum, inebriare se ex prescripto Medicorum, si aliter sanitas recuperari non possit. *Sylv. Cajet. Laym.*

III. Nec item est peccatum, si quis cogatur intento ense. *v. Less. l. 4. cap. 3. d. 4 num. 37. Azor. Regin. Baldel.*

IV. Mortale est, alium inebriare velle, vel provocare ad æquales haustus, cum intentione inebriandi, aut advertentia secuturæ ebrietatis in se aliove, *Less. l. c.*

V. Si justa causa est, ut v. g. si grande malum non possit aliter impediri, nisi author inebrietur, licet eum inducere ad ebrietatem, quæ saltem ipsi non sit voluntaria, ut scilicet præter intentionem, ideoque inculpabiliter inebrietur; v. g. vinum fortissimum, aut medicatū propinando, cuius vi ignorata decipiatur. Unde sic posset inebriare eos, qui alioqui essent prodituri urbem, vel te abducturi. *Less. l. c. & Sanch. l. 2. de mat. d. 11.* An vero hoc casu liceat inducere ad ebrietatem ipsi voluntariam, dubium est. *Less. l. 4. cap. 3. dub. 4. num. 32.* affirmat, quia inquit, licet suadere & inducere ad minus malum, ut impediatur majus, *Laym. l. 3. s. 4. num. 6.* rectius negat: quia nullo casu licet inducere ad peccatum.

VI. Si quis non prævidit periculum ebrietatis, & sic vino captus est, aut in auram exiens, vento turbatus est, nec hoc prævidit, vacat culpâ. Unde multi excusantur, qui prudenter sæpe judicant,

dicant, adhuc se haustulum facere posse sine noxa; desinent tamen prudenter id judicare, si contrariam de se experientiam habeant.

VII. Si quis post potum discernere adhuc possit inter bonum & malum, licet nonnihil phantasia turbata sit, aut sequatur vomitus, lingua titubet, pedes vacillent, oculi cernant duplicia, vel domus gyrari videatur, nondum plena est ebrietas; ideoque tantum peccatum veniale, quamvis ex gravioribus, si deliberatè sit commissum, *v. Laym. loc. cit.*

VIII. Plena ebrietas notatur ex his signis, quæ dat *Less. dub. 2. num. 30. & Regin.* 1. Si quis nonmeminerit dictorum, factorum, quomodo vel quando domum deductus. 2 Si commisit ea, quæ nunquam aliàs sana mente solet, v. g. si præter morem turpia sit locutus, turbârit domum, uxorem verberaverit, &c.

IX. Mala in ebrietate commissa, si prævisa non sunt, aut sit adhibita cautio, culpâ vacant.

## DUBIUM VI.

### *Quid sit ira?*

Resp. Est inordinatus appetitus vindictæ. Quæ inordinatio, secundùm *D. Thom.* dupliciter fieri potest. 1 Ex parte modi irascendi, ut v. g. si nimium interius exardescas, vel exterius per signa nimis patefacias. 2. Ex parte objecti, ut si vindictam appetas plane injustam ob causam; vel si justo maiorem, v. g. optando inimico mortem, quam non est meritus; vel exequendam propria

pria authoritate; vel denique licet vindicta justa sit, non tamen eam appetas ut justam, sed ut ini-tiativam animi tui malevoli. *Vnde resolves.*

I. Si ordinatè appetatur vindicta, non est peccatum iræ: ut cum superiores irascuntur culpis subditorum, eosque puniunt, seu vindicant.

II. Ira inordinata; primo modo ante dicto, est ex genere suo veniale, potest tamen fieri mortale ex accidente, ut si addatur blasphemia, maledictio, scandalum.

III. Ira inordinata secundo modo, est ex genere suo mortale: quia est directe contra charitatem. *Bald. l. 3 d. 21.*

IV. De filialibus iræ, quæ partim sunt ex corde, ut Indignatio, & Tumor mentis; partim in ore, ut Clamor, Blasphemia, Contumelia, Maledictio; partim in opere, ut rixæ, pugnæ, seditiones, vulnera, diversimodè loquendum est, secundum regulam suprà datam. Nam 1. Indignatio, quæ est inordinatus affectus ex eo, quod quis reputet se indignè à tali tractari, communiter est veniale: imò si ex justo rationis judicio procedat, nullum est. Posset tamen esse mortale, si cresceret usque ad deliberatum odium, & contemptum personæ gravem. 2. Tumor mentis, quo quis morosè excogitat diversas vias vindictæ, iisq; cogitationibus animum tumefacit, quale peccatum sit, judicandum est ex qualitate vindictæ, quo excogitatur, *Tol. l. 8. c. 58.* 3. Clamor, cum iratus extollit vocem, multa inordinatè & confusè effundens, est veniale com-

communiter, nisi aliud addatur. 4. Blasphemia est mortale, de qua supra. *l. 3. t. 2. cap. 1.* 5. Contumelia, quâ quis proximo malum aliquod objicit, cum intentione illum inhonorandi, est ex genere suo mortale.

Dixi, *animo inhonorandi*: quia animo corrigendi, humiliandi, aliave ratione, potest superior verbum aliquod aliàs contumeliosum objicere: quomodo Christus vocavit Apostolos stultos; & Apostolus Galatas insensatos. In quo tamen peccari potest, si modus debitæ correctionis excedatur: vel subditus gravius dehonoretur, quã per delictum meruit, *v. Baldel. d. 34. n. 16.* Item ut docet *Cajet.* potest contumelia esse venialis tantum, si sit parva tantum; vel si sit tantum materialis, sine intentione dehonorandi; modo non sequatur læsio notabilis honoris proximi. Et sic excusantur, saltem à mortali, multi parentes dum filios vocant asinos, &c. item mulieres, pueri, & infimæ sortis homines, conviciis se onerantes: quia cum fides iis non habeatur, non læditur graviter honor, *v. Bonac. t. 3. q. 2. p. 5.* Denique si joci causa, & per convenientẽ recreationem, leves defectus objiciantur, urbanitas est, secundùm *D. Thom. 2. 2. q. 72. a. 2.* dummodo alter non contristetur; nec ad iram moveatur.

Contumelia etiam fit facto, tum indirectè, ut si imaginem, vel literas alterius conculces, comburas; tum directè, ut si virum honestum fuste cedas, ad januam ejus cornua, &c apponas, vel repræsentes aliquid, quod honorem alterius lædat. Huc spectat subsannatio, illusio & derisio,

quando

quando fit signis, ut naso rugato, labiis extens &c. intendendo proximi confusionem: quæ si gravis, vel saltem proximus eâ graviter cont stetur, mortalia sunt, *Bonac. Mol. Baldel. l. 3 d. &c. ex S. Thom.* Circa quæ Nota: Quòd qui p contumeliam læsit alterius honorem, tenet hunc restituere, etiamsi fama non sit læsa. Ha autem fieri potest, vel per honorificam, & am cam salutationem, vel invitationem ad mensa vel petitionem veniæ: (etiam subinde flexis g nibus, & coram testibus) prout læsio fuit grav *v. Card. de Lugo d. 15. num. 53* Adde, quòd co tumeliæ mortalis qualitatem in confessione e plicare, non sit necessarium, ut contra *Bill. &* docet *Acor, Sa, Mol. Card. de Lugo d. 16. de pæ numer. 269.*

VI. Maledictio, quâ quis optat, vel impreca tur alteri malum, sub ratione mali, est ex genere suo mortale.

VII. Rixæ, si modum non excedant, uti & le viculæ pugnæ, veniales sunt, secus, si progrediantur ad seditiones, vulnera, cædes. Suntque ha communiter peccata ex parte incipientis rixam: alter enim potest se defendere cum moderamine inculpatæ tutelæ.

## DUBIUM VII.

### *Quid sit Acedia?*

Resp. Acedia sive animi tædium, potest ex *D. Tho. 2. 2. q. 35. a. 2.* dupliciter usurpari. 1. Generaliter, pro omni animi remissione in exercitio virtutum, eo quod labor aliquis sit adjunctus

2. Par

2. Particulariter, pro tristitia & tædio de divina amicitia, eo quod per virtutum exercitia laboriosa servari debeat, & sic amicitiam illam non curet *Vnde resolvuntur.*

I. Acedia accepta primo modo, tum demum est peccatum mortale, cum ideo committitur opus vetitum sub mortali.

II. Acedia accepta secundo modo, ex se est mortale: quia repugnat charitati Dei.

Ex quo de filiabus Acediæ quoque facilè judicari potest, quæ sunt sequentes.

I. Malitia, quâ quis odio habet bona spiritualia, & vellet ea non esse: aut quâ ipsum pœnitet benefeciſſe, vel impleviſſe id, quod tenebatur: aut quâ contemnit Dei beneficium, v.g. desiderando se non fuisse natum, aut agnoviſſe Christum, &c. Est autem ex genere suo mortale.

II. Pusillanimitas, & desperatio de salute, quæ mortale quoque est.

III. Rancor, quo ii sunt fastidio, qui ad spiritualia inducunt.

IV. Torpor, cum bona fiunt, non cum debito fervore.

V. Evagatio mentis, quâ quis in exercitio spiritualium evagatur circa illicita: sive per cogitationem, & dicitur curiositas: sive per locutionem, & dicitur verbositas: sive per inquietudinem, & dicitur inquietudo: quæ communiter sunt venialia, *v. D. Thom q. 35. Laym. l. 2 t. 3. c. 9. Tol l 8.*

Culpabilis autem evagatio, mortalis erit, quando notabilis est, & attentio requiritur ad

implendum præceptum obligans sub mortali v.g.in recitandis horis canonicis,celebrandâ, audienda Missa. *Regin. Palaus de char. t.6.d. p.3. Trul. l. 1.c. 6.d.1.* contra *Tambur. de exp. sacrif.l.2.c.3.* ubi docet, distractum esse voluntariè,& per notabile tempus inter sacrificandum extra Canonem,esse tantum veniale,licèt concedat,sub Canone,præsertim circa consecrationem esse mortale, propter gravem irreverentiam & periculum erroris.

Dixi,*ad implendum præceptum*, nam in oratione vel non præceptâ , vel sub obligatione tantùm veniali , est peccatum veniale tantum. *S. Thom. Navar. Suar. Less. l.2.cap.37.d.11.* imo nullum, si non tam intendat orare, quam verba precum recitando, pio exercitio se occupare, quia non formaliter , sed materialiter tantum orat; v.g. cum quis manibus laborans , psalmos , aliasve preces recitat, aut cantat,non animo orandi , sed cavendi cogitationes vanas,vel recreandi se,*Sanch.cons. p.2.l.7.c.2.d.31.Tr.l.1.c.7. d.10.* v. suprà *l. 4.c.2.d.2.*

LIBER

# LIBER VI.

## *De Sacramentis.*

HAbebit hic liber Tractatus sex. 1. agetur de Sacramentis in genere, 2. de Baptismo, & Confirmatione. 3. de Eucharistia. 4. de Pœnitentia. 5. de Extrema unctione & Ordine. 6. de Matrimonio.

## TRACTATUS PRIMUS.

### *De Sacramentis in genere.*

### CAPUT I.

### *De natura Sacramenti novæ legis.*

### DUBIUM I.

### *Quid sit Sacramentum?*

REsp. Est res sensibilis, quæ ex stabili institutione Christi, vim habet sanctitatis, sive gratiæ justificantis efficiendæ, & per consequens significandæ. *Vnde resolvo.*

I. Ad essentiam Sacramenti requiri tria. 1. Ut sit signum stabile. 2. Ut significet veram sanctitatem. 3. Ut eandem efficiat ex opere operato, id est, usu suo & applicatione, per propriam efficaciam & non ex opere operantis, sive per effectum aut dispositionem ministrantis, vel suscipientis: quæ etsi ad effectum Sacramenti requiruntur, non tamen ut causa, sed ut conditio sine qua non.

II. A definitione talis Sacramenti excluduntur Sacrificia tam novæ quam veteris legis, quia haec non sunt instituta ad gratiam ex opere operato conferendam, (etsi nihilominus sacrificium novæ legis sic eam impetret ei, pro quo offertur, non ut Sacramentum, usu suo & applicatione, sed per modum impetrationis) sed ad cultum Dei præstandum. *Con. d. 60. a. 22. 2.* Figuras & sacramenta veteris legis, v.g. circumcisionem, transitum maris rubri, agnum paschalem, varias item purificationes, & consecrationes sacerdotum, tum quia à Christo non sunt instituta; tum quia veram sanctitatem non efficiebant. Ac licet circumcisio aliquando sustulerit peccatum originale per veram gratiam, id fecit vel ex opere operantis in adultis, vel non ex opere operato, simpliciter & rigorosè, tum quia non continuit gratiam ut causa physica vel ut causa moralis; quia nondum erat exhibita passio Christi, & meritum, ex quo gratia pendebat; sed tantum ex speciali privilegio: tum quia non contulit gratiam formaliter quà Circumcisio, & ex sua institutione, sed quatenus erat professio fidei: neque vi appli-

applicationis & usus sui alioquin enim omni non ponenti obicem, & quidem præter omne meritum contulisset, quod est falsum. *v. Fill t. 1. ca. 1. & 9. 8 & cap. 8.* 3. Ea quæ dicuntur sacramentalia, v.g. benedictio Abbatis, consecratio virginis: quia præcisè ex usu suo, & opere operato, gratiam non conferunt: uti nec actus virtutum: præterquam quòd hi sensibiles non sint. 4. Lotionem pedum Apostolicorum, insufflationem Christi in Apostolos, per quam Spiritum sanctum illis dedit. Item verba Christi ad Magdalenam & Paralyticum *Luc 7. Remittuntur tibi peccata:* quia non fuerunt signa instituta stabiliter ad gratiam conferendam. 5 Martyrium ob eandem causam: esto enim ex opere operato gratiam conferat, non tamen est specialiter ad hoc institutum. *v Scholast.*

## DUBIUM II.

### *Quid circa materiam & formam Sacramentorum servandum?*

Suppono. Sacramentum dupliciter sumi. 1. Per modum compositi physici, in quo res sensibiles & actio, (v.g in Baptismo, aqua & ablutio: in Unctione oleum & unctio) dicitur materia, & quidem oleum, & aqua, materia remota, actio verò illa, materia proxima: verba autem aut quod eorum loco ponitur, (ut in Matrimonio signum consensus) dicuntur forma. Per modū compositi artificialis, & tunc dicta materia & forma, id est, res & verba, simul habent se instar

materiæ; significatio verò eorum, instar form
Hic quæritur de materia & forma, priore sens

Resp.I. Ut Sacramentum sit validum, debe
ter materiam & formam, v.g. inter affusionem
quæ, & pronunciationem verborum, tanta
conjunctio, ut secundum moralem homin
æstimationem spectatâ naturâ cujuscunque S
cramenti, una alteram afficiat hoc est, ut ver
censeantur cadere in talem rem, & cum
unum totale signum constituere. *vid. Bonac.*
*q.2 p.2. Suar. Con. &c.* Unde resolves.

I. In Baptismo, Confirmatione, Unctione,
Ordine, requiritur talis conjunctio, ut dum
nister verba pronunciat, moraliter censeatur
iam lavare, &c.

II. In Pœnitentia, absolutio satis diu pot
differri, sicut in judiciis, sententia post exam
causæ.

III. In Matrimonio, unius consensus pot
alterius consensum tam diu sequi, quamdiu
moraliter permanere censetur; sicut in al
contractibus. *v. Con. hic. c. 6.*

Resp.II. Ut valeat Sacramentum, non deb
fieri substantialis mutatio materiæ, vel form
accidentalis verò mutatio, etsi sæpè illicita sit,
non tamen invalidum facit Sacramentum. Per
sò substantialis mutatio materiæ dicitur quando
secundum communem usum & æstimationem
hominum, differt nomine, & re ab ea, quam
Christus præscripsit. Accidentalis dicitur, quan
do cum ea eundem retinet usum & nomen. Fo
mæ mutatio essentialis est, quando non manet
idem

idem sensus: accidentalis, quando manet. *Laym. l. 5. t. 1. cap. 4. excommuni.* Unde resolves.

I. Nullum est Sacramentum, si materia cruda consecretur, sive hæc differat specie substantiali à pane, sive non: quia communiter non censetur, aut dicitur panis. Item si aquæ artificiales adhibeantur in Baptismo; quia non habent communem usum, & nomen aquæ elementaris; esto physicè specie nõ discrepent. *v. infra de Baptismo.*

II. Valet Sacramentum, etsi aqua Baptismi sit calida &c. Item si panis Eucharisticus sit ater, fermentatus &c.

III. Defectu formæ, Sacramentum est nullum: 1. Si literæ aliquæ mutentur, variantes sensum: quod facile fit in initalibus: v.g. in nomine matris, milii, &c. 2. Si magna fiat interruptio verborum, ita ut moraliter non videantur cohærere. 3. Si forma divisim pronuncietur, v.g. unus dicat, Ego te baptizo; alter, In nomine Patris &c. quia erunt duæ formæ imperfectæ, & sensus falsus, *Vill. l. 1. cap. 4. q. 5. v. Bonac. q. 2. p. 1.*

IV. Forma valet, etsi nõ liceat. 1. Si omittas voces nõ essentiales, v.g. *Ego & Amen*, in Baptismo *Enim*, in forma Eucharistiæ, *Bon. d. 4. q. 3. p. 1. n. 9. & 10. ex Suar. &c.* 2. Si quid addas, v.g. In nomine Patris, qui te creavit, &c. 3. Si substituas synonima, v.g. abluo, pro baptizo. 4. Si tantũ transponas, ut, Hoc meum est corp$^{s}$; Te ego baptizo. 5. Si verba corrumpas ob præcipitantiã, & balbutiem; v.g. hoc est corp$^{s}$ me$^{s}$, vel, hic est enim calix meus. 6. Si interruptio fiat parva, v.g. Ego te baptizo, & interponat ista aqua est nimis frigida, vel

Custos verte folium, In nomine Patris, &c. Fol. 8. v. Bon. l. c.

## CAPUT II.

### *De ministro Sacramentorum.*

## DUBIUM I.

### *Quid requiratur, ut Minister det valide Sacramentum.*

Resp. Ad valorem Sacramenti in Ministro, non fides vel probitas sed præter potestatem (& jurisdictionem in quibusdam) requiritur intentio, seu voluntas, saltem virtualis & absoluta, vel huic æquivalens, faciendi non tantum externum illum actum, sed Sacramentum, vel saltem id quod facit Ecclesia, vel quod Christus instituit. Est Communis ex *Trid. sess. 7. Can.* 11. Ratio prioris partis est quia Sacramena operantur, non ex dispositione Ministri, sed virtute divina, secundum institutionem & meritum Christi. Ratio posterioris, quia ad confectionē Sacramenti requiritur talis intentio, quæ actionem determinet ad esse Sacramentale, tollatque indifferentiam verborum & actionum: talis autem non est intentio solius actionis externæ, quæ ad alios fines, v. g. ad ludum potest referri.

Dixi I. *saltem virtualis*: tum quia non sufficit interpretativa, vel habitualis (qualis etiam potest esse in ebrio, & dormiente) cum actus ab ea procedens non sit humanus & deliberatus, seu liber

liber in se: dum quia actualis, qua scilicet actu intendis, & vis hoc facere, etsi melior sit & consulta, non tamen requiritur: cum enim ea non sit in nostra potestate, & homo facilè distrahatur, nimis durum & plenum scrupulis fuisset, si hanc Christus requisivisset. Virtualis autem dicitur, quæ ex actuali præcedente relicta, durat in aliqua actione, vi illius incepta & continuata; ut si ex intentione baptizandi, vel celebrandi, vadas ad Ecclesiam, sacras vestes induas, altare vel baptisterium accedas, etsi interim omnia alia cogites. Ratio, quia hoc sufficit, ut actio illa sit humana, & moralis. *Lay. l. 5. t. 1. c. 5.* Unde resolves.

I. Si Sacerdos habens forte ante se panem, recitet fictum, & verba Christi, non ideo consecrat.

II. Impotens rationis, ebrius, vel somnians; non conficit Sacramentum, etiamsi ante ebrietatem, vel somnum id intenderit: quia non agit humano modo. *Laym. l. c.*

III. S. Athanasius in lusu puerili verè baptizavit quia intendit facere, quod viderat in templo fieri ab Episcopo.

IV. Hæreticus validè baptizat, & contrahit matrimonium, etsi non credat hoc esse Sacramentum, rideat & contemnat; imò etsi nolit facere, quod facit Ecclesia Romana, sed quod sua, falsò putans non Romanam, sed suam esse veram; etsi etiam per hoc nolit conferri gratiam. Ratio, quia intentio generalis, quâ vult quod Christus instituit, prævalet intentioni provenienti ex errore privato. *Bon. q. 5. p. 2. num. 9. Suar. Fill. &c.*

V. Non debet repetere sub conditione consecra-

crationem, qui in ipsa fuit distractus; vel qui nores hostias ad altare detulit, de quibus rem consecrans, non explicitè cogitavit, nec texit.

Dixi II. *Absoluta*: quia conditionata susp dit effectum, quod, præterquam in matrim fieri non potest. *Unde resolves.*

I. Validum est Sacramentum, collatum conditione præterita, aut præsenti necessari contingente, si conditio verè sit impleta: v abs vo te, si vis dimittere concubinam, si es: baptizo te, si non es baptizatus. *Bon. sum.* 18.

II. Nullum est Sacramentum, datum sub ditione futura, sive sit hæc contingens, ut abs vo te, si restitues, si dimiseris concubinam, sive necessaria, adjecta animo suspendendi Sacramentum, ut absolvo, si cras sol orietur. *Bon. Suar. Con. &c.*

III. Dubium est Sacramentum, collatum conditione occulta, humano modo incognoscibili: v. g. baptizo si es prædestinatus, si Deus det te hoc anno moriturum.

IV. Graviter peccat, qui administrat Sacramentum (excepto Matrimonio) sub conditione, non solum futura, (quod semper est mortale) sed etiam præsenti, aut præterita; sive in se sit prorsus occulta, quod etiam est mortale; sive humano modo cognoscibili, quod tamen nullum est, si fiat ex causa rationabili: rarò veniale, sæpius mortale, si absque ulla causa. Ratio, quia aut nullum facit Sacramentum, aut dubium, aut validum

validum quidem, sed non sine nugatione in re gravi. v. *Bonac. l. c. Suar. Con. &c. Scholast.*

## DUBIUM II.

### *Quid requiratur in Ministro, ut licitè ministret?*

Resp. I. Præter eâ, quæ ad valorem requiruntur, requiritur probitas, sive ut sit in gratia: tum quia Christo, cujus est Minister, debet se conformare: tum quia sancta sanctè sunt tractanda: tum quia ad hoc quidam singulariter ordinantur, & gratia peculiari donantur, ac proinde hoc curare præ aliis sunt obligati. Ita *Laym. l. c. & commun.* Unde resolves.

I. Peccat graviter, qui conficit Sacramenta, non habens sufficientem jurisdictionem, vel de ea rationabiliter dubitans, vel qui censurâ est prohibitus.

II. Non licet Sacerdoti administrare Sacramenta, cum attritione cognita: quia adhuc est extra statum gratiæ, *Bon. q. 3. p. 2. §. 1.*

III. Non tamen necessariò præmittit confessionem (nisi velit celebrare) etsi sit consultius: quia de hoc nullum est præceptum: & ad delendum mortale sufficit contritio. *Vasq. d. 136. cap. 1. Card. de Lugo d. 8. s. 9.*

IV. Minister Sacramenti ad id ordinat⁹, si conficiat & ministret solemniter in mortali, v. g. si baptizet, vel celebret, peccat mortaliter toties,

quoties (quod etiam verum esse volunt Sayr. de sac. & Bonac. Gran. con. t. 3. t. 5. d. 5. de Diacon. ex speciali commissione baptizare) nisi forte periculum sit in mora, nec possit tam citò confiteri, aut conteri: eo enim casu baptizare, vel absolvere moribundum, in statu peccati, non ob irreverentiam, docet *Card. de Lugo d. 8. s. 9. n.*

Dixi I. *ad id ordinatus*: etsi enim Laicus in necessitate baptizet, cum conscientia peccati mortalis, non peccare mortaliter, docet *Con. d. t. 1. c. 5 q. 10. ex Suar. &c.*

Dixi II. *solemniter*: nam si sine solemnitate baptizet, excusat à mortali *Suar. Con. Fill. l.*

V. Alii qui conficiunt & ministrant non peccant mortaliter, v.g. cum Laici in necessitate baptizant, vel ministrant sibi invicē Matrimoniam in mortali. Ita contra *Sylv. Vasq.* & alios, docet *Suar.* cum aliis: qui tamen vult eos peccare mortaliter, quatenus hoc in mortali suscipiunt. Ita etiam *Fill. Fern. Sanch. Con. q. 64, a. 6. dub.*

VI. Qui ministrat, etsi non conficiat Eucharistiam, in mortali, peccat mortaliter, ut habet communis. *Suar. Fil. Laym. Bon.* & aliorum, contra *Vasq.* cujus sententiam *Diana* rectè notat esse probabilem, sive sit Sacerdos, sive Diaconus, ut *v. p. 3. t. 4. R. 195.* Idem docet *Card. de Lugo d. 1. num. 155.* Et quidem aliqui putant, tot mortalia committi, quot communicantur: quod minus videtur probabile, cum mortaliter non sit nisi una distributio & una indigna administratio. Ita *Tann. 2, 2. Henric. Fill. n. 87. &c.* contra *Bon. & Cov.*

VII. Etsi

VII. Etsi probabile sit, quod docet *Sylv. Cajet. Fill. tom 1 t 1. cap. 6. num. 87. Navar. & Sa, V. Ordo.* Diaconum & Subdiaconũ, si cum mortali in ordine suo ministret, item Sacerdotem, & Episcopum, si sacramentalia exerceat: nuptias, aquam benedicat: altaria, templa, vasa consecret, concionetur, Eucharistiam de loco in locũ transferat, peccare mortaliter. Contrarium tamen videtur verius, ut docet *Suar. Vasq Laym. Con. q. 64 a. 6. dub. 1. Car. de Lugo l. c.* Ratio, quia hæ actiones non tendunt proxime ad sanctificationem animæ, ex opere operato, sicut actiones sacramentales.

VIII. Non videtur vera esse sententia, quę docet esse mortale, tangere in mortali corporalia, calices, reliquias &c. *Sayr. Suar. Bon d. 1. q. 3 p. 2.* Quod si quis in mortali, (etiam Laicus in necessitate) elevet de terra Eucharistiam non videtur aliud agere, quã si Christũ in hac vita lapsum elevasset: secꝰ tamẽ, si quis id extra necessitatẽ temerè præsumat, exemplo Ozæ, *Bon d. 1 q. 2. p. 2. n 12*

Resp. II. Requiritur præterea, ut exhibeat ac curet, non tantum quæ ad substantiam Sacramenti sunt necessaria, sed etiam quę ad decorem, vel ex natura rei, sive ex præcepto Ecclesiæ, spectant. Ratio prioris, quia alioqui Sacramenta dehonestat, & tractat indignè. Ratio posterioris, quia Sacramenta sanctè sunt tractanda & præcepta Ecclesiæ obligant in conscientia. *Unde resolves.*

I. Peccat ministrans mortaliter: si uratur materiâ, vel formâ falsâ, vel (extra necessitatem) dubiâ, *Bon. d. 1 q. 2. p. 1. num. 32 2.* si omittat intentionem

tionem requisitam. Quod si verò dubiũ oriatur, & non tantũ inanis scrupulus, (is enim rejici debet) an forma fuerit legitima, vel an legitimè & integrè prolata, tunc etsi speculativè probabile sit, formã esse legitimã, in praxi tamen iterandus erit sub conditione, quia tutius hic eligendũ est.

II. Peccat quoque, (graviter vel leviter pro gravitate materiæ) 1. qui verba formæ corruptè, inarticulatè, indevotè pronunciat. 2. Qui materiam, vel formam, vel cæremonias, contra Ecclesiæ morẽ, quamvis accidentaliter, sine causa mutat, vel omittit. Quod si fiat ex contemptu, est mortale; si ex negligentia, sæpe est mortale, quãdo ea magna est, & in re gravi *v. infr. c. 4. d.*

III. Peccat graviter, qui ministrat Sacramentum publico peccatori, vel aliter indigno, nisi indignitas sciatur ex confessione, vel sit occulta indignitas, & ex negatione sequeretur infamia, ut patet ex praxi Ecclesiæ, & Christi, qui Judæ Eucharistiam dedit. Gravius peccaret, qui, ne daret indigno, porrigeret ei hostiam non consecratam, etsi sic cum eo conveniret; aut qui non audens indignè celebrare, simularet Missam, elevans hostiam non consecratam, quia quantum est ex se, dat occasionem Idololatriæ. *vid. Bon. d. 1. q. 6. 4. Suar. Con. &c. Scholast.*

## CAPUT III.

### *De suscipiente Sacramentum.*

### DUBIUM I.

### *Quæ dispositio requiratur ad valorem Sacramenti, in suscipiente?*

Resp.

Resp. Ad valorem Sacramenti in adultis ratione utentibus, intentio percipiendi sacramentum, interpretativa saltem, requiritur, & sufficit: (excipe Pœnitentiam, de qua infra.) Ita commun. Theologi omnes cum *D. Thom.* contra *Cajet.* qui putat in suscipiente nullam intentionem requiri, modò contrariam non habeat. Ratio responsionis est, quia sicut adultus non justificatur sine proprio consensu; ita nec per Sacramentum initiatur & consecratur Deo, sine eodem consensu, si ejus sit capax. *Bon. d. q. 6 p. 2.*

Dixi, *adultis, &c.* quia cum tantum requirantur conditiones juxta subjecti capacitatem, parvuli autem, & perpetuò amentes non sint capaces propriæ intentionis, sufficit illis intentio Christi, & Ecclesiæ. *Fill. t. 1. cap. 8* Unde resolves.

I. Parvuli, utri & perpetuò amantes, validè baptizantur, confirmantur, communicantur, ordinantur, (quod ultimum nefas esset, priora autem olim permittebantur.) *Bon. l. c.*

II. Ægris ratione jam privatis, rectè datur Unctio, non tantum si ante petierint, sed etiam si fuerint Catholici, neque constet esse in mortali: nàhoc ipso censentur interpretativè voluisse & petiisse, quod alii Christiani, etiamsi de ea nunquam audierint. *Card. de Lugo de Sacramentis in genere d. 9 n. 122. &c. commun.*

III. Invalidum est Sacramentum, 1. quod quis suscipit cum intentione neutrali, habens se negativè, 2. quod suscipit fictè, id est, simulatè non tamen quod fictè, id est, indispositè, 3. quod per meram vim, animo omninò repugnante, suscipitur. *Bon. l. c.*

IV. Va-

IV. Validum est Sacramentum, 1 quod quis accipit, vult quod Christiani accipiunt; etsi non credat, aut non velit Sacramentum. 2, quod quis per metum coactus suscipit; cum metus non tollat voluntarium. Matrimonium tamen gravi metu, v.g injustæ mortis, initum, censetur initum, ut docet *Sanch. l. 4. de mat. d. 12. & 14. Card. de Lugo d. 9. num. 133.* Et qui ordines gravi metu coactus suscepit, etsi characterem habeat, non tamen tenetur ad continentiam, potestque sublato scandalo nubere, ut suo loco dicam.

## DUBIUM II.

### *Quid requiratur, ut licitè, & cum fructu suscipiatur.*

Resp. Ad effectum Baptismi & Pœnitentiæ requiritur & sufficit, præter voluntatem sumendi Sacramentum dispositio fidei, spei, & attritionis, non autem requiritur charitas, sive ut gratiam habeat: quia hæc Sacramenta dicuntur mortuorum, quod ipsa primam gratiam, seu vitam donent. Ad reliqua vero Sacramenta, quæ dicuntur vivorum, requiritur, ut sit in gratia: quia illa non primam, sed secundam tantùm gratiam, id est, augmentum tantùm gratiæ conferunt. Etsi subinde per accidens dent primam, cum quis putat bona fide se carere mortali. *Laym. d. 6. Bon. d. 1. q. 6. p. 1.* Unde resolves.

I. Etsi æqualiter dispositi, æqualem magis tamen dispositi majorem Sacramenti fructum, præter characterem, consequuntur: tum quia

congruum est, Sacramenta ita instituta esse, ut uberior gratia detur pro dispositione subjecti; tum quia non videtur is, qui vehementem attritionem ad Baptismum, vel Pœnitentiam affert, omni fructu carere.

II. Qui sumit hostiam, quam nescit esse consecratam, cum instar alterius animalis, sine intentione sumendi, Sacramentum sumat, accipit quidem materialiter rem, quę est Sacramentum, non tamē sacramentaliter & cum fructu. Idem docet *Bon.* de eo, qui sumit Sacramentum ex causa famis; quod videtur intelligendum, si ex ea sola; neque enim videtur Sacerdos fructu Sacramenti privati, etsi sumpturus calicem, simul etiam levare sitim intenderet. *v. Bon. l. c num. 3.*

## CAPUT IV.

### *Quid sint Sacramentalia, & quid efficiant?*

Resp. Cæremoniæ Ecclesiasticæ, quæ vulgo dicuntur sacramentalia, sunt actus externi religionis ad colendum Deum accommodati Tales autem communiter vocantur oratio Dominica, aqua benedicta, esus eulogiarum olim in usu, confessio generalis, eleemosyna, benedictio ab Episcopo, vel Abbate consecrato data quæ ex antiqua traditione dicuntur remittere venialia, & continentur hoc versu:

*Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens.*

Ad quæ etiam revocantur, tunsio pectoris, unctio

unctio in Regem, & similes, item multæ aliæ cæremoniæ, & res etiam ipsæ sacræ, quæ in Ecclesia partim ab Apostolis traditæ, partim postea institutæ sunt, ut Exorcismi; insufflationes, prima tonsura, benedictiones & consecrationes variarum rerum, & personarum; ut Ecclesiæ, calicum, &c. ipsæ etiam herbæ, lumina, vinum S. Joannis, cerei agni, signum S. Crucis. Quæritur ergò, quam vim habeant, non ex opere operantis, cum certum sit, sicuti per alia pia opera, sic etiam iis nos mereri, sed ex opere operato.

Resp. II. Non habent vim ex opere operato conferendi gratiam, aut remittendi peccata vi sua & per se, sed tantum, quatenus in nobis pium motum excitant. Ratio prioris est, tum quia nusquam promissio gratiæ, aut remissionis peccatorum, iis facta reperitur; tum quia peccatum etiam veniale non remittitur sine infusione gratiæ, quam conferendi ea nullam per se habent vim. Ratio posterioris, quia id accommodatū est sacramentalium institutioni & consecrationi, quæ fit per preces Ecclesiæ, quibus ipsa nobis salem motus precatur. *Con. q. 71. a. 3.* Unde resolves.

I. Gratiæ prævenientes, & pii motus, conferuntur per sacramentalia, per modum impetrationis, quæ non omnino infallibilem effectum habent.

II. Peccat graviter, qui sacramentalibus falsam materiam supponit, ut pro aqua lustrali faciendā, urinam.

III. Sacramentalia quandoque operantur beneficia corporalia, v. g. sanitatem, per motum impe-

impetrationis, ratione precum Ecclesiæ. Imò quædàm etiam vim habere, [v.g. fugandi Dæmonem] per motum operis operati, ex singulari privilegio, docet *Henriq. l. 1. cap. 2. Sotus* & alii. Quia, inquiunt, etiam Ethnici, in quibus nec intercesserunt preces Ecclesiæ, nec meritum operantium, quandoque signo Crucis [quod quidàm etiam putant de nomine Jesu] à Dæmone liberati fuisse dicuntur? quod tamen alii eorum virtuti objectivæ, quasi naturali, asscribunt, de quo plura apud Scholasticos. *v. Marat. d. 10. s. 1.*

# TRACTATUS II.

## *De Baptismo & Confirmatione.*

## CAPUT I.

### *De Baptismo?*

NOn agitur hic de Baptismo sanguinis, id est, martyrio: nec de flaminis, seu spiritus, id est, contritione, cum voto Baptismi, vel desiderio, quia non sunt Sacramenta: sed de Baptismo fluminis, qui definitur, Ablutio corporis exterior, facta sub præscripta forma verborum.

### DUBIUM I.

### *Quæ materia Baptismi?*

Resp. Materia remota licita, est aqua consecrata,

crata, si haberi potest; valida est omnis & solu qua elementaris, quæ morali hominum æstim tione sit naturalis & usualis, qualis est putei, m ris, paludis, pluviæ, &c. item resoluta ex nive, grandine, glacie, licet accidentaliter quoad colo rem, saporem, & odorem, alterata sit, ut aqua sul phurea, lixivium, jusculum aqua ita tenuiter cu ne decoctum, aut aqua alteri corpori ita modic admixta, ut usum communem, & æstimationem aquæ retineat. Ratio responsionis est, ex *Ioann. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua.* Quam S. *Thom.* confirmat triplici congruentia. 1 est ma xima commoditas aquæ, 2 ejus facillimus usus, 3. aptitudo ad significandum effectum, qui est emundatio à peccato. *Vnde resolves.*

I. Inepta materia Baptismi est, saliva, lotium, lacrymæ, sudor, cerevisia: item aqua sic permix ta, ut non amplius sit apta ablutioni, nec vocetur aqua, v. g. lutum, brodium, vinum lymphatum; item aquæ artificales ex rosis, herbis succisque expressæ, denique nix, grando, glacies non reso luta. Ratio, quia morali hominum æstimatione non censentur aqua naturalis, & usualis, *Laym. l. 5. t. 2. cap 3. Bonac d. 2. q. 2. p. 3.*

II. Quia de quibusdam tum ex dictis tum aliis dubium est v. g. de jusculo & cerevisia valde te nui, lixivio (& secundùm *Granat in 3. p. c. 4. tr. 1. d. 3. dub.* 2 aqua rosacea) hinc in necessitate licet illis uti, etsi postea Baptismus sub conditione sit reperendus. *v. Escobar. Laym. Bon. ll. cc.*

III. Uti aqua impura, vel non consecrata, cum alia haberi potest, est grave peccatum, ob Sa-

menti

tamenti irreverentiam, *Bonac. l. 1. ca. 1 nu. 7. Dian. p. 9 t. 6 R. 33. & alii quinque*, licet *Granad. & Quintanad.* putent non esse mortale uti non benedicta.

Resp. II. Proxima materia Baptismi est ablutio. Quæ val de fit tribus modis: scilicet immersione, aspersione, infusione, juxta praxin diversarum Ecclesiarum, quæ servanda est, ita ut morali hominum judicio censeatur esse lotus. Ex præcepto tamen caput abluendum est, quod praxis Ecclesiæ habet. Ratio, quia quolibet horū modorum fieri potest ablutio. Et quidem trinam mersionem non esse necessariam, constat ex *Concilio Toletano*. Ubi tamen trina vel immersio, vel infusio usitata est, sine gravi peccato, extra necessitatem, non potest prætermitti, ut docet *D. Thom.* etsi alii, secluso scandalo & contemptu, dicant esse tantùm veniale. *Laym. l. c. nu. 4. Bon. l. c.* Unde resolves.

I. Non verè baptizatur, cujus nulla pars immediatè tangitur, v.g. infans in utero, vel cista, vel adultus, cujus vestes tantùm sunt aspersæ. *Laym. Bon. ll. cc.*

II. Non requiritur ad valorem, ut qui baptizatur, emergat ex aqua: quod tamen grave peccatum est, esto nihilominus moriturus esse baptizandus. *Laym. cap. 3 num. 5.* uti etiam matrem nihilominus morituram, vel mortis ream, aperire, ut infans baptizetur. *Laym. l. 5. t. 2. c. 3 n. 2.* ubi unicum casum excipit, si nimirum mater sit morte digna, & si supplicium differatur infans certo sit moriturus ante nativitatem. Verùm rectè ad-

addit ex *Suar.* casum hunc, vix moralem & practicum esse. *v. l. c.*

III. Invalidus est Baptismus, 1. Si quis labatur in aquam vel ab alio protrudatur, & tamen formam pronunciet. 2. Si formam pronuncians moneat puerum, & alter abluat, aut aquam affundat. 3. Si aqua è fonte prosiliente, aut stillicidio decidente, baptizandus ei se submittat. Ratio quia in his non tu, sed alter abluit. *Bon. p. 3.*

IV. Ob probabilem utrimq; sententiam dubius est Baptismus, ideoque si in necessitate sit datus, repetendus sub conditione. 1. Si tantùm una vel altera gutta sit adhibita, v. g. si moreque lustralis multitudò sit aspersa. Quod sine necessitate non licet, cum ad ablutionem non videatur sufficere quicunque aquæ contactus, sed requiri successivus, cum aliquo motu. *Bonac. loc. cit. n. 13. ex Suar. Con &c.* In casu tamen necessitatis, sic baptizare concedit *Marat. tom. 3. d. 1. sect. 4. Granadus in 3. p. c. 5. tr. 1. d. 4. n. 12.* 2. Si tantùm sit abluta pars minus principalis, v. g. digitus, manus, vel pes. Nam si pars principalis, v. g. scapulæ, vel pectus, nemo dubitat. 3. Si tantùm crines sint tincti, licèt *C. de Lugo Resp. mor. l. 1. d. 1.* hunc validum esse contendat. 4. Si infans tinctus sit involutus adhuc secundinæ suæ, id est, pelpiculæ corpori annatæ. In necessitate tamen, in prædictis casibus Baptismus debet conferri sub conditione. *Hurt. de Bapt. d. 1. disp. 12. v. Laym. l. c.*

V. Cum terna usurpatur affusio, aut immersio, ad nomē Patris & Filii, & Spiritus Sancti jun-

ta pra
tantun
profer
tur; q
Baptil
lib. 5. t.
sanctis
substa
baptiz
&c.
prolat
pend
quod
bapti
sus b
conn
mina
3. Pe
form
nitas
ne. 5.
stinc
4. Be
I. V
Bap
tur

ta praxin Ecclesiæ, cavendum, ne ter, sed semel tantum pronuncietur forma. Quæ rectius ita profertur, ut ante tertiam ablutionem non finiatur; quia forma cũ quacunque prima ablutione, Baptismum constituit. *Regin. lib. 27. cap. 3. Laym. lib. 5. tr. 1. cap. 3.*

## DUBIUM II.

### *Quæ sit forma Baptismi?*

Resp. Forma necessaria Baptismi est hæc: *Ego te baptizo, in nomine Patris, & Filii & spiritus sancti, Amen.* A qua non differt illa Græcorum substantialiter: *Baptizetur* (vel ut Arcadius vult, *baptizatur*) *servus Christi, in nomine Patris*, &c. Porro quinque sunt: quæ significantur in prolatione formæ, juxta quæ valor ejus debet expendi, 1. Persona baptizantis, saltem implicitè: quod in forma Græcorũ non negligitur, cùm τὸ baptizetur, item valeat, ac baptizetur à me. 2. Actus baptizandi: quia alioqui forma non haberet connexionem cum materia, eamque non determinaret, cũ ablutio ad varios fines possit referri. 3. Persona baptizandi: quia uti ablutio, ita & forma circa certam personam versari debet 4. Unitas divinæ naturæ, quod sit per voces, *in nomine*. 5. Tritinas personarum: idque explicitè & distinctè vulgaribus vocabulis, *Fill. cap. 3. Laym. c. 4. Bonac. par. 4.* Unde resolves.

I. Validè baptizat, etsi venialiter peccet, qui pro *Baptizo*, dicit *Abluo, mergo*, &c: vel pro Te, utitur communi nomine, Græcorum more, vel pro-

proprio, vel baptizo Petrũ: vel qui honoris causa dicit, baptizo Dominationem vestram. *Lay. cap. 4 n. 6. Bon. d. 4 n. 9. & seq.*

II. Valet forma, etsi omittat, *Ego & Ama* quia omnia significata per formam salvantur; secus si ommittas *Te*; quia non significatur persona baptizandi. *Ibid.*

III. Non valent hæ formæ: baptizo te in nominibus Patris, & Filii, &c. quia multiplicatur natura, seu essentia divina 2. baptizo te in Patre, & Filio, &c. vel cum Patre, &c. vel per Patrem, vel in nomine Patris, per Filium, in Spiritu sancto, vel in fide, virtute, majestate Patris, &c. (quam tamen alii dubiam esse volunt.) Ratio, quia significatur diversitas essentiæ, aut certè unitas non satis exprimitur. 3. Baptizo te in nomine Dei, vel sanctissimæ Trinitatis, vel in nomine DEI unius & trini, vel in nomine trium personarum: vel Patris & Filii omissâ personâ Spiritus sancti. Ratio, quia non exprimuntur distinctè tres Personæ. 4. In nomine Domini nostri JESU Christi: quæ tamen forma olim Apostolos usos, sed ex speciali privilegio, multi docent, alii negant, dicuntque eos baptizasse in nomine Christi addendo illud nomini secundæ personæ, non omissis nominibus aliarum personarum. Cum ergo Nicolaus Papa dixit eam formam valere, vel intellexit, si pro nomine Filii ponatur nomen Christi intellexit: vel locutus est, ut doctor privatus. *v. Auct.*

IV. Dubiæ sunt formæ, ob sententiã utrimque probabilem auctorum: 1. Baptizo te in nomine Patris,

Patris,in nomine Filii, in nomine Spiritus Sancti, vel,Baptizo te in nomine Patris,baptizo te in nomine Filii,&c. Ratio,quia non exprimitur unitas essentiæ. 2.Baptizo te in nomine genitoris, geniti,& spirati; vel in nomine omnipotentis,sapientis,& boni;vel in nomine ingeniti,geniti,& doni. Ratio, quia trinitas personarum non explicatur vocibus,quibus à fidelibus omnibus debet,& potest apprehendi. 3.Baptizo te in nomine Patris & Filii,& Spiritus Sancti,& Mariæ Virginis:quia dubium est de intentione Ministri; qui si eo sensu voluit dicere Mariæ, quo Patris, Filii, & Spiritus Sancti, non valet, cum sit contra sensum essentialem à Christo intentum: si verò tantum voluit illam invocare, ut coadjutricem gratiæ impetrandæ,velaliter, valet; cùm tantum sit mutatio accidentalis,*Fill.t.2.cap.3.num.50. v.etiam Laym.& Bon.ll.cc.*

## DUBIUM III.

### *De Ministro Baptismi?*

### ARTICULUS I.

### *Quid sit Minister Baptismi?*

Resp.Validè ministrat omnis homo ratione utens,cujuscunque fidei vel infidelitatis,status,aut sexus. Licitè, tanquam minister ordinarius,& ex officio, Sacerdos habens jurisdictionẽ,aut commissionem, vel ex ejus commissione, Diaconus: In casu tamen extremæ necessitatis,omnis qui potest

test validè, etiam facit licitè, teneturque, ut proximo succurrat. *Laym. l. 5. t. 2. cap. 7.* Unde resolvo:

I. Non tantùm Diaconus, sed nec Parochus aut Episcopus, absque commissione, extra suam Diœcesin, vel Parochiam, (vel intra eam alienos) licitè baptizat: ideoque etiam peccant parentes, qui sine licentia sui Prælati, alieno debent prolem baptizandam, cum violent jus Parochi. *Laym. l. c.*

II. Diaconus non tantum in extrema necessitate, sed etiam in alia notabili, baptizare potest. Et quidem cum solemnitate, ex commissione Episcopi, vel Parochi; ut si v.g. ob multitudinem baptizandorum, aliudve grave impedimentum, ipsi facere non possint, *Laym. l. c.*

III. Cum in necessitate confertur Baptismus, servandus est ordo, ita ut si adsit, & non detrectet Sacerdos vel Diaconus, is reliquos præcedat. Sic etiam Clericus laicum, vir mulierem, fidelis infidelem: nisi fortè inferior melius noverit modum, ut solent obstetrices, (quæ proinde examinari & approbari debent à Pastoribus) vel alia justa causa sit, ut quia virum ad parientem ingredi non decet. Quod si laicus baptizet præsente Sacerdote, & secundum quosdam, etiam præsente Diacono, censent esse mortale: quia id laico tantum competit, ob defectum Sacerdotis, qui sine injuria Ordinis & Sacramenti, talem licentiam dare non potest. In reliquis, perversio illius ordinis est tantum veniale, præterquam, si coram fideli hæreticus adhiberetur, quod volunt esse mortale. *Laym. cap. 5. n. 4. Con.*

AR-

## ARTICULUS II.

### *An duo possint simul unum baptizare?*

Resp. I. Si alter applicet materiam, alter formam, nullus erit Baptismus: quia dicens se abluere, cum non abluat, formam habet falsam, etiamsi usurpet Græcorum, *baptizetur servus Christi*, vel quæ putatur illi æquivalere, *baptizet te Christus*, subintelligitur enim, *per me*; alioqui si excludatur persona Ministri, ut sensus sit, baptizet te Christus, & non ego, sive non per me, forma nulla est. In casu tamen necessitatis, posse sub conditione ita Baptismum conferri, ut v.g. mutus formam nesciens abluere, cœcus autem formam pronunciaret, docet *Hurt. d. 2 dis. 6.* additque debere talem elapso periculo, iterum sub conditione baptizari. *v. Escob. Fill. cap. 4. Dian. p. 3. t. 3. R. 26.* ex *Chapeavill. Marsil. &c. Bon. d. 2. q 2. p. 4. n. 23 Laym. c. 7.*

Resp. II. Si plures ministri singuli abluant, & formam pronuncient, graviter peccant contra ritum Ecclesiæ. De valore sic solet distingui: Si quilibet intendit baptizare, dependenter ab alio, ut causa particularis, invalidè baptizant, sive singuli dicant, Ego te baptizo, sive, Nos te baptizamus: quia forma, cujus sensus censetur esse, absolutè & independenter baptizare, non cobaptizare, est falsa. 2. Si quis per se intendat baptizare, independenter ab alio, validè baptizat: quia omnia

requisita ponit. Ut patet à simili in missa ordinationis, quâ Sacerdotes noviter ordinati simul consecrant cum Episcopo, dummodo simul eodem instanti formam absolvant: si autem non simul absolvant, is tantum consecrat, vel baptizat, qui prius absolvit. *v. Fill. t. 2. cap. 4, n. 72. & Bon. d. 2. q. 2. p. 5. Laym. c. 7.*

## DUBIUM IV.

### *Quod sit Subjectum Baptismi?*

Resp. I. Subjectum capax Baptismi, est solus homo vivus, ab Adamo descendens, nondum baptizatus.

Resp. II. Validè baptizantur infantes, item perpetuò amentes, qui nunquam usi sunt ratione quia censentur ejusdem conditionis cum infantibus. Si autem aliquando sint usi ratione, non valet Baptismus, nisi ante amentiam petierint, *v. Bonac. d. 2. q. 2. p. 6. Laym. cap. 6.* Unde resolves.

I. Si puer inter baptizandum, nondum finita forma, moriatur, Baptismus est nullus.

II. Non valet Baptismus iteratus, ideoque uterque, tum rebaptizans, tum rebaptizatus, peccant mortaliter, fiuntque irregulares, & in jure civili subjacent pœnæ mortis. Quas tamen pœnas non videtur incurrere is, qui etsi sine justa causa rebaptizat sub conditione: quia intelliguntur de Baptismo absolutè dato, quando moraliter constat, priorem Baptismum fuisse validum. *vid. Lay. c. 5. Bon. p. 5.*

III.

III. Nondum perfectè natus eſt baptizandus, ſi ſit periculum, dummodo pars aliqua poſſit abluì: quia eſt homo vivus, nec certò conſtat eſſe incapacem.

IV. Si dubium ſit, an infans vivat, baptizandus eſt ſub conditione.

V. Validè baptizatur, quem miniſter putat eſſe alium; aut licet ſit puella, quam putat eſſe puerum: quia intendit baptizare præſentem. Aliud eſt in Matrimonio, quia intendit contrahere cum illa, quam putat, *Bonac.p.4.n.26.*

VI. Validè, etſi extra neceſſitatem illicitè, plures ſimul baptizantur, hac forma: *Ego vos baptizo, &c. Bonac.p.4.*

VII. Monſtrum, quod capite & pectore formam hominis refert, eſt baptizandum; ſecus ſi beſtialem refert. Quod ſi verò caput tantum ſit ferinum, putat eſſe baptizandum *Cemitolus Navar.* tamen & alii volunt differendum, donec certius cognoſcatur; niſi periculum mortis immineret, tum ſub conditione baptizandum eſſe. Quod ſi habeat membra hominis geminata, & dubitetur, num ſit unus homo, an duo, duplex Baptiſmus conferendus eſt, unus abſolutè, alter ſub conditione, in ea parte, quâ membra apparent imperfectiora. *v. Laym.l.5.tr.2.cap.3. Bon.p.6. & Rituale Romanum.tit.de Baptiſmo.*

Reſp. III. Extra mortis periculum, validè, non tamen licitè, baptizantur Ethnicorum infantes, invitis parentibus. Ratio, quia vel auferuntur parentibus, & fit illis injuria; vel relinquuntur, & fit injuria Sacramento, quod exponitur irreve-

rentiæ. Quod si tamen possint Christianè educari (ad quod tunc obligaberis) licebit in his casibus, 1. Si parentes sint tua mancipia; tunc enim tui potius sunt, quam illorum. 2. Si parentes aliquando fuerint baptizâti, vel uterque, vel saltem alteruter: quia tunc Ecclesia jus in eos habet; Si alter parentum petat: tunc enim justa ejus voluntas injustæ alterius præferenda est, in favorem prolis & fidei. 4. Si infans sit in periculo mortis. 5. Si rationis jam compos puer petat: quia in negotio religionis, est sui juris. Indubio autem de usu rationis, sufficit esse 7. Annorum. *v. Laym. l. 1. Fill. t. 2. c. 6. Bon. p. 6. n. 12.*

*Quæres.* An Baptismus aliquando repeti possit, & quâ formâ?

*Resp.* Cum temerè rebaptizare sit mortale ex objecto, quia est in genere sacrilegii, dum conatis ministrare Sacramentum incapaci: hinc ad hoc, ut non liceat rebaptizare, non requiritur certitudo de Baptismo, sed sufficit, si pro eo sint conjecturæ; ut v. g. quod quis natus & educatus sit inter fideles, nec pro contraria parte rationes alicujus momenti occurrant: leve enim, vel metaphysicâ dubium non sufficit, sed requiritur grave & mortale, vel saltem rationabile. In quo inclinandum esse in favorem baptizandi, rectè monet *Lay. cap. 3.* ex *Suar. & aliis.* Unde resolves.

I. Sub conditione baptizandi sunt, 1. qui cum materia & forma, aut intentione dubia (secundum supradicta) sunt baptizati. 2. Infantes expositi, & reperti sine scheda testante de Baptismo; secus cum ea. Ita *communiter*, *Quintanad.* tamen *t. 1. s.* 16. &

16 & 14. contendit etiam hos esse rebaptizandos.
3. Baptizari ab obstetricibus veneficis; præsertim si falsæ, vel convictæ fuerint, aliquando non rectè baptizasse. *Laym. cap. 5. n. 3.*

II. Infantes ab obstetricibus, vel parentibus, vel cognatis, &c. ob necessitatem baptizatos, promiscuè omnes sub conditione rebaptizare, (quando obstetrices bonæ, & benè instructæ censentur,) non licet; quia de valore Baptismi prudenter & rationabiliter dubitari non potest. *Suar. Laym. l. 5 t. 2. c. 5.* qui tamen contrariam consuetudinem quorundam Parochorum damnare non audent, & quod experientia didicerint, obstetrices non raro fuisse deceptas à diabolo, ideoque revera periculum aliquod sit animæ, ob quod irreverentia cesset: additque eam consuetudinem approbatam fuisse à Pastorali Romano edito Antverpiæ 1607. eamque sententiam tenet *Sylv.* apud *Dian. p. 5. t. 13. R. 86.* & ipse *Dian. p. 9. t. 6. R. 35.* cum *aliis.* 2. censet eam probabilem, habereque locum in omnibus baptizatis ab hæreticis, licet sint adulti; quod *C. de Lugo, R. mor. l. 1. d. 2.* rectè limitat ad illas circumstantias, in quibus prudenter dubitari possit de defectu materiæ, formæ, vel intentionis. Denique *Quintan. t. 1. f. 6.* docet infantes supradictos ferè omnes rebaptizari posse sub conditione.

III. Peccat graviter Minister, 1. qui non rebaptizat eum, de quo rationabile dubium juris, vel facti manet, num validè sit baptizatus: quia tenetur proximum liberare probabili periculo gravis mali, cum facilè potest, *Lay. l. c. Quint. l. c. 2.* Si

non diligenter inquirat in talis Baptismi valorem nisi de hoc aliunde constet. *Quint. t. 1. s. 6. & 7.*

IV. Non est rebaptizandus, de cujus Baptismo habetur testimonium unius oculati testis, licet fœminæ; dummodo non sit suspecta, nec aliud obstet. *Laym. l. c.*

V. Qui verè & rationabiliter dubitat de suo Baptismo, tenetur petere Baptismum, & Parochus ei conferre. *Quint. l. c. s. 13. & 19.* & interea abstinere ab usu aliorum Sacramentorum.

*Resp. II.* Baptismus sub conditione, hac forma conferendus est: *Si baptizatus es, non te baptizo; si nondum es baptizatus, Ego te baptizo, in nomine &c.* Ac licet sufficiat, sola mente conditionem apponere, si ex omissione non timeatur scandalum; tutius tamen est, exprimere verba saltem ista: *Si non es baptizatus, &c. vid. Tol. l. 2. c. 19. Laym. l. c. Suar. d. 31. Fill. t. 2. c. 4. q. 9.* Patrinus autem in hoc Baptismo necessarius non est, nec adhibendus. *Quint. l. c. s. 18.*

## DUBIUM V.

### *De Cæremoniis Baptismi.*

### ARTICULUS I.

### *Quæ servanda circa cæremonias baptizandi?*

Resp. Cæremoniæ Baptismi petendæ sunt ex Agenda cujusq; Ecclesiæ. Universim tamen circa eas servanda sequentia. 1. Baptismum extra necessi-

cessitatem, absque peccato non posse conferri, nisi in aqua consecrata. Quæ cùm deest, habetur formula brevis in quibusdam Agendis, extempore aliam consecrandi, pro casu necessitatis. Quòd si etiam hac formulâ careas, adhiberi potest aqua communis benedicta. 2. Baptismum solemnem non conferendum, nisi in templo & loco ad id deputato, nisi filiis Regum, & Principum, quibus adde filios Catholicorum, in locis hæreticis: interim quoad hoc, in magnatibus & nobilibus connivetur in multis locis. *Laym. cap. 8. n. 8.* 3. Infantes ex consuetudine deferendos ad Baptismum, circa diem octavum; nisi prius sit necesse, vel nisi sit gravis causa dilationis, (v.g. quia patrini sunt expectandi) in qua tamen non licet communiter, extra necessitatem, privatim baptizare, & postea adhibere solemnitates, sed præstat expectare aliquamdiu. *Laym. cap. 6. n. 8.*

IV. Baptizanti non licet adhibere cæremonias aliquas, omissis aliis. Quia vel fiet in Baptismo solemni, quod prohibet. *Trid. sess. 7. cap. 3.* vel privato: sed in hoc prohibet *Clementina unica*, illas adhibere, nisi sit filius Regis, aut Principis. De patrino tamen usus habet, ut & tunc adhibere possit, etsi non sit necesse. Et multi putant adhibitum non contrahere cognationem spiritualem, nec verè patrinum effici, ut *Sanch. Rodriq.* contra *Lay.* & *Suar.* quorum tamen sententia videtur probabilior.

V. Cùm in necessitate, vel aliam ob causam, (nam ob gravem causam, v.g. justum timorem infamiæ, aliquando licitè fit) Baptismus sine cære-

moniis est collatus, ea cessante, illæ solemniter templis sunt supplendæ. Quod tamen non est moris in hæreticis conversis, ne plebs putet, nostrorum Baptismum improbare. *Laym. c. 8. n. 10.* Imo in aliis omittere, seclusa contemptu, esse tantum veniale docet. *Possev. de off. Cur. c. 6. n. 23.* Qui autem tenet more Patrini infantem, dum cæremoniæ supplentur, non contrahere cum eo cognationem spiritualem, *Dian. p. 3. t. 4. R. 260.* ex *Pont.* dicit esse probabile.

VI. Si Baptismus collatus deprehendatur fuisse invalidus, non ideò repetendæ sunt cæremoniæ.

## Articulus II.

### *Qui Patrini, & quod eorum officium?*

Resp. I. Patrini sunt quasi patres spirituales, qui baptizatum de fonte suscipiunt in suam curam. Unde eorum officium est; baptizatum de rebus fidei instruere; orationem Dominicam & Symbolum docere; ad quod obligantur, si id ab aliis non fiat. *Laym. l. 2. t. 5. c. 9.*

Resp. II. Ut quis validè sit Patrinus, non certa ætas; sed requiritur 1. Usus rationis. 2. Ut ipse sit baptizatus, (quia non potest esse pater, qui ipse nondum sit natus.) Et quidem, ut ejus Baptismus fuerit validus: quia accessorium sequitur principale. 3. Ut à parentibus, vel Parocho, ad hoc designatus sit: ad quod videtur sufficere, si etiam ultro se

se ingerens sit admissus, designatos autem ritè à parentibus, Parochus non validè mutat. *Dian. p. 7. t. 9 R. 50.* 4. Ut in ipso Baptismo (quia non sufficit, ut in solis cæremoniis) per se, vel procuratorē tangat, teneat, aut de manu baptizantis suscipiat. 5. Ut id non materialiter tantum, sed animo susceptoris, sive cum intentione id munus gerendi faciat. *Laym. c. 9 n 9*

Resp. III. Validè quidē, sed illicitè sunt patrini, Abbas & monachus. Quo nomine nō veniūt mēdicantes, etsi *Laym.* omnes claustrales comprehēsos velit; & quoad Abbates, in multis locis consuetudo sit contraria. 2. Conjuges respectu conjugum, & parentes respectu filiorum, nisi sit necessitas. 3. Moribus infames. 4. Apostatæ & hæretici, qui nullo casu videntur advocandi: quia ea advocatio esset protestatio, quasi falsæ religionis, cum non nisi de falsa fide sint sponsuri: etsi *Laym.* hic *cap. 9. n. 7.* probabiliter dicat, posse subinde ob gravem causam admitti. Catholici verò, ob rationalem causam, infantem hæretici, baptizante Prædicante, suscipere possunt, saltem in Germania, *Laym. cap. 9. num. 6.* 5. Plures quàm duo; quia *Trid.* non nisi unum, aut ad summum unum, & unam permittit, propter cognationem spiritualem inde oriri solitam. Ideoque mandat Parochis, sub pœna arbitrio Ordinarii infligenda, ut si plures se offerant, petant ab iis, ad quos spectat patrinos designare, ut unum vel duos nominent, eosque tantum admittant, qui soli cognationem contrahant, eorumque nomina in librum referant, eosque de contracta spirituali cognatio-

ne instruant : scilicet quod ea impediat, dirimatque matrimonium: non quidem inter se, sed inter ipsos & baptizatum, ejusque patrem & matrem, sicut etiam inter baptizantem & baptizatum, baptizatique patrem & matrem. Excipiuntur tamen parentes, quando propriam prolem suscipiunt in necessitate. *v. Laym. ll. infra citandu* Unde resolves.

I. In privato Baptismo, ob necessitatem datus pater non debet suscipere, aut tenere tanquam patrinus infantem; cum in hoc casu nulla sit patrini necessitas, ideoque si id vel tunc, vel etiam in Baptismo publico temerè faciat, (idem est, si prolem suam ipse baptizet) graviter peccat, & insuper contrahit in posteriore casu cognationem cum conjuge, atq; ut docet *Sanch. de matr. d.36* & alii communiter, privatur jure petendi debitum: quod tamen negat *Con. & Dian t.4. de sacram. R. 3. v. Bonac. de matr. q.3. p.5. §.2. Escob. tr.7. E.2.* ubi citat *Suar.* negantem.

II. Si inter multos patrinos nulli certi à parentibus, aut in eorum defectu, à Parocho designentur, qui aliis seclusis cognationem contrahant & sic multi simul ex ignorantia, vel Parochi negligentia levent, probabile est, omnes contrahere cognationem; (nisi tamen assistant tantum, & non tangant) *v. Laym. l.5. t.10 p.4. cap.8. & tr. cap.9. n.4. Dian* tamen *p.9. t.7 R.5* ex *Suar. Murat. & Perez.* dicit, eo casu nullum contrahere cognitionem.

III. Parochus graviter peccat, 1. Si ex negligentia frequenter omittat nomina baptizatorum re-

scire

ferre in librum; tum ob legem *Trid.* in re gravi & sub pœna gravi; tum ob incommoda, & damna inde sequentia. *Quintan. t. 1 s. 11. 2.* Si ejus culpa Patrini plures adhibeantur, *Quint. l. c.* Ac licet *Perez. & Ser.* apud *Dia. p. 9. t. 7. R. 5.* dicant esse probabile, quod tantum peccet venialiter; alii tamen mortalis eum damnant.

## CAPUT II.

## *De Confirmatione.*

### DUBIUM I.

### *Quid sit, & quæ ejus materia & forma?*

Resp. I. Confirmatio est unctio chrismatis sub præscripta forma verborum, in fronte baptizati, ab Episcopo, quâ is ex Christi institutione, gratiæ augmentum & robur accipit.

Resp. II. Materia ejus remota essentialis, est chrisma, confectum ex balsamo & oleo olivarum, benedictum ab Episcopo. Ita commun. Doct. *Vide resolves.*

I. Non sufficit solum Balsamum, ut voluit *Canus*, nec solum oleum, ut voluit *Cajet. Sotus Nav.*

II. Etiam benedictio Episcopalis est de essentia, ut habet communis contra *Cajet.* ideoq; nulla delegatione, sive Episcopi, sive Papæ, simplex Sacerdos potest conficere chrisma, *Con. d. 72. a. 3. dub. 1. cap. 4.*

III. Perinde est ad substantiam sacramenti, sive chrisma sit novum, sive vetus: licet graviter pec-

cet, qui utitur alio, quàm novo, id est, illo anno consecrato. In quem finem, quotannis in die Cœnæ consecratur, veteri combusto.

Resp. III. Materia proxima, est unctio in fronte per manum Episcopi, (unde etiam hoc Sacramentum, manus impositio dicitur à S. Luca *Act. 8.*) in formam crucis facta. Quæ omnia sunt de necessitate Sacramenti, ut habet communis. *Vide resolves.*

I. Etsi ex necessitate præcepti, unctio fieri debeat pollice manus dextræ; valida tamen esset, si fieret digito etiam sinistræ manus: qui verè fieret per impositionem manus Episcopalis. Ita *Prep.* & alii contra *Suar.* Peccabit tamen Episcopus graviter contra universalis Ecclesiæ morem. *v. Laym. hic cap. 2. & Escob. t. 8. E. 3.* ubi docet, probabile esse, non peccare mortaliter.

II. Probabile est, requiri ad valorem Sacramenti, ut unctio fiat ab Episcopo immediatè, nullo instrumento mediante. Ita *Fill. & Laym.* contra quosdam: quia debet fieri per impositionem manus. *Esc. t. 7. E. 3.*

Resp. IV. Forma vera & necessaria, in Ecclesia Latina, est: *Signo* (ut habet *Trid.*) vel, *Consigno*, ut habet *S. Thom.*) *te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, &c.* In qua utrum de essentia sit, ut utraq; actio, signandi & ungendi, expressè significetur, disputant Scholastici. *Laym. & Fill. t. 3. d. 10. Con. l. c. 4. Dian. R. 27.*

DU-

## DUBIUM II.

### *Quis Minister,& quod subjectum?*

Resp.I. Minister ordinarius validæ Cõfirmationis,est solus & omnis Episcopus,etiam excommunicatus,vel hæreticus:ex commissione autem, vel delegatione Pontificis, etiam simplex Sacerdos.Est communis, *v. Fernand.Laym.l.5.t.3.c.6. Bonac.d.2.p.2* Unde resolves.

I.Etsi Episcopus graviter peccet,si vel in aliena diœcesi,vel sibi non subditos confirmet,sine proprii Episcopi consensu, saltem tacito, propter defectum juris dictionis:valida tamen est Confirmatio,quia ista non requiritur necessitate Sacramenti,sed præcepti tantum.

II.Excusatur à peccato Episcopus,si ex alia diœcesi accurrentes confirmet; quia præsumitur tacitus consensus alterius Episcopi, cui id gratum esse censetur: præsertim si consuetudine ita receptum sit,vel à proprio ægrè confirmari possint.Ita contra *Bon.d.3. de sacr.* docet *Tan.in 3.p.d.4.q.4. dub.3,Sa.v.Confirmatio,& alii.*

III. Peccat graviter Episcopus, si longo tempore non confirmet: quia subditos ingenti bono privat.

Resp.II. Validè confirmantur omnes, & soli baptizati,nondum confirmati. Ratio est,tum ex illo *Act 2.v.2. Replevit totam domũ*:tam ex usu& traditione Ecclesiæ: tum quia omnes indigent ejus effectu,&sunt capaces.Licitè verò confirmantur iidem,qui validè; dummodo constet non ponere

nere obicem, sive Sacramento, sive ejus affectui. Ratio patet ex dictis. *Vnde resolves.*

I. Etiam infantes, & rationis impotes, valide hoc Sacramentum suscipiunt.

II. Etsi quoad infantes, consultius sit, differre usque ad rationis usum; tum ob irreverentiam sacramenti; tum ob periculum iterationis; tum ob Ecclesiæ usum: nihilominus ob rationabilem causam, etiam ante iis licitè datur, v.g. si timeatur diuturna absentia Episcopi; vel hic adsta loca rarò veniat; item si infans sit in periculo mortis, (in quo quidam dicunt debere dari) denique si sit filius Principis. *Laym. hic. t 3 c 6. Fill. tom. 1. t 3. c. 2.*

III. Etiam perpetuò amentes (præsertim si aliquando usum rationis habuerint) licitè confirmantur; etsi per accidens nunquam sint spiritualiter pugnaturi. Ita *Suar. Fill. Laym. l. c. Con. q. 72. a. 8. n. 83.*

## DUBIUM III.

### *Quæ Confirmationis necessitas, & cæremonia?*

Resp I. Non est necessaria ad salutem, necessitate medii, neque per se præcepti. Est communis S. *Thom* & aliorum, contra *Scot. & Sylv* Ratio, tum quia Ecclesia non urget ejus susceptionem ullis pœnis; tum quia nec ex scriptura, nec traditione, neque fine aut institutione Sacramenti, tale præceptum colligitur. Et Canones, qui in contrarium

um afferuntur, ſatis explicantur de neceſſitate ad melius eſſe.

Dixi, *per ſe*: quia per accidens aliquando poteſt eſſe neceſſaria ad ſalutem, ex præcepto charitatis ſui, vel proximi, vel alio, v. g. ad cavendum ſcandalum; vel ratione conſcientiæ, quâ quis valdè metuit, ne in tormentis deficiat ſine hoc Sacramento. *Vnde reſolves.*

I. Negligere hoc Sacramentum, ſecluſo ſcandalo & contemptu, non eſt mortale. *Suar. Laym. l. 5. t. 3. c. 5 Bon. d. 3. q. 1. p. 2.* ubi ex aliis multis docent, nullum eſt præceptum illud ſuſcipiendi.

II. Etſi omiſſio ex contemptu, v. g. ſi quis id nihili faciat, aut puerile, aut vile habeat, ſit mortalis: talis tamen non cenſetur eſſe, cum quis ejus oblatam occaſionem, quam poſtea non facilè habiturus eſt, negligit. Ita commun. contra *Sylv. V. Confirm.* & *Tol. l. 2. c. 4.*

III. Præceptum, quod habetur in *Trid. ſeſſ. 23. cap. 4. de refor.* non ligat omnes, cum ſit hypotheticum; ſed tantum ordinandos vel initiandos primatonſura. Cujus omiſſionem non eſſe mortalem, contra *Tann.* docet *Henriq Valent. Suar. d. 38. ſ. 1.* & *Navar. c. 22.* qui addit, ne quidem Epiſcopum peccare mortaliter, ordinando non confirmatum, aut ſi ipſe non confirmatus ordinet. *vid. Regin. l. 28. cap. 3.*

Reſp II. Circa cæremonias Confirmationis, ſcienda ſunt ſequentia. 1. Etſi ſervandi ſint ritus in Pontificali præſcripti, peccetque graviter Epiſcopus, ſi confirmet ſine pluviali, mitra, vel pedo; uti & ſi ordines ſacros conferat cum ſolis indumē-

tis

tis Missæ. *Dian p.7.t.10.R.31.* non tamen semper rit mortalis alicujus omissio, v.g. alapæ, aut cr Potest autem conferri loco quovis decenti, etiam extra Ecclesiam; & à prandio non jejunis, tam anni tempore. 2. Sub gravi culpa, ut docet *Nav. cap.22.* ex communi requiritur Patrinus; isq; unus tantum, (licet *Tol.* duos admittat) qui si confirmatus non sit, peccat graviter secundum commu nem. (*Escob.* tamen ex *Con.* docet, non esse mor le) quod probabile esse docet *Quintan.t.2.s.7.* nullum, si fiat in necessitate, & non contrahit co gnationem, ut docet *Sanch. Suar.* contra *Sylv. Sa* & alios Debetq; esse diversus à Patrino Baptis saltem extra necessitatem, licet cum *Bon. & Hur* id neget *Quint.t.2.s.7.&* 14. secus facientem non peccare mortaliter, dicat *Dia.p.3.t.4.R.21.* & non Monachus (nisi factus Episcopus) Admitti tamen & illos, & moniales posse sine culpa, docet idem *Quint.l.c.s.*18. nisi in eorum Religione sit prohibitum. Eo autem nomine non excludi mendicantes, notat *Con.* & *alii quinq;*, cum *Dian.p.9.t.6.R.* 32. Nec refert, secluса consuetudine, num vir sit aut fœmina. Neque etiam contrahit obligationem instruendi confirmatum; sed tantum cognationem spiritualem cum eo, & ejus parentibus, dummodo tamen eum tangat. 3. Frons confirmati obliganda est fascia linea, cruce notata, gestanda uno, tribus vel septem diebus, pro consuetudine; illota interim fronte; potest etiam, si ratio subsit, statim auferri, & frons ablui: ipsa autem comburi, vel honestè asservari debet, nec ad profanos usus adhiberi; propter contractum chrismatis

tis: neque solvens illam, contrahit cognationem, *v. Prep. in 3. p. q. 2. a. 121.* 4. Parochos teneri in librum referre nomina confirmatorum & patrinorum suæ Parochiæ, (eamq; curam ad Episcopos etiam pertinere) tum propter sciendam cognationem spiritualem, tum propter ordines suscipiendos, docet *Quintan. t. 2. s. 11. ex Barbosa, &c.* ac denique licere mutare nomen in Confirmatione, *Ibid. s. 10.*

# TRACTATUS III.

## *De Eucharistia.*

## CAPUT I.

## *De Essentia Eucharistiæ.*

### DUBIUM I.

### *Quid sit Eucharistia?*

RESP. Est Sacramentum corporis, & sanguinis Christi, sub speciebus panis & vini, ad spiritualem animæ refectionem divinitùs institutum. Ita commun. Schol. *Vnde resolves sequentia.*

I. Tam species consecratæ, quam corpus & sanguis Christi, intrinsecè & essentialiter constituunt hoc Sacramentum: adeoque falsum est, quod docuit *Waldensis*, Corpus & sanguinem Christi esse totum Sacramentum. Ratio, tum quia *Trid.* do-

docet, corpus & sanguinem contineri hoc Sacramento; tum quia quatenus continetur, non est sensibile. Item falsum est, quod docet *Marsilius & Scotus*, solas species constituere hoc Sacramentum, tum quia Eucharistia est cibus cœlestis; tum quia adorari debet latria, ut docet *Trid.*

II. Usus, sive sumptio Eucharistiæ, non est proprie ipsum Sacramentum, neque aliud Sacramentum ab eo distinctum, ut vult *Gabriel*: nec partialius, sive essentialis, sive integralis, ut *Aureolus*: sed tantum applicatio, sive conditio, ut Sacramentum operetur.

III. Etsi quælibet species, imò quævis pars speciei, sit integrum & essentialiter perfectum sacramentum, adeoque sacramentum Eucharistiæ, diversis speciebus panis & vini, physicè & materialiter specie differat; moraliter tamen, & in ratione Sacramenti, est unum specie infima sacramentum: tum quia est unum signū rei sacræ: tum quia ordinatur ad unum specie infima finem. *v. S. Thom. q. 73.*

IV. Etsi physicè loquendo, tot sunt numero Sacramenta, quot numero species, vel etiam partes specierum; moraliter tamen unum numero sacramentum est, quod per modum unius proponitur, & sumitur: quia id ad unum finem, scilicet unam refectionem spiritualem, refertur.

V. Hostiæ in diversis altaribus, rectè concipiuntur, ut distincta sacramenta: contra verò, si Sacerdos unam hostiam in plures partes dividat, vel plures hostias simul sumat, (eadem est ratio plurium specierum diversæ rationis) non ideò dicitur accepisse plura numero sacramenta.

Du-

## DUBIUM II.

### *Quæ materia Eucharistiæ?*

Nota; Sicut in aliis Sacramentis est duplex materia, proxima & remota; ita etiam hic, sed ordine inverso: nam in aliis, materia remota est res permanens, proxima verò ejus usus, qui transit; hic verò remota transit, & proxima manet, scilicet species panis & vini. Quæritur ergò tantùm de remota, illa scilicet, quæ facta consecratione, transit in corpus & sanguinem Christi.

Resp. Materia Eucharistiæ est tantum panis & vinum. Est de fide, & probatur ex institutione Christi, *Matth.* 26. & *Luc.* 22. Et quidem utraque materia, panis & vinum, est ita necessaria ad hoc Sacramentum conficiendum, ut per se nunquam licitè possit una consecrari absque alia: quod patet tum ex facto Christi 22 *Luc.* tum ex *Triden. sess.* Unde resolves.

I. Consecratio utriusque speciei, est juris divini; quia ratio sacrificii, sine quo non fit, exigit utramque.

II. Non licet alteram tantùm speciem consecrare, in necessitate etiam gravi, v gr. ut moribundo detur viaticum, *Suar. & commun.*

III. Nec Pontifex in eo potest dispensare ullo casu. Ita commun. *Suar.* 3. *p. d.* 55. *s.* 4. *&c.* contra quosdam.

Dixi I. *Per se*: quia per accidens, & præter intentionem quasi, aliquando unam posse solam consecrari absque peccato, docet *Tan. d.* 5. *q.* 2. *dub.* 5. *n.* 27.

27. diciturque esse communem, v.g. in his casibus. 1. Si quis aquam, vel alium liquorem pro vino consecrasset, neq; defectum intelligeret, nisi diu post; aut postquam advertisset, non posset haberi aliud vinum; vel quamvis haberet, non posset tamen illo uti, sine gravi scandalo, vel vitæ periculo. 2. Si post consecratam hostiam, subitum mortis periculum ab hostibus, vel incendium immineat, secluso tamen scandalo & contemptu fidei, *Regin. l. 29. cap 4.* 3. Si Sacerdos hostia consecrata moriatur, vel animo deficiens, loquelam perdat, vel in amentiam incidat, nec sit alius, qui possit sacrificium perficere, *Suar. Vasq. &c.* Si autem alius supplere, & Sacerdos infirmus communionem suscipere potest, debet hostia dividi, eique pars dari. *Tambur. de exped. sacrif. l. 2. c. 8.*

Dixi II. *Licitè*: quia validè alterutram tantum consecrari, est certum: ut patet tum ex facto Christi, qui panem ante consecravit; tum ex praxi Ecclesiæ, quæ corpus ante sanguinem proponit adorandum.

## DUBIUM III.

### *Qualis debeat esse panis in materiâ Eucharistiæ?*

Resp. 1. Solus panis triticeus, in conviviis communiter usitatus, qualis morali hominum judicio tantum censetur ille, qui ex farina triticea, & aqua naturali mixtus, & igne tostus, sive assus, atque in

sua specie incorruptus est, quia hic solus simpliciter dicitur panis, alius verò non nisi cum addito, v. g. hordeaceus. *Unde resolves.*

I. Falsum est, quod docuit *Cajet.* Eucharistiam posse consecrari ex quovis pane, cujusvis speciei, dummodo sit aptus ad vescendum.

II. Non est apta materia ad validam consecrationem. 1. Panis ex oriza, avena, milio, pisis, fabis, amygdalis, aliisque leguminibus, & arborum fructibus; vel etiam ex hordeo confectus; quia hæc omnia, communi usu & opinione censentur specie distingui à tritico, *Laym. Bonac. Card. de Lugo, d. 4. s. 1.* 2. Massa triticea cruda, vel non cocta per modum panis, sed frixa vel elixa, ut sunt placenta, libum; sive differant specie, sive non. 3. Panis subactus aquis artificialibus, vel oleo, butyro, lacte, vel ovis, saccharo, aliove liquore, qui aqua naturalis non sit, mixtus; quia non est panis usualis. Ita *Laym. l. 5 tr. 4. cap. 5. Cajet.* tamen, & quidam recentiores, contrarium docent: quare est saltem materia dubia. Idque confirmat *Missale Romanum tit. de defect. & Card. de Lugo, d. 4. s. 1. n.* 4. Unde qui hostias emunt, certi sint, quod aqua naturali, & non rosacea, confectæ sint. 4. Similiter hostiæ rubræ, quibus sigillantur litteræ, non sunt materia valida, vel minimum dubia; quia per admixtionem cinnabaris notabiliter alterantur. *C. Lugo, d. 4. s.* 1. quod *Ant. Perez* apud *Dia. p. 7. t. 12. R.* limitat, si multum cinnabaris sit mixtum: si autem sit valde parum, censet probabile, quod sit materia valida, illicita tamen. 5. Panis substantialiter corruptus. 6. Panis subactus

aqua

aqua marina. *Fagund.* apud *Dian.p.9.t.9.R.98.* ubi ipse contrarium docet, eò quod sit naturalis aqua.

III. Panis ex farre, sive spelta, item ex siligine est materia dubia: quia alii dicunt, solis accidentibus, propter loci sterilitatem; alii specie distingui à tritico, ideoque non licet, saltem uti pro Sacramento, quia hoc exponeretur periculo, *vid. Aut. cit.*

IV. Valida, sed illicita est materia, 1. si aliquod grana, vel guttæ alterius speciei, cum tritico & aqua misceantur, ita ut triticum tamen & aqua plurimum prædominetur: quia si major pars non sit triticum & aqua, non erit materia valida. Quod monendi sunt illi, qui hostias coquunt. *Bon. d.4.q.2.p.1.n.6. Laym. cap.1.* 2. Panis mucidus, qui ad corruptionem disponitur. *Bon. p.2.n.5.*

V. Perinde est ad valorem sacramenti, sive panis sit azymus, sive fermentatus, ut definivit *Trid.* quia uterque est usualis, & proprie dictus panis. Interim in suis Ecclesiis Latini in azymo, & Græci in fermentato conficere tenentur sub præcepto gravi, & culpa mortali, à qua non excusat necessitas, v.g. dandi viaticum. *v. Bon. d.4.q.2.p.1. Fill. 4.c.3.q.8. C. de Lugo l.c.*

Resp. II. Ex præcepto Ecclesiæ, panis consecrandus debet esse figura orbiculari, (in Ecclesia Latina) & integra. Dixi, *Latina:* quia Græci quadratam adhibent, & in particulis triangularem, ut habet *Arcudius.* Licere etiam in hostia minore, qualis datur Laicis, (quando alia haberi nō potest & scandalū abest) celebrare privatim, imò si cau-

saurgeat, publice die festo, docet *Marchan. in candel. t. 4. c. 5. q. 3. Dian. p. 5. t. 13. R. 80. & p. 6. t. 7. R. 17. & Tambur. exped. sacrif. l. 2. c. 8. & Avers. q. 11. s. 12.* eo quod nullum sit præceptum, neque constet de consuetudine obligante sub præcepto: quo casu elevare adorandam majorem ab alio præconsecratam, licere vult idem *Tambur. loc. cit.* contra *Marchan. & Dian. ll. cc.* Non licet autem parvam sumere, & majorem relinquere (v.g. ad exponendam in hierotheca) nisi ipse eadem Missa etiam istam consecraverit, quia debet communicare de suo sacrificio. *Tambur. l. c.* Quare male facit Parochus, qui renovaturus Eucharistiam hostiam ab alio consecratam ipse sumit, & à se consecratam reponit in sacrario, vel hierotheca. *Tambur. l. c. Lugo d. 9. s. 4.*

## DUBIUM IV.

### *Quale vinum sit materia Eucharistiæ?*

Resp. I. Solum vinum vitis, ut docet fides, & definitum est in *Florentino.* Unde resolves.

I. Non est materia apta ad validam consecrationem. 1. Sicera; & quicunque liquor ex moris, malo granatis, &c. sive dicatur vinum, sive non. 2. Agresta, sive omphacium, id est, succus ex uvis immaturis expressus; quia non est vinum sed in via ad vinum; cujus naturam nondum induit, habetque se, sicut massa cruda respectu panis; *Laym. t. 4. cap. 2. n 5. & 6.* succum tamen ex uvis passis expressum consecrabilem esse putat

*Franc. Amicus* apud *Dian.p.7. t.11.R.8.* eo quo verum sit vinum. 3. Acetum, quia est vinum substaantialiter corruptum. *Ib.* Quod si post sumptionem, (imò etiam ante eam, post consecrationem calicis) dubium incidat, fuerint acetum an vinum, esse præsumendum, quod fuerit vinum, docet *Tambur. l.2. exped. sacrif. cap.3.* 4. Uvæ, seu vinum intra uvas contentum vel imbibitum in offa panis; tum quia non tam est potus, quam cibus; tum quia succus ille non dicitur proprie vinum, donec sit expressus; tum quia in eo statu non satis ad sensum demonstratur performam. *Card de Lugo d.4. n.11. & 12. Lay. &c.* 5. Sapa, seu defrutum, id est, mustum ad dimidiam, seu tertiam partem decoctum: quia non est amplius vinum: nec potus, sed cibus. *Bon. l.c.* 6. Lora, id est, aqua expressis acinis superfusa *Fill.t.4.cap.3. Card. de Lugo d.4. s.1. n.9.*

II. Valida quidem consecratio, sed illicita est. 1. in musto; quia non est vinum simpliciter, sed impurum, habens admixtas feces, non consecrabiles: ideoque obstat præceptum Ecclesiæ, obligans secundum *Suar.* sub mortali, saltem extra necessitatem, qualis esset defectus vini veteris: & secundum quosdam, etiam devotio populi, quo modo multi excusant contra *Suar.* quod in quibusdam locis, primitiæ uvarum in calice exprimantur. *vid. Bonac. l.c.* 2. in vino liquoribus aliis, vel aromatibus ita modice permixto, ut naturam vini retineat. Si verò permixtio sit immodica, erit materia dubia. 3. in vino acescente: quia adhuc est vinum, sicut panis mucidus est panis, 4. Probabi-

habilius etiam in vino congelato, (etsi à quibusdam propter negantium authoritatem, dicatur esse materia dubia) tum quia adhuc retinet substantiam, & denominationem vini, estque natura sua potabile, tum quia Christus sub eo ante consecrato manet. *Card. de Lugo l.c.* Nec refert, 1. quod aqua congelata non sit materia Baptismi, quia hic essentialiter consistit in ablutione, Eucharistia vero non in sumptione. Nec refert 2. quod non sit proxime potabile: quia est per accidens, & facile tolli potest; estq; par ratio in pane indurato. Non est autem idem in liquore nondum ex uvis expresso, quia cum non sit vinum simpliciter, & per se, ac natura sua non sit potabilis, sed comestibilis quod vino congelato non convenit; alioqui non jejunium frangeret. *Bon. l.c.p.2.n* 10.

Peccat tamen, qui in congelato consecrat, id-eoq; si hyeme congelavit calix, calore manuum, aut halitus, aliove modo regelandus est, *Fill. t.4. c.3.l.s.t 4. c.2.*

III. Valida & licita est consecratio in vino, sive albo, sive rubro; etsi etiam specie physica differant: cum utrumque habeatur, & sit simpliciter vinum de vite, *Bon. p.2.n.2. Card. de Lugo l.4.*

Resp II. Vino consecrando debet, non ex necessitate sacramenti, sed gravis præcepti, sub mortali obligantis, secundum *Card. de Lugo de Euch. d.15.s.2.n,12.* misceri aqua. Idque cæremonialiter, & in ordine ad sacrificium. Est certum, ut constat ex *Trid. sess. 22. cap. 7. & 9.* An autem aqua ista immediate convertatur in sanguinem, nec ne, disputant Schol. *vid. Cor.* vel

*Prap. hic. Cardin. de Lugo d. 4. ſ. 3.* Unde re-
ſolves.

I. Si mixtio hæc omittatur, valida tamen eſt conſecratio; etſi illicita mortaliter. Ita omnes *communiter.*

II. Miſcenda eſt aqua naturalis, eaque modicissima, ut habet *Florent.* una ſcilicet, vel altera gutta, ita tamen, ut ſit ſenſibilis, & ſaltem non excedat tertiam partem vini; alioqui reddet materiam dubiam. *Bon. p. 4. num. 4.* ex *S. Thom. Con. &c.* Qui autem miſceret roſaceam, vel aliam artificialem, etſi in neceſſitate, etſi valide conſecraret, peccaret tamen mortaliter. *D. Tho. Mediolant. Dian. p. 6. t. 7. R 18.* quia ageret contra præceptum & conſuetudinem Eccleſiæ in re gravi. Quam ob cauſam etiam mortale cenſet *Fagund. p. 2. l. 2. c. 4. Perſic. &c.* miſcere calidam: quod tamen aliis quibuſdam nimis durum videtur apud *Dian. l. c.* ubi addit ipſe, ſi in frigidiſſima regione conſuetudo id habeat, ne forte vinum congeliſcat, poſſe ſine ullo peccato fieri.

III. Mixtio illa facienda eſt, non in dolio, vel ampulla, aliove vaſe, ſed in ipſo calice, neque domi, ſed in ipſo ſacro, ut ſit communiter, vel ante offertorium, vel certe immediate ante ſacrum, ut ſit apud quoſdam, Idque vel ab ipſo Sacerdote, ut in Miſſa privata; vel à Subdiacono, ut in ſolemni: neque enim ſufficit, ſi caupo illud dilaverit, *Bon. l. 10.*

IV. Si mixtio hæc ſit omiſſa, idque notetur ante conſecrationem calicis, adhuc facienda eſt, ſecus, ſi poſt. *Bon. l. c. n. 5.*

V. Præ-

V. Præceptum hoc mixtionis non extenditur ad illam, quæ fit post communionem, ad ablutionem oris & digitorum, v. de his *Miss. Rom.* Item *Bon. d. 4. q. 2. p. 4. Laym. lib. 5. tract. 4. cap. 2.*

## DUBIUM V.

### *Quæ conditiones ad materiæ consecrationem requirantur?*

Resp. I. Ad validam consecrationem requiruntur duæ conditiones. 1. est, ut materia Sacerdoti consecranti, moraliter & sensibilitet sit præsens, Ita communiter; & est certum. Ratio petitur, tum ex institutione Christi, & verbis formæ, *Hoc*, & *Hic*, quæ non verificarentur, cum sint demonstrativæ: tum ex perpetua Ecclesiæ praxi, nunquam consecrantis, vel etiam benedicentis res absentes: tum etiam ratione sacrificii, quod requirit hostiam præsentem, *v. Bon. d. 4. q. 2. p. 6. Laym. c. 2.* Unde resolves.

I. Valide consecratur vinum in calice cooperto, vase, vel cantharo clauso; panis in canistro; hostiæ in ciborio, vel in cumulo sub aliis latentes, aut aliter tectæ, v. g. sub corporali vel mappa, vel etiam in Missali, ut ex *Suar. Henriq. Con.* docet *Bonac.* contra *Laym. l. 5. t. 4. c. 2.* (unde hoc postremum dubium videri potest, & saltem peccaret graviter; qui sic tectas, aut latentes consecraret.) Item valide consecrantur hostiæ præsentes, à cœco, vel alio Sacerdote in tenebris. Ratio horum

rum omnium, quia ad præsentiam & sensibilitatem non requiritur, ut materia videatur, vel tangatur, vel feriatur sono verborum, (unde communiter non probatur praxis eorum, qui os proxime admovent, ut halitum in calicem & panem inspirent) dummodo videri possit, sive in se, sive in alio, v.g. in suo toto, vel continente, vel vase ad illam continendam destinato *v. Bon. d. 4. q. p. 5.*

II. Invalide consecratur, 1. materia post parietem, aut post tergum posita, vel clausa in tabernaculo, ut docet *Fill. Bon. q. 2. p. 6.* & alii, Ratio, quia moraliter censetur abesse, cum non possit demonstrari per Tò *hoc* vel *hic*, neq; paries habeat se ut continens, aut tegens, 2. materia valde procul, v. g. 100. passibus distans, etsi videri possit. Ratio est eadem. Quanta autem propinquitas sufficiat, dubium est, & ex moralium prudentum judicio pendet. *Henriq. l. 8. c. 38.* docet 20. aut 30. passuum: quod *Bon. l. c.* & alii putant non esse certum, *v. Schol. 3.* Materia tam modica, ut sensu percipi non possit, tum quia non potest demonstrari; tum quia Sacramentum, debet esse signum sensibile. Ita *Suar. Vasq.* & alii contra dictum *Henriq.* Quod intellige, si non sit in toto, vel extra illud: quia in toto etiam minimæ ejus particulæ consecrantur, ut constat ex *Trid. sess. 13. c. 3. & 4. Bon. l. c.*

Secunda conditio, ut materia sit certa, & a consecrantis intentione, & individuo determinata. Est communis, apud *Bon.* & alios: tum quia hoc requirunt pronomina *Hoc* & *Hic*: tum quia actio

nes sunt circa singularia, quæ debent esse certa & determinata. *v. Bon. l. c. p. 5.* Unde resolves.

I. Invalide consecraret, qui vellet tantum consecrare tertiam, vel mediam hostiæ partem, eam non determinando, vel ex multis, v. g. viginti præsentibus, tantum quatuor aut quinque, nullas designando. quia non est ratio, cur una magis, quam altera consecraretur. Item qui ex multis hostiis intenderet illas consecrare, vel illas partes hostiarum, aut vini, quas Deus elegerit, aut Titius designaret; aut partes illas, quæ fractis speciebus sunt mansuræ in continuo, non quæ excident: quia non est materia definita. *Bon. l. c. p. 5.*

II. Non consecratur hostia, inscio Sacerdote posita, sive in corporali, (sejuncta tamen à cumulo) sive infra illud *Con. 3. p. q. 74. a. 2. d. 3.* & alii. Ratio, quia non est determinata in mente Sacerdotis, cujus voluntas non fertur in incognitum. Similiter non consecrantur guttæ, quæ exterius calici adhærent: quia non intenduntur. Imo ut probabilius docet *Suar. Regin. to 2. l. 29. & c. 2. Laym. l. 5. t. 4. cap. 2 Con. q. 74. a. 2. dub. 3.* contra *Tann. & Bonac.* nec eæ guttæ, quæ interius adhærent: quia intentio Ecclesiæ esse videtur, ideoque & Sacerdotis esse debet, consecrare id, quod per modum unius continui est in calice. Unde ne opus sit de detergendis guttis solicitum esse, bene facit Sacerdos, si semel pro semper intẽdat eas nõ cõsecrare; uti nec micas hostiis adhærẽtes *v. Dia. p. 2. t. 3. misc. R. 16. & p. 3. tr. 4. R. 32. Escob. t. 7. E. 6.* ubi docet, Sacerdotem vi particulæ *Hic*, tantum intendere id consecrare, quod per modum unius

continui potabilis est in calice, ideoque gutt-
las illas non consecrari. Quæ sententia probabi-
lis est, ex *Reg. Suar. & Laym. l. 5. t. 4. c. 2. n. 15.*

III. Valida est consecratio, 1. Si Sacerdos in-
tendat consecrare ex pluribus hostiis præsentibus
tantum quinque, eas determinando; vel omnes
præter infimam & supremam cumuli, vel omnes
pares v.g. secundam, quartam, sextam, si sint or-
dine collocatæ, & determinetur, unde numera-
di initium sumendum sit: quod tamen grave pec-
catum erit. Quod si autem hoc vel alio casu, non
consecratæ misceantur consecratis, totus cumu-
lus ad altare est deferendus, ut Sacerdos intendat
consecrare non consecratas, vel potius totum cu-
mulum consecret sub conditione, si non sint con-
secratæ. *C. de Lugo d. 4. de Euchar. n. 36.* 2. Eth
putet unam, vel duas, vel sex hostias, consecran-
das adesse, cum sint plures, sive à se, sive alio po-
sitæ: quia error speculativus & privatus non ob-
stat intentioni practicæ & absolutæ consecrandi
omnes præsentes. Quam tanquam Ecclesiæ con-
suetudini conformem, quisque censetur haben
implicite, ut docet *Sylv. Henriq. & Suar.* Unde
si Sacerdos advertat post consecrationem, esse
duas simul junctas, utramque ut consecratam su-
met, ut habet *Missale.* Si verò ante consecra-
nem, postquam obtulit, advertat, alteram sepo-
net, & post Missam, ipse, vel alius sumat tanquam
panem benedictum. 3. Si quis plures hostias ad
altare tulerit, aut rationabili modo adverterit, ab
alio adferri à se consecrandas, vel ante sacrifici-
um monitus fuerit, de consecrandis in altari jam
posit-

poſitis. Ratio, omnes enim conſecrantur, etſi dum conſecrat, earum non ita expreſſe meminerit, aut etiam ad oblationem non detegat, modo ſint præſentes in corporali, vel ſaltem in altari. Ita *Regin. cap. 29. n. 19. Lay. l. 5. t. 4. cap. 2. Bon. t. 4. d. 2. q. 2. p. 2.* & alii ab ipſo citati. Eſtque ſententia in praxi tuta. Quia intentio præcedens, reſpectu illarum virtualiter perſeverat. 4. Si parvæ hoſtiæ pro communicando populo afferantur Sacerdoti paulo poſt factam oblationem, (addit *Averſa q. 11. ſ. 12.* ante cœptam præfationem) licite eas conſecrari, ſuppleta oblatione mentaliter, ex *Gavand. & Poſſev.* docent, *Dian p. 2. t. 14. R. 71. & Tambur. de exped. ſacrif. l. 2. c. 5.*

Reſp. II. Ad licitam materiæ conſecrationem requiritur, 1. ut non ſit major quantitas, quàm tempore opportuno poſſit abſumi: quia periculum eſſet, ne ſpecies, computreſcerent. *Bon. l. c.* 2. Ut ab uſu Eccleſiæ, præſertim in Miſſali præſcripto, non recedat, *Ex dictis reſolves.*

Peccat 1. Qui vas, in quo hoſtiæ conſecrandæ ſunt, non aperit. 2. Qui conſecrat materiam poſitam extra corporale. 3. Qui intendit conſecrare guttas calici adhærentes exterius, quod eſſet grave; de interius adhærentibus eſt dubium, (quia non conſtat ſatis de mente Eccleſiæ) ad quod evitandum, *Gavantus p. 2. tit. 7.* jubet eas abſtergi, quod conſuetudo probat. Qui tamen id omittit, eum non peccare, docet *Tambur. l. 2. c. 1. §. 3.* imo nec expedire, ſi eas advertas, quando diſcooperto calice, jam jam es conſecraturus, & elevationem populus exſpectat. Poſt conſecra-

tionem autem nullo modo sunt abstergendæ. Qui ante consecrationem ita statueret, nolo consecrare hostias appositas, nisi tempore consecrationis, vel saltem oblationis fuero memor. *Præp. hic a. 2. d 3. Laym. l. c.* etsi *Tambur de exp. sacrif. c. 1 §. 3.* eo casu nullum peccatum agnoscat.

## DUBIUM VI.

*Quæ forma consecrationis Eucharistiæ?*

Resp. Est duplex, una panis, & est hæc: *Hoc enim corpus meum.* Ubi omnia sunt de essentia præter Tò *enim*, cujus omissio esset veniale. Altera vini, & est hæc: *Hic est enim calix sanguinis mei, novi & æterni testamenti, mysterii fidei, qui pro vobis, & pro multis, effundetur, in remissionem peccatorum.* Ubi etsi verior & communior sit sententia *S. Bonav. Suar. Bellarm.* & aliorum, contra S. *Thom* & *Thomist.* quod essentialia sint tantum hæc: *Hic est calix sanguinis mei* (vel *hic est sanguis meus*, aut eis æquivalentia) graviter tamen peccaret, qui aliqua ex reliquis omitteret, vel mutaret. Debent autem formæ proferri in persona Christi, formaliter & significative, sive assertive, & non tantum recitative, sive historice, licet ea, quæ in Canone præcedunt, dicantur tantum recitative seu historice. *v. Laym c. 3. Bon. q. 2. p. 2. Card. de Lugo d. 11. s. 5.* Unde resolves.

I. Valida, sed illicita est consecratio. 1. Si consecrans dicat: Hic cibus, hic potus, hic calix, vel hæc res, vel contentum sub his speciebus, est corpus

corpus meum, vel sanguis meus. *Bonac. l.c. pag. 1.* 2 Si dicat: Hic calix est novum testamentum in sanguine meo, ut habet S. *Lucas cap. 22.* 3. Hoc est corpus meum, quod de Virgine sumpsi; hic est sanguis meus infiniti valoris. 4. Hoc est meum corpus; hic meus est sanguis; vel hoc est sanguis meus. Ratio horum, quia manet idem sensus, nec fit mutatio substantialis. *Bonac. l.c.*

II. Invalida erit consecratio, si dicas: *Hic* (adverbialiter) est corpus meum. Si autem Τὸ *Hic* ponatur masculine, pro neutro, valet, etsi non secundum grammaticam. *Escob. Granadus.* 2. Hoc corpus est meum, hic sanguis est meus. *Fagund. p. 3. q. 78. c. 2.* 3. Ecce Corpus meum; Ecce Sanguis meus. 4. Hoc sit, vel hoc fit Corpus meum; vel hic panis convertitur in Corpus meum; vel hic ponitur Corpus meum. 5. Illud est Corpus meum, ille est Sanguis meus. 6. Hoc est substantia mea, ubi hoc est Corpus Christi *Bon. l.c. p. 3.*

III. Dubia erit consecratio, 1. Illud est Corpus meum; iste est Sanguis meus. 2. Hæc est caro mea: quam tamen *Laym.* contra *Con.* putat valere. 3. Secundum quosdam, forma ex S. *Luca* primo casu allata, *v. Bon. q. 3. p. 1. & 2. Regin. l. 29. n. 33.*

## DUBIUM VII.

### *Quamdiu Christus maneat in Eucharistia?*

Resp. Manet sub speciebus, etiam divisis, & sub quavis earum minima parte; donec tanta earum fiat mutatio, ut consueta substantia panis & vini corrumperetur. Ita commun. cum S. Thom. Et est certum. *Vnde resolves.*

I. Gratia datur in prima manducatione, etiam primæ partis, cum sit totum Sacramentum. Manducatio autem, dicitur trajectio ex ore versus stomachum, etsi alii dicant gratiam tum primum dari, cum pars aliqua est in stomachum recepta, *Dian. p. 3. t. 6. misc. R. 96.* ex *Henriq. Syl. & Fagund.* Item *Card. de Lugo d. 12. s. 2.*

II. Species non sunt retinendæ in ore tam diu, donec penitus pereant: quia tunc non manducaretur Christus: nec gratia Sacramenti conferretur. Uti neque, si moriaris dum hostia adhuc est in ore. *Dian. l. c.* contra *Bec. cap. 22. v. Bon. d. 4. q. 5. p. 2. n. 2.*

III. Si quis partem vini, vel hostiæ, sumpsisset indispositus, & deinde se disponeret, acciperet adhuc gratiam in sumptione alterius partis. Quod etiam aliqui, ut *Gab. Cajet.* & alii, probabiliter dicunt futurum, si se disponat ante, quam species consumantur in stomacho. *Dian. l. c. R. 46.* ex *Nugno v. Card. de Lugo d. 12. s. 2. n. 46. & 53. & 64.* ubi illud posterius negat. *v. Bon. l. c.*

VI. Non

VI. Non videtur reprehendendus laicus, qui desiderat esse Sacerdos, ut possit communicare sub utraque specie, quod putet plus gratiæ dari sub utraque, quam una: quia id fieri, non est improbabile, ut docet: *Vasq. Mar. Card. de Lugo d. 12. s. 3.* & alii. Uti nec carpenda devotio illius, qui multum materiæ sumit ad consecrationem, ea mente, ne tam cito in stomacho species consumantur, & sic diutius secum Christus maneat, & sæpius gratiam augeat: quod fieri non est improbabile, si dispositio subjecti fiat melior, ut docet *Suar. Con.* item *Fagund. & Beca.* apud *Dian. p. 3. d. 6. misc. R. 97.*

V. Species per vomitum rejectæ si tales sint; ut sub illis panis, vel vinum posset existere, vere sunt adorandæ; & si iterum sumantur, iterum conferre gratiam, docet *Cardin. de Lugo loc. cit. n. 53.*

VI. Etsi, si modicum vini consecrati misceatur perfecte cum alio liquore, ita ut non maneret substantia vini, desinat ibi esse Christus, non tamen desinit, si misceatur cum vino alio, saltem ejusdem speciei *Card. de Lugo d. 10. s. 3.*

Unde si gutta consecrata lapsa sit in dolium vini ejusdem speciei, totum illud vinum adhibendum tantum est pro sacrificio, licet quidam dicant bibi posse à laicis.

VII. Si species consecratæ liquorem specie diversum sibi permixtum convertant in vinum, similis substantiæ ei in quo facta est consecratio, species priores manent consecratæ, non item posteriores adjunctæ,

# Caput II.

## De Causis, & subjecto Eucharistiæ.

## DUBIUM I.

### De Causis.

Ago hic tantum de efficiente, id est, Ministro in quo quid requiratur ad confectionem validam, constat tum ex dictis *de Sacramentis in genere*, tum ex superioris capitis *dub. 5.* Quid ad licitam requiratur, patebit ex sequenti dubio, *de subjecto suscipiente Eucharistiam*, quia omnes dispositiones, quæ ad digne suscipiendam sunt necessariæ, requiruntur etiam ad licitam confectionem; cum conficiens necessario suscipere debeat. Hic ergo tantum quæritur. 1. Cujus sit dispensare Eucharistiam. 2. Quid ex parte Ministri requiratur ad licitam dispensationem.

## ARTICULUS I.

### Ad quem spectet dispensatio Eucharistiæ?

Resp. Eucharistiam dispensare, ex officio potest solus Sacerdos, habens jurisdictionem ordinariam, delegatam, aut saltem rationabiliter præsumptam, vel privilegium. Ratio, quia Pastorum proprium est pascere, quod præcipue fit per Sacramenta. *v. Bon. d. 4. q. 5. p. 1. C. de Lugo d. 18. s. 1.* Unde resolves.

I. Pec-

I. Peccat mortaliter, qui sine omni jurisdictione Eucharistiam dispensat. *Bon. l. c. p. 2.* quia violat alterius jurisdictionem, in re gravi. Inferior autem Sacerdote, incurret insuper irregularitatem, ut docet *Con. hic.* Religiosi etiam ipso facto incurrunt excommunicationem Papæ reservatam, si (scilicet sine licentia Parochi, & quidem speciali,) præsumant Clericis, aut laicis dare Extremam Unctionem, vel Eucharistiam, vel Matrimonia solemnizare: nisi habeant privilegium, vel Parochus absit; aut injuste nolit in articulo mortis. A dicta tamen excommunicatione excusare ignorantiam etiam crassam, ex *Præpos. &c.* notat *Dian. p. 5. t. 3. R. 51.* idque propter verbum *præsumant.*

II. Licite ministrat Eucharistiam, qui præsumit rationabiliter Pastorem factum suum approbaturum esse. *Regin. l. 29. num. 91. Bon. loc. cit. num. 7.*

III. Si infirmus sacro viatico muniendus sit, & proprius Pastor absit, vel præsens non possit deferre Eucharistiam, quivis alius Sacerdos, vel regularis, vel secularis, & hoc deficiente, etiam Diaconus, ei conferre potest, quia tunc præsumitur voluntas Episcopi, aut Papæ. Ita *Laym. l. 5. t. 4. c. 7. Bon. l. c. n. 10.* ex *Suar.*

Dixi in Responsione, *ex officio*: quia extraordinarie, in statu necessitatis, id potest Diaconus ex commissione Parochi, (& secundum *Quint.* si absit, sine ea) v. g. in magno festo, quo Sacerdos confessionibus, concionib. &c. est occupatus. *Dia. p. 9 t. 6. R. 39.* ex *Præpos.* In extrema verò necessitate,

v. g.

v.g. articulo mortis, si non esset alius, etiam Diacono, imo laico licere (secluso scandalo) & alios & se ipsum communicare, probabile est, ut contra *Henriq. Vasq. & Sa.* docet *Suar. Con. Laym. Propos. hic d.2.n.11.* confirmatque *Dian.p.8.t.11.* 48. ex *Aversa & Franc. Lugo.* Sed *Amicus* limitat ad casum, quo moriturus peccati mortalis conscius, aliud sacramentum suscipere non posset. *v. Dian.p.9.t.6.R.39.* In praxi tamen id non facile faciendum, ob contrariam consuetudinem, *Card. de Lugo d.18 s.2. Bonac.d.4.q.5.p.1.* Undè resolves.

Probabile est, etiam extra mortis articulum, ex gravi causa, licere Sacerdoti, præciso scandalo, sacram hostiam sumere ex sacrario, vel à Diacono allatam, sibi ipsi dare, v.g. si in longo morbo diu non communicasset, ut contra *Su. & Con.* docet *Fag.p.3.l.3.c.3. Prep. Esc.t.7.E.6. Bon. l.c.*

Dixi II. *Vel Privilegium*, quale habent religiosi Mendicantes, & nominatim Societatis Jesu, ex Pauli III. Bulla & aliorum, ut scilicet in suis templis per se, vel per alios Sacerdotes illic celebrantes, communicare possint quoscunque Christi fideles, præterquam in mortis articulo, (in quo tamen, si urgeat necessitas præsumitur ratihabitio Papæ, etiam invito Parocho, ut habet *Bon.* hic) & festo Paschatis. *v. Card. de Lugo l.c. s.2.n.38. & 44.* Porro per festum Paschatis, Pontifices hic videntur intelligere, & prohibere communionem illam, qui satisfit præcepto annuæ communionis, ut docet *Sa. Fill. & commun.* Per mortis articulum intelligitur tempus, quo vel mors

mors proxime instat, & moraliter certa & inevitabilis est, vel quo est mortis periculum, id est, probabile dubium de vitæ conservatione tali casu, quo valde frequenter mors solet accidere *Suar. t. 4. de rel l. 2. cap. 3. & 3. p. d. 26. s. 4.* & alii.

Ex dictis *resolves*, quod regulares licite dent Eucharistiam in articulo mortis, uti & in Paschate, sequentibus casibus.

I. Si ex rema sit necessitas, ut si periclitetur de salute æterna.

II. Si sit gravis necessitas, id est, probabile mortis periculum, & Parochus nolit, vel non possit dare, *Card. de Lugo d. 18 s. 2. n. 53.*

III. Si à Pontifice, vel Episcopo, habeant privilegium: quale hoc tempore habent Religiosi aliqui, quibusdam locis ab Episcopis, dandi communionem paschalem.

IV. Si quis in paschate non possit in sua parochia communicare, nec petere veniam à Parocho.

V. Si ratione communionis paschalis Parochiæ suæ ante satisfecerint, aut postea satisfacturi putentur: quia tunc Parochis nihil decedit; cum ipso die Paschæ abstinere à communione possint. Sic contra *Henriq. & Navar.* docet *Sa. Fill. & Laym.* qui addit, nisi constaret Parochum esse invitum, ac rationabiliter id prohibere, v.g. quod alias rationem communicantium habere in sua Parochiã non possit; tunc enim ad Parochiam esse rejiciendos *Card. de Lugo d. 8. s. 2. num. 50. Bon. loc. cit.*

VI. Si

VI. Si ægrotus nec dum pervenerit ad eum ſtatum, ut ex præcepto teneatur ad communionem; etſi tunc maneat obligatus ſuſcipere communionem ex manu Parochi, in articulo mortis.

VII. Si ægrotus ſatisfecerit præcepto de viatico, cum intentione illud implendi: quia adminiſtratio Euchariſtiæ tantum eſt vetita regularibus, quando præceptum communionis obligat. Numquam tamen, ſine licentia Epiſcopi, vel Parochi, licet religioſis publice Euchariſtiam deferre per plateas, cum id juri Parochorum, conſuetudine obtento, deroget; proinde eo caſu, in ægroti oratorio, aliove honeſto domus loco, de licentia Ordinarii privatim facto ſacro, Euchariſtia eſt danda. Ita *Suar. v. Dian. t. 4. p. 4. R. 14. & p. 9. R. 63.*

IIX. Quibuſdam, qui frequenter communicant apud religioſos, nec poſſunt adduci, ut communicent in Parochia: idque ex tacito & præſumpto conſenſu, quem *Laym. lib. 5. tr. 4. cap. 7. num. 4.* putat facilius poſſe præſumi in militibus præſidiariis, item in aulicis, ſtudioſis, aliisque Academicis, &c. qui frequenter communicantes extra ſuſpicionem eſſe ſolent. *v. Laym. l. c.*

IX. Si in paſchate ſint vagi, peregrini & advenæ, ſecundum ſententiam probabilem multorum, ut *Sanch. de mat. l. 3. d. 37. Fagund. præc. Eccl. l. 1. c. 8. Card. de Lugo. l. c. Dian. pag. 2. tr. R. 12.*

X. Si ſint famuli, vel domeſtici, vel familiares eorum, qui circa tales habent privilegium. *vid. Compend. privileg. Societatis, V. familiares, & Dian.*

*Dian. pag. 2. t. 2. de dubiis regularium R. 12.*

## ARTICULUS II.

### *Quid requiratur in Ministro, ad licitam administrationem Eucharistiæ?*

Resp. I. Ut Minister circa Eucharistiæ distributionem non peccet, præter gratiam, etiam reverentiam in eo, tum ratio, tum Canones requirunt, ita ut præstet hoc Sacramentum omitti, (cum ejus susceptio sæpe non sit necessaria ad salutem) quam admitti positivam irreverentiam. *Vnie resolves.*

I. Eucharistia non est deferenda ad infirmum, nisi cum habitu decenti, id est, cum stola, & superpelliceo, ac præcedente lumine (secus est de extrema unctione, cujus materia cum non sit Sacramentum, non requirit tantam venerationem.) Putant tamen quidam, si habitus haberi non possit, aut sit tempestas, aut iter faciendum, non fore irreverentiam, si Sacerdos Eucharistiam in pixide, vel corporali involutam, in sinu suo clam deferat. Quod certius videtur licere in locis hæreticis, ubi etiam in necessitate, & clam, præciso scandalo, poterit porrigere sine stola, & superpelliceo: etsi nullo modo celebrandum sit sine vestibus sacris, ob viaticum dandum. *Bon. d. 4. q. 5. p. 2.*

II. Præstat ægrum incommunicatum mori, quã Sacerdotem in habitu, cum Sacramento per publicũ currere, (etsi festinare valde debeat ut dicit *Quint. t. 4. f. 8.* Secus est in Baptismo & Pœnitentia, si probabiliter timeretur, ne ægrotus decederet in

ret in mortali, tunc enim currendum esset, ut habet *Bonac. l. c. ex S. Thom. Possev.* & aliis.

III. Ad infirmum longe distantem licere Parocho Eucharistiam deferre in equo mansueto, ita ut non sit periculum lapsus, docent. *Quintan. t. 4 s. 8.* Sed negat *Possev.* & *Barbosa*, nisi loci consuetudo permittat; adduntque non licere prudem dare portandam Laico, quantumvis Pastor sit fatigatus, sed potius ex collo suspendendam bursam.

IV. Eucharistia non est deferenda ad ægrum, venerationis tantum causa, ut adoret, vel osculetur, si sumere non possit. Quod etiam prohibuit Congregatio Cardinalium: quæ tamen non videtur prohibere, ut venerationis causa deferatur ad lectum, si in domo celebretur.

V. Non licet dare Eucharistiam aliis digitis, si indice & pollice, ob chiragram, dari non possit, ut docet *Bon. d. 4. q. 5. p. 2.* & *Possevinus* contra *Tol.* cujus sententia tuta videtur, si alias æger sine viatico esset moriturus; præsertim si tunc detur duobus indicibus.

VI. Non licet tempore pestis porrigere Eucharistiam medio aliquo instrumento; (multo minus deponere alicubi in scutella, ut ab ipsomet ægro sumatur) sed de manu danda est, ut docet *Bon. d. 4. q. 5. p. 2. ex Suar.* & aliis. Quamvis *Possev. cap. 8.* non improbabiliter dicat, posse præscindo scandalo, & periculo lapsus in terram, instrumento ad id rite confecto dari *v. Dia. p. 4. t. 4. Resol. 114. Bonac. l. c. p. 2.* quod in praxi pro ægroto, qui non potest trajicere hostiam, ut scilicet

detur

detur Eucharistia, imposita particula hostiæ cum vino in cochleari, admittit *Præp. in 3. p. q. 80. a. 5. dub. 6. & Escob. cap. 7. cap. 6. Dian. p. 4. tit. 4. R. 104.*

VII. Sacerdos podagra laborans, potest deferri ad altare, ut ibi Eucharistiam administret; secluſa tamen alia prohibitione. Ita *Posſev. cap. 5. n. 50 Bon. l. c.*

Resp. II. Requiritur præterea ut eam dispensetritu Ecclesiæ consueto, deinde ut eam neget, (per se loquendo) indispositis, animo vel corpore: denique, si Pastor sit, ut minister eam ovibus, quoties rationabiliter petunt. *Bon. d. 4. q. 5. p. 1. num. 13.*

Dixi I. *Ritu Ecclesiæ*: quia legitimus Ecclesiæ ordo sub peccato obligat. *Vnde resolves.*

Peccat 1. Qui Eucharistiam dat sub utraque specie, locis vel personis, quibus à Pontifice non est concessum. Item si morituro, qui ob linguæ ariditatem non potest hostiam trajicere, det species vini: licet talem à mortali excusare conetur *Amicus* apud *Dian. p. 8. t. 1. R. 24. Bon. l. c. Sanch. Posſev. Barbos.* contra ipsum *Dian. part. 9. t. 9. R. 64.* 2. Qui dispensat sine veste sacra, vel lumine, aut prævia confessionis generalis formula. 3. Qui laico dat hostiam majorem; in necessitate tamen, vel in casu magnæ devotionis, licet ex majore particulam defractam dare; vel etiam in defectu minorum, plures majores consecrare, easque deinde in minores partes, (non tamen adeo parvas, ut honeste dari non possint) divisas distribuere. Ita *Sa, V. Eucha. d. 4. q. 5. p. 1. n. 14.*

Dixi

Dixi II. *Per se neget*: quia alias cooperabitur peccato. Per accidens tamen sæpe dare potest, v.g. sine scandalo, aut gravi damno suo, vel pœnitentis, negare non possit. *v. Bon. l c. Poss. v. 8, p. 2.* Unde resolves.

I. Peccat 1. qui dat pueris, ante annum discretionis, (nisi in articulo mortis, ut *v. dub. seq. a. 3.*) qui forte circa annum decimum incipit. 2. Qui dat amentibus quando nunquam fuerunt usi ratione. Si vero usi sint, potest, & debet illis dari in articulo mortis, si possit sine periculo irreverentiæ, & non constet incidisse in amentiam in statu peccati mortalis. *Laym. hic. c. 4. num. 3.* Qui dat peccatori publico, v.g histrioni, turpes comœdias cum mortali repræsentanti, usurario, meretrici, concubinario, de quib. *Fill. t. 4. n. 166. & seq.*

Dixi, *Publico*: quia si occulte tantum scias esse indepositum, occulte quidem non tamen publice petenti, est neganda; nisi indispositio ex confessione sit nota: tunc enim extra eam ne quidem licet monere, ut docet *Sanch. Bon. Laym. l. 5. t. 4. c. 6. Card. de Lugo d. 8. de Sac. s. 8.*

II. Peccat item, qui negat reis morte plectendis, (quibus etiam potest dari aliquot, imo una hora ante mortem, ut habet *Sa*, danda vero est, si fieri potest, non in carcere vel alio loco inhonesto) etiam ob crimen sagarum captis dummodo pœnitentiam præ se ferant: etiamsi crimen negent, & violenta duret suspicio, *Tann. tom. 3. s. 1. d. 4.*

III. Recte facis, 1. qui raro, v.g. in peschate, dat

dat communionem semifatuis, & qui debilem habent rationis usum, si saltem hunc cibu à profano distinguere norint, ut habet *Henriq. & Possev.* Idem fere dicendum est de surdis & mutis à nativitate, v. *Laym. hic.* 2. Qui dat infessis à Dæmone; dummodo sine irreverentia possint sumere. Ita *Suar. Bon. Regin.*

Dixi III. *Si pastor sit.* Unde resolves.

I. Talis peccat graviter contra justitiam & charitatem, si subditis in periculo mortis, licet peste infectis, non det Alius vero Sacerdos, qui in tali casu, absente vel nolente Parocho, nollet dare, peccaret tantum contra charitatem; etsi secundum *Chapia villum* mortaliter, *q.1.n.2.*

II. Pastor, ut Eucharistiam opportune petentibus possit ministrare, tenetur eam asservare, cum lumine, in Ecclesia, nec licet alibi, ne quidem in Sacellis nobilium, vel choro monialium, aut intra septa monasterii earũ, ut habet *Trid. sess. 15. de reform. c.10* nisi cum facultate in solemni festo) in pixide; quæ non necessario est consecrata licet si consecrata non sit, debeat interius vestiri vitta linea, ex tela consecrata; ut ex S. *Thom.* docet *Vasq. Azor. Regin. in Praxi, tom.2.l.29.c.9.*

III. Si ob graviter culpabilem negligentiam Parochi, (vel ejus, cui ista cura commissa est) integro die, vel aliquot integris noctibus; lumen non ardeat ante venerabile Sacramentum, peccare eum mortaliter (secus si per horam tantum) docet, *Quintan. t.4. s 1. & 7.* item *Dian. p.9.t.6.R.34.* licet *Marchant. in resolut. Pastor. t.4. c.5.q.4.* obligationem & consuetudinem tam universalem neget:

neget: uti & de lumine præferendo, quando defertur Sacramentum foras; atque ex causa id posse omitti, ut cum defertur ad ægrum longe distantem, nec commode fieri potest cum lumine.

## DUBIUM II.

### *De subjecto, seu suscipiente Eucharistiam.*

## ARTICULUS I.

### *Quæ requiratur in eo dispositio animæ?*

Resp. I. Qui est in mortali, tenetur sub mortali ante sumptionem Eucharistiæ confiteri, nisi sit necessitas célebrandi, vel communicandi, & Confessarius desit. Ita *Trid. sess. 13. c. 7. & Can.* ubi contrarium docentes excommunicantur de facto. Fundatur autem in illo Corinth. 11, *probet autem se ipsum homo, &c.* Et parum refert ad praxin, utrum tantum sit præceptum Ecclesiasticum, an tantum divinum, quod est probabilius, ut docet *Sua. Fill.* & alii commun.

Dixi I. *In peccato mortali*: tum quia Eucharistia delet venialia, ex opere operato: tum quia venialia, esto comitentur, imo reddant venialiter malam ipsa m sumptionem, non ponunt obicem gratiæ sanctificati. Quod si tamen multa sint, & intra genus suum gravia, de quibus nulla pœnitentia concipitur, actualem devotionem [illegible]

fluctum majorem impediunt. *Suar. Laym.* & alii. Unde resolves.

I. Qui dubitat, an peccarit mortaliter, vel an mortale sit rite confessus, tenetur ante communionem confiteri. Ita *Bon. d. 4. q. 6. p. 2.* ex *Sanch. Regin. Suar.* & aliis.

Dixi II. *nisi sit necessitas*, (non quæcunque, v.g. festi celebritas, vel magna devotio, ut quidam volunt) sed gravis sive urgens, qualis esse censetur in sequentibus casibus: præmissa tamen semper contritione; ad quam tunc teneris, nisi de peccato, quod occurrit, fueris ante contritus. *Prap. Card. de Lugo d. 14. s. 6. n. 122.*

I. Periculum mortis, vel ut consecretur hostia pro moriturò, *Suar. Con. Card. de Lugo d. 4. s. 5. n. 107.*

II. Si sacrificium, vel communio non possit omitti, absque gravi infamia, vel scandalo; *Iidem Aut.*

III. Si Parochus debeat celebrare ex officio, ut populus sacrum audiat. *Ibid.* Ob quam causam etiam alteri, qui non est Parochus, id licere, putat *Dian.* cum *aliis* 11. *p. 9. t. 3. R. 9.* contra *Palaum. Aversam. &c.*

IV. Si urgeat præceptum de annua communione, ut docet *Henriq.* & probabile putat *Prap.* vel si Sacerdos non possit audire Missam, nisi celebret, ut habet *Henriq. & Sotus, Dian. R. 63. & 64.* nec improbat *Card. de Lugo l. c.* Probabilius tamen videntur docere *Con. Sa. Suar.* & alii, cessante scandalo & infamia, præstare tunc sacrum, & communionem etiam Paschalem, intermitte-

re,eo quod hæc præcepta non obligent, quan
non possunt impleri convenienter juri divino.

V. Si Sacerdos post consecrationem commi
tat mortale,vel ante commissi recordetur,tenet
elicita contritione, sacrificium prosequi. Si ve
rò id fiat ante consecrationem, & præsertim ante
Canonem, debet confiteri; si absque nota infa
miæ potest,vel recedere, ut docet *Sylv. Navar.*
*Dian.* & alii contra *Sotum & Henriq.* qui neg
teneri,ob honorem sacrificii, puratque prac
esse probabile *Laym. & Bon.* eo quod vix sit
omni nota confessio decenter fieri posset: m
fortè in Missa solemni, sub cantu,vel concion
quo casu tenebitur confiteri,ut notat *Sylv.* Quo
si verò nec contritionem possit elicere,secundum
communem sententiam, esset confitendum, vel
desistendum, licet *Vasq. in 3.p. tom.3. d.27.*
*Hurt.de Euch. d.8.* putent probabile esse, salte
non peccaturum mortaliter, quando non pos
sine nota recedere: intellige, si conatus sit elicer
vel fecit quod potuit, *v. Dian.p.4. l.4. resol.*
*Card.de Lugo d.9.s.2.n.8.* ubi idem docet, Nav
autem *Dian.* ex *Præp.* satis esse, si quis bona fid
putet se esse contritum,licet subdubitet.

VI. Si in scamno communicantium recor
ris peccati mortalis, quod oblitus es confiteri
nec sine nota,aut scandalo gravi,possis recedere
ut habet *Navar. Fill. Regin. Card.de Lugo l.c. n.*
112 & alii; porrigenti autem Eucharistiam con
teri non expedit,nec decet, quo casu etiamsi n
quidē possis elicere contritionem, excusat à pe
cato *Hurt.l.c.* Imò quidam D D. apud *Henriq.*
cul

tulant laicum ante confessum etiam præcisa nota, & scandalo, non recedentem; eo quod is dicatur justificatus, & probatus per confessionem. Quam sententiam probat *Tambur*, in *expedita com. c. 1. §. 8.* potestque servire pro scrupulosis. *v. Regin. l. 29. n. 105. Bonac. d. 4. p. 10. Escob. 7. c. 6.*

Dixi III. *Et desit confessarius*: deesse autem censetur non ut quidam volunt; si absit is, cui soleat, & cuperet confiteri; vel cui devotius aut utilius confiteretur: neque etsi Religiosus non possit, nisi sæculari confiteri peccata gravia, cum aliqua infamia Religionis. *Amicus. Dian. p. 9. t. 3. R. 13.* sed in sequentibus casibus.

I. Si nullus sit præsens; ad absentem verò sine magna difficultate, (spectata tū debilitate, ætate, & negotiis personæ, cum aliis circumstantiis, ut aeris, brevitatis temporis) adire non possis *Bon. l. c. n. 30.* ex *Suar. Con &c.*

II. Si non adsit nisi ignarus idiomatis, vel carens jurisdictione, vel excommunicatus, vel non approbatus, vel cui non possis confiteri sine gravi damno tuo, vel aliene, vel si habeas peccatum tantum reservatum, nec pateat aditus ad superiorem; vel Superior semel iterumque per pium Confessarium rogatus negaverit potestatem absolvendi. *Tambur. in exped. com. c. 1. §. 6.* ex *Fagund.* Limitat autem *Dia. p. 9. t. 3. R. 15.* si absque gravi nota prætermittere non possis. Ita *Sylv.* & alii. Requiritur tamen, in his etiam casibus, contritio & propositum confitendi; imo ex præcepto *Trid.* Sacerdos, qui in tali casu celebravit, tenetur prima occasione confiteri.

Quod præceptum extendendum non videtur ad laicos, vel Sacerdotes communicantes tantum, ut contra *Navar. & Fagund.* docet *Sylv. & Dian. & Bonac. d. 4. q. 6. p. 1.*

## ARTICULUS II.

### *Quæ requiratur dispositio corporis?*

Resp. I. Nulla corporis macula per se impedit susceptionem Eucharistiæ, cum parum faciat ad bonitatem, vel malitiam moralem: potest tamen aliquando per accidens impedire, propter effectus secutos. Ita *communis.* Unde resolves.

I. Non impedit pollutio involuntaria, imò nec voluntaria per pœnitentiam expiata; nisi effectum malignum, v. g. turpem recordationem ac delectationem, vel distractionem, & perturbationem animi relinquat: eo enim casu, uti & semper, culpabilem, præstat, ac secundum sententiam communem, sub veniali debet differri, nisi aliud suadeat justa aliqua causa, v. g. magnus fructus festivitatis, regula ordinis; vel si à Dæmone excitata putetur, ad communionis frequentiam impediendam. *Sanch. l. 9. de matr. d. 13. Bon. d. 4. q. p. 2. C. de Lugo d. 15. s. 1.*

II. Neque actus conjugalis impedit, etsi decens, & consilii sit, abstinuisse saltem nocte proxime antecedente, si raro communicet. Ita *Fill. & Sanch. l c. Escob. t. 7. E. 6. n. 83.* Intellige, si debitum petitum ex necessitate reddidit, nec ullam inde animi perturbationem, aut effectum ad res venereas patitur: si verò voluptatis causa fecisset,

eo die
effectu
III. La
48. s. 3.
decent
III.
comm
filiomi
ad vita
bitum
d. 13. &
Resp
munica
jejunio
omnino
sumpse
lis, qu
l. Un
I. E
obstat
inter d
Resp.
Tann.
um pr
no do
resol.
Ubi n
hocse
quid f
nem,
vel gu
oris, v
eo c

eo die abstinendum esse, (præsertim si malignus effectus subsecutus fuisset) docet *Regin. l. 29. t. 11. Laym. l. 5. t. 4. c. 6. n. 10. & 16. Mart. Perez. d. 49. s. 3. n. 8.* addens esse tantum veniale; imo indecentiam justa causa posse resarciri.

III. Similiter etsi decens & consilii sit, sumpta communione abstinere eo die à copula; licita nihilominus est ex bono fine, v.g. ex amore prolis; ad vitandum incontinentiæ periculum, vel ad debitum reddendum, *Tambur. c. 3. §. 6.* ex *Sanch. l. 9. d. 13. & Marchin.*

Resp. II. Ex præcepto Ecclesiæ tenetur communicaturus, sub mortali regulariter esse jejunus, jejunio naturali, id est, ut à medio noctis, nihil omnino per modum cibi, potus, aut medicinæ sumpserit, Ita commun. Et est certum ex Conciliis, quæ vide apud *Fill. Laym. Bon. Card. de Lugo l.* Unde resolves.

I. Etsi parvitas materiæ non excuset hic; non obstat tamen communioni 1. Reliquias ciborum inter dentes hærentes trajicere casu, (negat enim *Prap. Vasq.* & alii, si fiat de industria, contra *Tann. Con. q. 80. a. 8. n. 47.* & *Dian.* qui contrarium probabile affirmant,) licet eas expuere omnino doceat *Dian. t. 4. de sacr. resol. 37. & p. 4. t. 4. resol. 104. vid. Escob. tr. 7. E. 6. & C. Lugo num. 36.* Ubi notat, sententiam istam *Tann. & Diana* ad hoc servire, ut studiose dentes ante expurgare, ne quid forte casu decidat, non tenearis. 2. Sanguinem, vel alium humorem ex capite defluentem, vel guttulam aquæ, aut vini, casu per ablutionem oris, vel guttulam jusculi, dum sapor exploratur,

per modum salivæ, cui mixta est, vel calidem inter respirandum trajicere. Ratio, cum quia hæc aut non sumuntur scilicet ab extrinseco, aut non per modum cibi aut potus. *vid. Fagund. prec. p. cap. 5. Card. de Lugo l.c. num. 23.* 3. Si aromata, vel folium tabaci, ex causa ori imponas, mastices, vel quid aliud gestes, modò nihil transmittas. *Pont. in 3.p.q.80.a.8.d.1.n.39. C. Lugo R. mor l.1.d.9.* Idem de fumo tabaci, docet *Gran. in 3.p.a.6. 10.d.8.num.4.* (licet indecens valde id videatur, nisi justa ex causa fiat) & *Escob.t.7.E.6.* ubi de eodem pulvere per nares attracto idem colligitur ex *Suar.* & *Fagund.* Idem tenet *Dian. p.8.t.7.83.* & *C. Lugo R.m.t.1.d.9.*

II. Probabile est, non impedire communionem, si frustillum ligni, chartæ, unguum, vel lapillum deglutias: quia non habet rationem cibi, vel potus. Ita *Dian. l.c. Resol 38.* & *tract. de celeb. R.* ex *Ledes.* & *Sanch* contra *Henriq. Regin Layn.* & alios quorum sententia est. *v. Card. de Lugo* & *Escob.*

III. Non licet communicare his casibus. 1. Si Saccharum, liquorem glycyrrhizæ ore resolutum cum saliva trajicias. Si verò dubium sit, num quid deglutiveris, vel an factum sit post duodecimam, probabiliter docet *Lay. l.1.t.1.ca.1.* contra *Sanch, Fagund.* non impedire communionem, vel sacrificium. *v. Dian. l.c. resol 29.* supra *l.1.t.1.d.9.* 2. Si vesperi incumbens aliquid ori contra tuam cedinem imposueris: nisi certus sis, post mediū noctis te nihil transmisisse. Ita *Suar. Card. de Lugo l.c.n.37.* & alii. Licitū autem est inter horologia dissō-

dissonantia quodvis sequi, etiam ultimum, modo non constet errare : quia habet se ut auctor bonus, faciens opinionem probabilem , ut habet *Sanch. l. 2. d. 1. de mat. Fagund. 10. Sancius. Card. de Lugo n 45. Dia. l. c. resol. 36.* 3. Si aliquid sumpseris, licet mox rejeceris. 4. Si tubaci fumum in stomachum traieceris, ut docet *Prap.* etsi alii merito dubitent. *Tan. tom. 4 d. 5. Gran.* autem *in 3. p. rap. 6. t. 10. d. 8.* negat. 5. Si Sacerdos nocte Nativitatis, in prima Missa ablutionem, vel lambendo digitos , modicum aquæ aut vini sumpserit. *v. Bon. d. 4. q. 6. p. 2.*

IV. Non est peccatum , per se loquendo, cibum sumere ( vel exspuere *Tamb, c. §. 1.* ) statim à communione, ut ex S. *Thom.* docet *Azor. Sanch. Bon d 4. q. 6 p. 1. n. 25.* unde etiam , qui paulò ante medium noctis cœnasset in Dominica pridie nativitatis Domini, posse nihilominus statim post mediam noctem celebrare, docet *Dian. & alii 3. p. 3. t. 4. R. 44.* etsi ob Sacramenti reverentiam, consilii sit abstinere, donec species sint consumptæ: quod saltem intra dimidium quadrantem in laico ( in Sacerdote intra quadrantem ) fieri, certum videtur *Card. de Lugo d. 12. s. 3. n. 54.* ex judicio medicorum à se consultorum. *Tamb.* autem *c. 3. §. 4.* ex *Ioanne Sanch. d. 38.* notat, citius a valido, quàm debili stomacho, regulariter tamen ab omnibus intra horã consumi , refertq; infirmũ quendam post mediã horam species integras rejecisse.

Dixi in Responsione, *regulariter* : quia non jejunus licitè communicat, in sequentibus casibus si quidem jeiunus non possit sine notabili incom-

modo, ut monet *Con.* & *Bonac.* apud *Dian. p. 9. t. 6. R. 42.*

I. In periculo mortis, sive illud sit ex morbo, vulnere, veneno; sive ex sententia judicis. Et quidem in eodem morbo, etsi non tenearis, potes tamen post aliquot, v.g. sex, 7. vel etiam ut putat *Laym.* duos dies, (etsi quoad hoc, potissimum attendendum esse ad consuetudinem, monet *Card. de Lugo*) repetere viaticum non jejunus dummodo nequeas jejunus sumere, & periculum mortis recurrat, ut docetur *commun.* vel etsi maneat, ut contra *Vasq. prap.* & alios docet *Navar. Tol. Regin. Suar. Cardin. de Lugo s. 3. n. 65.* imo etsi non liceat ægro, ex sola devotione communicare fracto jejunio; si tamen morbus esset diuturnus, nec posset dari communio nisi post medicinam, probabile esse id licere, docet *Armil. Toler. Con. Regin. Henriq. Suar. Escob. &c.* quorum aliqui exigunt longum intervallum, v.g. 30 dierum, ut *Navar.* & *Villalob.* alii 8. vel 10. dies, ut *Suar. Henriq. Fagund.* alii 7. ut *Sylv.* alii 6. ut *Arm. Zambr. Posse v* & *Fill.* quos sequitur *Dian. de celeb. R. 77*, alii permittunt toties quoties sine posset dari jejuno: ita *Escob. t. 7. E. 6.* ex *Hurt.* alii denique, posse sequenti statim die dari, ob justam causam, ut si propter consuetudinem, & desiderium, aut devotionem difficulter abstineat, & moraliter videatur instare periculum mortis. Sic *Laym. l. 5. t. 4. cap. 6. n. 20.* Verum ea in re loci consuetudo spectanda est, quæ nunc saltem videtur permittere, ut quando morbus, & periculum diu protrahitur, post 7. vel 8. dies iterum detur com-

communio non jejuno. *v. Card. Lugo d. 15. s. 3. de Euch.*

Denique, licet probabile videtur *Fill. tom. 1. c. 4. n. 242. & Card. de Lugo*, id quod docet *Maj. in 4. d. 9. cap. 3. Fernand. de hared. &c.* (*Laym.* verò *l. 5. t. 4 c. 6. n. 21.* limitat ad casum necessitatis, quo moriturus aliud Sacramentum suscipere non posset, & scandalum cessaret) posse non jejunum celebrare ad dandum alteri viaticum, eo quod hoc sit juris divini, jejunium vero Ecclesiastici tantum, ideoque non tantum posse, sed etiam teneri, dicat *Gran. in 3. p. cap. 6. t. 10. d. 8. n. n.* Id tamen merito communiter rejicitur; tum quia contrarium probat praxis; tum quia major est habenda ratio Sacramenti, quam aliqualis necessitatis proximi; tum quia præceptum viatici non obligat, quando non potest rite dari. Ita *Bonac.* ex *Con. Hurt. de Euch. d 9. dif 17. Suar. Vasq. &c. commun.* docetque *Card. de Lugo* esse probabilius. *v. Dian. Tom. 1. t. 4. R. 33.* Sacerdos autem morti (sive naturali, sive violentæ) vicinus celebrare sine dubio potest non jejunus, ad dandum sibi viaticum, si illud aliter haberi non potest; quia non plus est celebrare, quam communicare sumpto cibo. *C. Lugo d. 15. s. 4. Laym. Dian. p. 5. t. 3. R. 36.*

II. Si periculum sit, ne Eucharistia pereat, vel male tractetur, potest sumi à non jejuno, etiam laico, si alius desit: imo probabiliter potest etiam à præsente Sacerdote laicus accipere, ut docet *Card. de Lugo n. 87. & Vasq. d 221. n 48.*

III. Si grave scandalum sit oriturum ex omis-

sione sacrificii, vel communionis. Quod tamen quidam putant vix fieri posse, eo quod occurrat possit scandalo, dicendo Sacerdotem casu aliquid sumpsisse, ideoque impediri.

Dixi *scandalum*: quia turbationem, vel incommodum aliquod secuturū, v.g. si celebraturus primitias aliquid sūpsisset, non sufficere, notat *Prep.*

IV. Si perfectio sacrificii, vel communionis urgeat. Quod fieri potest quinque modis. 1. Si prius speciebus vini sumpsit aquam: (quam si advertat dum habet in ore, non est exspuenda ob periculum ejiciendi fragmentum hostiæ & irreverentiam; sed deglutienda. *Tamb. de exp. sacrif. l. 2. c. 3. Lugo d 15. s. 4.*) tunc enim tenetur denuo consecrare; quod fieri etiam potest, consecrando & offerendo statim, sine nova hostia. *v.* apud *Suar.* quod si id post Missam concluſam advertas in sacristia, omittas. Si autem intra Missam post sumptionem, vel etiam ante eam, post consecrationem tamen, dubites an fuerit vinum, pro vino præsumendum esse, & pergendum, ait *Tamb.* 2. Si celebrans post consecrationem deficiat: tunc enim tenetur alius, etiam non jeiunus, si jeiunus haberi nequeat, perficere. 3. Si post consecrationem etiam unius speciei, recordetur se non esse jejunum: tenetur enim pergere; imo etiam potest pergere, si ante consecrationem recordetur, & absque scandalo & nota non possit desistere, v.g. in solemni sacro, ut docet *Suar. Con. &c.* Si tamen privatim celebret, & commodè possit abrumpere, tenetur, uti ex 3. *Thom. q. 83. a. 6.* docetur commun. 4. Si post ablutionem sumptam, licet diu com-

communionem distribuerit, sumendæ sunt reliquiæ, etiam grandiores, consecratæ eodem sacro, (quod addo, quia non licet tunc sumere particulis alterius sacrificii, quæ sunt in ciborio, ad expurgandam, ut docet *Suar. Card. de Lugo l. c.* cum *communi*: licet contrarium probabile dicat. *Tamb. de expedita com. ca. 2. §. 8. ex Marchin. t. 3. p. 3. c. 3.* uti nec ejusdem sacrificii, si illud plane sit absolutum, & ab altari recesseris) sed debent servari, donec sumantur à jeiunio. *Escob. t. 7. E. 6. Fagund. &c.* quia convivium jam finitum est. Nisi tamen aliud suadeat periculum indecentiæ, v. g. Si plures Missæ eodem die istic futuræ non essent, & Sacramentũ asservari non soleret: tunc enim minore irreverentia sumeret, quàm asservaret. Imo *Card. de Lugo d. 14. p. 4. n. 82. & Gran.* non damnant Sacerdotem, qui priusquam sacras vestes exuit, particulam inventam absumat eo quòd non sit communio nova, sed complementum præcedentis, *vid. Bon. Card. de Lugo Escob. ll. cc.* 5. Si pars hostiæ post ablutionem sumptam, calici aut palato adhærea; (quæ decentius nova ablutione, quam digito propellitur, ut docet *Bonac.* ex *Fill.* & aliis; quamvis Missale etiam permittat, ut digito attrahatur ad labium calicis, & sumatur ante ablutionem) quomodo etiam ii excusantur, qui ex devotione hostiam in ore diu retinentes, casu præmittunt aliquid ablutionis: sponte tamẽ id non licet, nisi bona fides & sancta simplicitas excuset. Ratio horum omniũ est, quia talis sumptio, moraliter censetur completio unius sacrificii. *Regin. l. c. n. 122. Bon. l. 1. d. 4. q. 6. p. 2.*

Unus casus est, in metu mortis, ad quam evadendam, sicut sine altari, vel calice consecrato, aut vestibus sacris, ita etiam non jejunum posse celebrare, docet *Dian.* cum *Sylv. &c. p. 3. t. 6. R. 48. & p. 5. t. 3. R. 39* dummodo celebratio non exigatur in contemptum Religionis, Ecclesiæ, vel ejus præceptorum.

## ARTICULUS III.

### *Quæ & quanta sit obligatio sumendi Eucharistiam?*

Resp. I. Sumptio Eucharistiæ fidelibus adultis est necessaria, necessitate non medii, sed præcepti divini, obligantis tum in articulo mortis per modum viatici, tum etiam sæpius in vita, ut docet *Suar. Vasq. Laym. Fagun.* & alii communes, probantque tum ex scriptura, tum ex *Concil. Niceno & Trident. sess. 13. cap. 6.* tum ex praxi Ecclesiæ; tum quia Eucharistia est instituta per modum cibi, cujus usus sæpius est necessarius. *Bon. d. 4. q. 7. p. 1. n. 8.* Unde resolves.

I. Quisque fidelis in periculo vitæ, quod prævidet, vel merito timet v. g. in gravi morbo, ante conflictum vel puerperium, præsertim primum; ante navigationem, &c. tenetur sub mortali communicare. *Suar. Vasq. d. 214.* Nisi tamen paucis, v. g. octo diebus ante communicasset: talis enim communio censeretur habere rationem viatici, ut docet *Suar. Regin. Fill.* contra quosdam, ut *Gasp. Hurt. d 10. dif. 2. &c.* apud *Escob.* qui dicunt, eum qui mane communicavit; si à prandio incurrat pe-

rat periculum vitæ, teneri iterum sumere communionem, tanquam viaticum: imo *Sa* & *Sylv. V. Euch. Fumus. &c.* & *Cajet. V. communio*, putant, non esse saltem mortale, communionem omittere, dummodo in paschate sumpseris.

II. Si in ægro esset periculum vomitus docent *Sancius* apud *Dian. p. 5. t. 3. R. 55.* posse ei parvam particulam dari, quæ stomachum alteratura non putetur; aut si de hoc ipso dubium sit, securitatis causa prius dari particulam non consecratam, quam si rejiciat, nullo modo dandam consecratam, secus si retineat. Si vero, independenter à cibo perpetuo evomat, nullo modo dandam, nisi fortè per sex saltem horas liber à vomitu fuisset.

III. Pueris doli capacibus, qui sciunt distinguere Eucharistiam ab alio cibo, probabilius est in periculo mortis eam esse dandam pro viatico, ut contra *Vasq.* insinuat *Laym. t. 4. de Euch. cap. 4.* & expresse docet *Suar. d. 40. s. 1.* confirmatque *C. de Lugo d. 13 s. 4. n. 38.* & addit, (contra *Sanch.*) si de capacitate pueri sit dubium, posse nihilominus dari, etsi non sit necesse.

IV. Qui post viaticum sumptum peccavit mortaliter, non tenetur denuo communicare. Ita *Regin. Fill. Card. de Lugo & alii.*

V. Qui non communicavit in periculo mortis, non tenetur postea supplere, Ita *Bonac. d. 4. q. 7. p. 1. ex Henriq. Reg. &c.*

VI. Judex tenetur, per se loquendo, reis concedere tempus communicandi, ut docet *Suar. Bon. l. c. & alii communiter*, contra *Nav.* quod si

reus noluerit, potest judex procedere. *Fill.t.4.c.8. q.11.n.238.*

Resp. II. Etsi Christus tempus communionis, extra periculum mortis, non præceperit; Ecclesia tamen pro eo determinavit tempus paschale, quod communiter numeratur Dominica Palmarum, usque ad Dominicam in Albis inclusivè: alicubi tamen totam Quadragesimam comprehendit; alibi extenditur ex consuetudine, vel indulto; potestque Confessarius, ex justa causa, extendere, ut docet *Sa & alii. v. Bon.d.4.q.7.p.2.* Unde resolves.

I. Præceptum hoc impletur etiam per communionem sacrilegam, ut habet communis, contra *Durand. & Sylv.* Et patet quia Ecclesia tantum præcipit actum externum; nec finis præcepti cadit sub præceptum. An vero qui non satisfecit, teneatur postea implere, utrimque probabiliter defenditur, etsi affirmativa videatur probabilior. *Bon.l.c. Suar. Con Card. de Lugo, &c.*

II. Non tenetur prævenire, qui prævidet tempore Paschali se impediendum, ut contra *Vasq. Sylv. & Fagund* probabiliter docet *Azor.tom.1. l.17.c.41. Suar &c.* Qui vero sic prævenisset, & postea tolleretur impedimentum, teneretur rursus communicare, secundum *Lay.l.5.t.4.c.5. Card. de Lugo s.4.n.78.* quia non satisfecit præcepto obliganti ad communionem, & ad aliud tempus. Negat tamen *Dian.* citans *Fernand. & Suar.*

Resp. III. Tenetur quis communionem paschalem sumere in Parochia, à Pastore suo, nisi hujus licentia, privilegio, aut consuetudine exima-

*v. 55. Inn. XI.*

eximatur. *Navav. Suar. d. 72. s. 3. &c.* Unde resolves,

I Sacerdos ubivis celebrando satisfacit. *Bon. d. 4. q. 7. p. 2.*

II. Eximuntur peregrini & vagi, qui Parochiam non habent, aut ab ea absunt. *Bon. l. c.*

III. Non eximuntur laici inservientes religiosis, ut habet *Sa V. Euch.* nisi ut dicit *Bon.* degant in monasteriis, aliisque locis, à cura Parochorum exemptis. *Sanch. de mat. d. 23 n. 12.*

IV. Non satisfecit huic præcepto, qui in Paschate extra Parochiam, sine consensu Pastoris, communicat, ut habet *Navar. Azor. & alii comm.* nisi tamen communicet in Cathedrali Ecclesia: hunc enim satisfacere præcepto, censet *Bon. l. c.* sed negat *C. Lugo. l. 1. Resp. mor.* nisi Episcopus expresse, vel tacitè consentiat, *v. supra c. 2. d. 1. a. 1. & c. 7. 8. & 9. Bon. l. c. v. supra cap. 2. a. 1. casu 7. 8. & 9.*

Dixi, *sine consensu Pastoris*: quia cum consensu summi Pontificis, vel Episcopi, sive Ordinarii, aut eius Vicarii generalis, vel Parochi (hi enim omnes intelliguntur nomine Pastoris) extra Parochiam communicando satisfieri præcepto, Doctores concedunt. Et quidem sufficere consensum interpretativum, sive præceptum, notat *Tambur, de exped. com. c. 4. § 4.* Imò *Bauni. in Theol. morali p. 1. t. 5. q. 19. Beia & quidam alii apud Tambur. l. c. & Cardinalem de Lugo d. 18. s. 2. num. 49. Item Dian. p. 2. t. 14. R. 73. & p. 6. t. 7. R. 58.* putant posse satis fieri præcepto communionis Paschalis (præsertim extra diē Paschæ apud Mendicantes,

dicantes, ex Privilegio Nicolai V. Pii V. & Pauli IV. certis concesso, quod cœteri participent. Verum hoc alii communiter negant, *v. Aversa q. 10. s. 4.*

## Caput III.

### *De Eucharistia, ut est sacrificium.*

### DUBIUM I.

### *Quæ sit Missa, & quæ obligatio Sacerdotum circa illam?*

Resp. Missa est sacrificium, consistens in consecratione panis & vini: estque actus latriæ, qui fit in recognitionem supremi dominii Dei, & signum nostræ servitutis. Quod non obstat, quin secundario possit etiam ad alium finem partialem offerri, ut ad agendas gratias, vel impetrationem beneficii, ad remissionem peccatorum, ad sanctos honorandos, &c. Principalis fructus Missæ ex opere operato, est independens à probitate Sacerdotis, à quo pro omnibus seu vivis seu defunctis, etiam accepto stipendio, applicabilis est: estque actu, tam intensive, quam extensive finitus; etsi enim hostia ipsa, & principalis offerens, id est Christus, infinite sit Deo gratus, atque ita Deus per hoc sacrificium infinito honore afficiatur; videtur tamen Christi esse voluntas, ut offeratur, & prosit tantum ad certum & finitum effectum. Quod etiam patet ex usu & sensu Ecclesiæ; dum Missæ pro eadem re repetuntur: quod signum

signum est, non habere infinitum effectum, v. *Bonac. d. 4. q. ult. p. 4.* Unde resolves.

I. Sacerdotes ordinarie peccant graviter, si non aliquoties in anno, saltem ter, vel quater, solenioribus festis celebrent, nisi legitime sint impediti. Ita *Sylv. Regin. Suar. Con. & alii commun.* contra *Angles. Bonac. Dian. p. 2. t. 14. R. 9.* item *C. Lugo & Tambur. l. 1. exped. com. c. 6.* qui excusant saltem à mortali, dummodo communicet in paschate, absitque contemptus & scandalum: imò ubi Tridentinum est receptum, tenentur ex mandato Episcopi, sub gravi culpa, celebrare saltem Dominicis & festis: excusantur tamen, si Episcopi nullum mandatum extet.

II. Etsi in Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis, & Conventualibus (ubi est competens Sacerdotum numerus) quotidie debeat una saltem Missa privatà celebrari, & altera cantari, peccentque mortaliter dictarum Ecclesiarum Rectores, si in hoc deficiant: *Suar. Con. Laym. March. &c.* non esse tamen mortale (præscindendo à peculiari obligatione talis Ecclesiæ) semel vel bis in hebdomada omittere alterutram, docet *Tamb. l. 1. cap. 6.* uti neque si in Ecclesiis Collegiatis die festo cadente in feriam privilegiatam (v. g. Vigiliæ, quatuor temporum, Quadragesimæ vel Rogationum) Missa solennis de feria post Nonam canenda, semel comitatur. *Ibid. ex Abb. March. &c.*

III. Peccat graviter, qui tenetur pro alio offerre Missam, fructum tamen principalem applicat aliis: quia id alii est fraudi in re gravi.

IV. Gra-

IV. Graviter peccat, 1. qui ad sacrum ex justitia obligatus, illud diu differt: quia magno fructu alterum privat. *Sylv. Reg. lib. 23. n. 236. Fernand. &c.* multoque magis si planè omittit, teneturque hoc casu ad stipendii restitutionem. *Tamb. de exped. sacrif. l. 3. ca. 1.* §. 8. 2. Si quis accipiat plura stipendia, quibus nisi post longum tempus possit satisfacere. Ratio eadem *Sylv. Regin. Fernand. p. 3. cap. 5.* 3. Qui sacrum animo se obligandi promisit, & non præstat. *Bonac. d. 4. q. ult. p. 8.* etsi probabile sit, hoc non esse mortale, ut habet *Sanch. de mat. l. 1. d. 5. v. Dian. tr. mis. R. 9. item p. 4. t. 4. R. 196. & p. 6. t. 6. p. 5. t. 14. 81.* ubi citat *Cajet. Vasq Hurt. &c.* affirmantes, quod qui pluribus Missam gratias promisit, possit unica satisfacere: quod tamen alii communiter negant.

V. Si quis det justum stipendium (id à consuetudine, vel lege taxatum esse debeat, aut si non est, secundum *Sotum & Cajetan.* est frugalis victus unius diei, quod *Suar. Lay.* & alii reprobant, putantque sufficere mediam, vel tertiam partem sustentationis diei) ut pro se dicatur Missa, ut non potest secundum accipi ab alio, & pro duobus una tantum Missa dici. *Card. de Lugo d. 19. n. 239.* Secus si ambo dimidium tantum justi darent; sed contra *Vasq. Regin.* & alios probabiliter docent. *Sotus Henriq. Fill. Con. Card. de Lugo l. c.* quod tamen jam est prohibitum per Bullam *Urbani VIII. vid. Bon. Dian. tr. 4. Resol 7.*

VI. Beneficiati, etiam Curati ad Missas obligati, possunt pro iis accipere stipendium, & applicare cui volunt; quia non semper habent obligationem

nem applicandi ad certam intentionem; nisi tamen contrarium constet, ut de Missa conventuali docet *Bon. Ita Card. de Lugo d. 81. s. 1. n. 21. ex Suar. Vasq. &c. contra Gavant, Barbosam & Dian.* qui negant de Parocho, refertque *Dian. p. 4. t. 4. R. 232.* determinasse Congregationem *Cardin.* quòd ei non liceat pro missa accipere eleemosynam manualem, quando tenetur celebrare: de Missa tamen conventuali, contra *Bon. &c.* ipse affirmat *p. 5. t. 13.* ex aliis 3.

VII. Qui stipendium pro sacro accepit, tenetur dicere Missam pro defunctis, vel votivam, vel in hoc aut isto altari, prout pecuniam offerens petivit, (quantum tamen rubricæ permittunt, quibus neglectis Ecclesiæ ordinem invertere, ob alterius devotionem, non convenit) quia ob ejus devotionem, & speciales orationes, major fructus provenire solet. Si tamen aliter faciat, non erit grave, imò nullum, si fiat justa de causa. *v. Dian. de celeb. miss. resol. 31. C. Lugo. l. c. n. 35.*

VIII. Is, qui quoad locum, tempus, intentionem, qualitatem Missæ, non satisfacit, sine justa causa, voluntati fundatoris, peccat, & quidem graviter, si sæpè faciat; esto consentiant hæredes, cum ii in hoc voluntati testatoris non possint derogare, ut docet *Sylv. Navar. Azor. &c.* Episcopus tamē potest in hoc dispensare ex causa, ut habet *Henriq. Syl. & Tann.* Quod si quis quoad locum impediatur, tenetur in alio, ut habet *Azor. to. 1. l. 10. c. 14. & V. Missa. Dia. l. c. resol. 29.* ubi docet ex *Nav. Bodriq. Fagund. & Azor.* esse mortale celebrare in alio templo, vel altari, quam quis tenetur.

tur, quod negat *Card. de Lugo.* si raro, & ex causa fiat, *v. num.* 36. Imo nec esse veniale, si obligatus quotidie celebrare, raro & ex rationabili causa celebret alibi. Similiter *Tamb. de exped. sacr. l. 1. c. 2.* excusat à mortali eum, qui uno alterove die singulis mensibus alibi celebrat, nisi tamen teneatur celebrare in altari privilegiato, notatque posse Sacerdotem contra hoc onus omissarum, v. g. certum earum numerum, præscribere annis 30. si adsit possessio, titulus, & bona fides.

IX. Beneficiatus ex justitia obligatur sub mortali, & pœna compensationis, ad eum numerum missarum, per se vel (prout mens fundatoris ex verbis colligenda permittit) saltem per alium, quem numerum literæ fundationis requirunt: eum vero numerum ex justa causa, ut v. g. si reditus jam non sufficientes respondeant, potest minuere Episcopus in Synodo: quam potestatem *Bon.* restringit ad Missas defunctorum, & quidem post *Trid.* impositas. *v. Bon. d. 4 q. ult. p. 8.*

X Qui ratione beneficii tenetur quotidie celebrare, tenetur etiam Missam pro fundatore (nisi de hujus intentione contraria constet) applicare. *Bon. & alii* 4. cum *Dian p. 6. t. 6. R. 15.* qui tamen concedit posse eum pro se ipso quater, aut sexies in anno, & in die commemorationis omnium defunctorum pro particulari defuncto celebrare; item quavis hebdomada unam Missam omittere devotionis & reverentiæ causa, idque expræsumpta intentione fundatoris: quod *Tamb. l. 3. exped sacrif. c. 3. §. 1. ex Gavant. p. 3. t. 12.* limitat, nisi de cõtraria fundatoris voluntate constet, vel sic:

sit onus Ecclesiæ, aut Monasterii, curare Missam quotidianam *v. Tamb. l. c. Dian p. 2. t. 14. R. 28. p. 4. R. 86. & p. 5. t. 5. R. 23. & t. 13. R. 51.* 2. Idipsum limitat *C. de Lugo R mor. l. 5. d. 9.* Si obligatio dirigatur ad ipsum Sacerdotem, v.g. si dicatur. (*Qui debet quotidie celebrare.*) quo casu concedit: si vero dirigatur ad celebrationem in tali loco, v.g. *volo ut in tali Ecclesia celebretur quotidie Missa*, teneri eum pro se alium substituere eo die, quo ipse non celebrat.

XI. Qui non potest fundationi satisfacere propter morbum, non tenetur, si brevis sit, (v.g. 15. dierum, ut docet *Bon.* aut etiam unius alterius ve mensis, ut probabiliter docet *Card. de Lugo* n. 49.) substituere alium, compensare, cum tam stricte nec domini quidem honesti cum famulis agant: secus tamen, si sit diuturnus morbus: nisi redditus sint nimis tenues, aut in morbum absumantur, ut contra *Sylv. & Azor.* docet *Bonac. ex Rodriq.* Impeditus verò aliis negotiis, licet justis, (cum hæc non debeant ob esse fundatori) debet satisfacere per alium, vel compensare postea, præsertim si fiat sæpius. Ita *Bon. d. 4. q. ult. p. 7.*

## DUBIUM II.

### *Cujus sit applicare fructum sacrificii?*

Resp. Solus Sacerdos offerens valide id facit per suam intentionem: quia est actus potestatis sacerdotalis. Ita commun. *Suar. C. Lugo d. 14. s. 10. n. 211. &c.* Unde resolves.

I. Is

I. Is validè applicat, etsi peccet sacrificando, vel applicet contra voluntatem superiorum. Ita *Suar. Laym. Dian. Card. de Lugo l. c. contra Navar. Ledesma.* & alios, quorum sententiam probabilem dicit *Dian. t. 1. resol. 72.*

II. Sacrificium, quod neque formaliter, neque virtualiter ulli applicatum est, vel ante, vel in ipsa consecratione, saltem secundæ speciei, non potest postea ulli applicari, saltem adæquatè: quia producit effectum quando existit, neq; is suspenditur: ideoque nec licet accipere stipendium pro Missa præterita. *v. Laym.*

Dixi, *velante* quia non requiritur, ut applicatio fiat in ipso sacrificio; sufficitque si pridie facta sit, etsi ipso die de ea non cogitet *Bon. q. 3. p. 2. ex Suar. & Dian. l. c. resol. 47. contra Vasq.*

III. Si nulla applicetur, vel incapaci, fructus manet in thesauro Ecclesiæ, ut docet *Suar.* vel cedit ipsi Sacerdoti, vel illis, pro quibus tenentur specialiter offerre, quod ita implicitè censeatur intendisse, Ita *Laym. t. 5. c. 2. v. C. Lugo n. 215.*

IV. Applicatio sub conditione jam impleta, est valida, v. g. ad intentionem quam habuit hodie superior, non autem sub conditione futura contingente; v. g. applico illi, cui Titius interrogatus voluerit; vel ei qui prius morietur; vel qui primo stipendium offeret. Ita *Suar. in 3. p. to. 3. d. 79. s. 9. Laym. l. c. Dian. l. c. resol. 15. E. Lugo d. 19. n. 209. contra Bon. q. ult. p. 7. §. 5.* qui tamen ipse in praxi dissuadet.

V. Non satisfecit, qui te mortuum putans, Missas, quas pro defuncto teneretur, celebravit.

VI. Sa-

VI. Sacerdotes Societatis non satisfaciunt, celebrando pro defunctis per anticipationem ; nisi tamen jam mortui sint, etsi postea promulgentur, *Laym. l. c.*

VII. Non ommes Sacerdotes tenentur die animarum applicare Missam pro omnibus defunctis. *Tamb. l. 3. exp. sacr. c. 3. §. 2. contra Fraxin. & Gavan. p. 4 t. 15.*

VIII. Missa celebrata in altari privilegiato pro defunctis, non suffragatur illis, nec satisfit indulto, nisi sit de Requiem *Dian. p. 4. t. 4. R. 233. ex declar. Card. & p. 9 t. 2. R. 8.*

## DUBIUM III.

### *Quando, & quoties liceat celebrare?*

Resp. I. Ordinariè non licet celebrare post meridiem, sed debet inchoari ante duodecimam: nec ante auroram, quam ante solis ortum *Regin.* quadrantem horæ, *Henriq. & Con.* mediam horam, *Azor* horam cum quadrante, *Suar. & Fernand. Possev.* sesqui horam comprehendere dicunt; & consequenter, cum secundum *Henriq. & Suar.* & alios, Missa possit inchoari tanto ante auroram, ut sub eius initium finiatur, licet duabus horis ante solis ortum incipere. Ita *Rodriq.* & alii. Unde ulterius inferunt quidam, cum *Suar.* Religiosis habentibus privilegium celebrandi hora ante diem, licere tribus horis ante ortum Solis incipere, quod *C. Lugo d. 20. s. 1. n. 32.* non improbat,

bat, etsi *Laym.* tantum permittat horis duabus cum dimidia. *Diana* vero duabus horis post mediam noctem *C. Lugo l. c.* Quacunque autem hora licite (sive ex, sive sine privilegio) celebrant eadem etiam, atque adeo in Missa, quæ nocte Nativitatis, cæteriſque, quæ post illam celebrantur licere iis Eucharistiam aliis ministrare, contra *Bordon.* docet *Dian p. 9. t. 7. R. 43.*

Dixi, *ordinarie:* quia antevertere licet sequentibus casibus; in quibus etiam paulo post meridiem, v.g. uno vel altero quadrante, inchoari potest, uti etiam secundum *Sotum & Palud.* ex quavis rationabili causa, v.g. ob supplicationem, vel concionem publicam protractam ultra meridiem, ob funus Principis, vel quia Sacerdos die festo propter iter fuit impeditus, quo casu etiam integra hora post, licere inchoare dicunt, v. *Laym. l. c, Fernand. hic c. 5.*

1. In necessitate, v.g. ut morituro detur viaticum: quo casu licere media nocte celebrare, ait *Dian. p. 1. t. 14. R. 35.* ex *Laym. &c.*

2. Ubi est mos rationabilis, ut opifices & simuli summo mane possint audire sacrum. *Laym. l. 5. t. 5. c. 4. n. 3.* ex *Navar. &c. v. Dian. p. 1. tit. R. 34.*) non tamen idcirco post meridiem licebit.

3. Ex privilegio, de quo supra.

4. In nocte Nativitatis, in qua omnes tres Missas ante auroram dici posse; probabiliter docet *Suar. Con. Laym. Dian. p. 4. t. 4. R. 236.* contra *Sylv. Fernand. & alios.* Unde resolves.

I. Graviter peccat, qui sine aliqua harum, aut saltem justa causa, citius mane, vel serius post pra-

prandium celebrat, ubi Azor tertiam horæ partem, Lay. mediam horam, Bon. tres quadrantes, Sylv. horam requirit, ut differendo peccet mortaliter, v. Dian. p. 1. 14. resol. 34. ubi notat religiosos ex suis privilegiis, posse celebrare usque ad tres horas post meridiem, post tertiam verò nullo modo. v. Con. l. c.

II. Non est peccatum, celebrare ante dictam Primam, vel etsi ob infirmitatem non possis Horas dicere, vel etiam ante Matutinum, si causa subsit, sine qua erit veniale, ut docet Fill. Laym. & alii, videturque sententia tuta, contra multos, dicentes esse mortale.

Resp. II. Per se loquendo, quotidie licet celebrare. Dico per se, quia præcepto obligante sub mortali, prohibemur die Veneris Sancto, (non tamen Eucharistiam sumere, vel aliis præbere, ut habet Hurt. de sacrif. d. 4. dif. 3. Quintan. ex Suar. Vasq. Tan. &c. licet suppositis declarationibus Card. non licere ministrare nisi solis infirmis, velit Dian. p. 4. t. 4. R. 237. p. 6. t. 6. R. 19. & p. 9. t. 9. R. 24. Barbos. Gavant. &c. In Cœna Domini verò, etsi ex consuetudine : uno celebrante reliqui communicare debeant ; plures tamen post finitam Missam solemnem, & sacrarium reconditum, ut vult Palau, licet alii non admittant, apud Dian. p. 9. t. 9. R. 24. De Sabbatho sancto alii negant licere, ut Vasq. &c. ali probabilius affirmant, ut Suar. Fagund. Dian. Casp. Hurt. d. 4. dif. Palau (qui non vult fieri ante inchoatam Missam solemnem) &c. Lugo s. 1. num. 18. qui addit, non esse tunc legendas prophetias, quia non sunt pars Missæ ; neque

que benedictionem cerei, imò nec Litanias, et ratio eadem *v.l.c.n.20.& Bonac.p.2.* ubi notat, quod usus id vix habeat *vid.*etiam *Dian.p.4.t.4. R.237* ubi cum *Mercero*, contra alios permittit eo die ante Missam solemnem celebrare de Sancto incidente, vel votivam.

Resp.III. Sæpius in die celebrare non licet ordinariè: quod addo, quia si sis jejunus, licitum est sequentibus casibus, bis, vel etiam ter, requisito tamen, si facilè haberi possit, Episcopi judicio, præterquam in primo.

1. Nocte Nativitatis: qua tamen non teneretur, ne Parochus quidem celebrare tres Missas, sed potest aliquam pro arbitrio omittere *Dian.p.4.t.4. R.23.6.* Neque ter communicare, vel semel communicare, & bis celebrare *p.8.t R.87*

2. Si pastor habeat duas Parochias distitas, *Fill. C. de Lugo d.20.n.45.*

3. Si concursus populi sit tantus, ut Ecclesia non capiat ut habet *Laym.l.5.t.5.cap.4.in6.& C.Lugo.l.c.* etsi tũc potiꝰ expediat celebrare extra.

4. Si ante ablutionem moneatur de communicando infirmo & suam jam hostiam sumpserit, nec sit alius Sacerdos *Sylv.Navar.* Sed casum metaphysicum, dicit *C.Lugo d.20.n.44.*

5. Si die festo adveniant personæ, quas non deceat sacrum omittere, v. g. Rex aut Princeps; quamvis hic ultimus dicatur non esse in usu. *v. Bon,d.4.q ult p.7.n.9.C.Lugo l.c.& Lay.t.5.cap.4. Con. Dian. p.2.t.14.R.56.* ubi rectè monet, in his omnibus attendendum ad loci consuetudinem, quæ ferè omnes nunc sustulerit.

Quam

*Quæres.* An aliquando liceat interrumpere Missam?

*Resp.* Etsi abrumpere essentialiter, sive unam tantum speciem consecrare, nullo casu liceat, ut dictum supra *c.1.d.2.* accidentaliter tamen abrumpere vel etiam interrumpere, aliquid interponendo, licet his casibus.

1. Ob concionem, post Evangelium, vel processionem excipiendam.

2. In gratiam supervenientis Principis, vel turbæ peregrinorum die festo, quo alias Missam audire non possent, vel simili iusta causa: ex qua, si non sit facta oblatio posse incipere de novo, ut totum sacrum audiant, etsi non teneantur, docent varii Authores cum *Sa, apud Bon.d.4.q ult.p.7.n.* 9. qui benè monet, consuetudine locorum standum *Henriq.* autē docet, id tantum licere finita Epistola, vel Evangelio *Tamb.* planè improbat.

3. Si ante Canonem Sacerdos recordetur alicujus impedimenti, v.g. se non esse jejunum, vel in gratia, vel irregularem, vel excommunicatum; vel excommunicatus non toleratus præsumat interesse, nec possit expelli.

4. Si urgeat gravis necessitas, vel propria, v.g. morbus vel proximi, ut si moriturus sit baptizandus, vel absolvendus. *Trull. Dian.p.5.t 3.R.70.* In aliis tamen sacramentis non ita necessariis, non decet inter consecrationem & sumptionem interrumpere, nisi moriturus esset in propinquo, nec opus esset vestes exuere, vel nisi pœnitentiæ sacramentum ob phreneſin susc ipere non posit. *Laym. Tamb.l.2 exped. sacrif.c.7.* Revertens autem ad sacrificium Sacerdos, si fuerit ante facta

non fuerit, & parva mora interceſſerit, v.g. minor quàm unius horæ, ſi autem longior, ordietur ab initio. *Tambur. l. 2. exped. ſacrif. c. 1. §. 7.*

## DUBIUM III.

### *Quo loco celebrandum ſit?*

Reſp. Communiter non licet celebrare, niſi in Eccleſia eaque conſecrata, vel ſaltem benedicta, & non violata, vel exſecrata, nec interdicta. Patet ex *Trid. ſeſſ. 22.*

Dixi, *communiter*: quia indecenti loco, & altari portabili, (quod ſemper ſub mortali requiritur) cum licentia Epiſcopi, ſi adſit, vel ſine ea ſi abſit, licet ſequentibus caſibus: extra quos ſi fiat, eſſe mortale, docet *Fill. Laym. & alii communes* contra *Sotum & Sa.*

*Primò*, ſi ſit neceſſitas, qualis eſſe cenſetur, 1. Si Eccleſiæ dirutæ ſint. 2. Si populum in ſolemni feſto templum non capit. 3. In caſtris pro exercitu: ſed feſtis tantum diebus. *Fagund. C. Lugo &c.* licet *Paſqual* apud *Dian. p. 9 t. 1. R. 44* etiam non feſtis cenſeat poſſe permitti Generalibus, & primariis ducibus, in ſuiis tentoriis. 4. In portu pro appulſu navis, non tamen in flumine, vel mari propter periculum effuſionis ſanguinis, ut communiter docetur apud *Bon.* Contrarium tamen dicitur jam habere praxis Luſitanorum, euntium in Indiam, ex permiſſione *Clementis VIII. & Paulis V.* ex qua licitè nunc fieri docet *Fagund. Gran. nec* impro-

improbat *Card. de Lugo. l. c.* Limitat autē *Dia. p. 5. t. 3. R. 40.* cum *Hurta. Mercer. Trull. &c.* si magna sit tranquillitas sine ullo tempestatis indicio, adsitque præter celebrantem Sacerdos alius, qui post consecrationē firmiter teneat calicem. Cum qua cautione etiam Episcopum posse adhuc concedere facultatem in necessitate (v. g. ne magna multitudo non audiat sacrum vel moribūdus decedat sine viatico) docet *Gran.* apud *Dia. l. c* cōtra *Con. & Tur.* qui soli Papę eam reservatā volunt ut etiam *Dia. p. 9. t. 1. R. 45.* ubi adducit declarationē Cardinalium, qua jubentur Episcopi id prohibere.

*Secundò*: Ex dispensatione Episcopi, ob rationabilem causam, etsi in *Trid. sess. 12.* id permittere prohibeātur, nisi ex justa causa, in oratoriis privatis, divino cultui destinatis, licet non benedictis. Verum etiam hanc potestatem illis tunc esse ademptam, docet *Gavant. l. c. & Dia. p. 9. t. 1. R. 42.* eo tamen non obstante, posse eos in aliquo casu particulari, ex justa causa permittere, ut celebretur extra Ecclesiā in altari portatili, docet idem *Dia. l. c. R. 43. ex March. Garc. Lugo. Avers. & per sic. &c.*

*Tertiò*: Ex privilegio, quale dicuntur habere Minores, & qui cum iis participant: quod esse revocatum à *Trid. sess. 22. c. 8.* licet multi velint, negant tamen *Dia. p. 3 t. 2. R. 80. & p. 4. t. 4. R. 106. Ioannes de Salas Rodriq. &c.* Idq; secundum *C. Lugo, d. 20. s. 2. n. 51.* probabiliter, *& Tamb. de exped. celebr. l. 1. c. 3. §. 3.* probabilius *vid. Barbos. in Trid. l. c.* Item religiosi Societatis, à Gregorio XIII. ut possint tum in missionibus, cum facultate superioris, in

quovis loco decenti, tum in nominibus suis, in loco honesto, à Provinciali designato, Missas dicere, in quo idem licebit aliis.

Dixi II. *non violata*: quia in Ecclesia interim violata, nisi prius reconcilietur, non licet sub gravi peccato, ut *Lay. l. 5. t. 5. c. 5. n. 7. ex Navar. Sanch. Con. &c.* nisi in necessitate, cum venia Episcopi, (si is adire possit, alioqui sine ea, ut habet *C. Lugo l. c. n. 63.*) celebrare, aut mortuos sepelire.

Addit I. *Ecclesia*: quia Oratoria, etsi deputata ad cultum divinum, cum tamen benedicta non fuerint, nisi in ipsis extet altare ad facienda divina, ut *Bon. de mat. q. 4. R ult. n. 9.* non sunt capacia violationum. Quod etiam consequenter de hospitalibus docent *Navar. Sot. &c.* sed probabilius contrarium docent alii, cum *C. Lugo l. c.*

Addo II. *interius*: quia quod fit in turri, sacristia supra tectum, vel fornicem, in crypta, sub pavimento, nisi sit sepultura, aut singulariter benedicta) non violat Ecclesiam.

Addo III. *Nisi reconcilietur*: quod fieri debet ab Episcopo, vel Sacerdote ex privilegio Papæ, quale Superiores Regularium pro suis templis habere, ex Avila notat *Dian. p. 4 t. 4. R. 91.*) si sint consecrata; (quod præsumendum est, si celebretur festum Dedicationis) si verò tantum fuerit benedicta, potest fieri reconciliatio à simplici Sacerdote, aspersione aquæ benedictæ, cum facultate Episcopi, vel sine ea secundum *Dian. p. 4. t. 4. resol. 91.* Censeri etiam reconciliatam, si sacrificium in ea peractum fuerit, docet *Tamb. l. c. § 4. ex Henriq. Sa, & Dian.* esse probabile: negat autem *C. Lugo de Euch. d. 20. s. 3.*

Porrò

Porrò Ecclesia, uti & cœmeterium, violantur seu polluuntur sequentibus casibus, non tamen, nisi postquam res evulgata fuerit, *Lay. l 5, t. 5. c. 5.*

I. Per factum in ea homicidium mortaliter malum, seu injuriosum, saltem immuniati Ecclesiæ, quale etiam est, quod alias justum esset per sententiam Judicis: nisi tamen reipublicæ perturbator aliter capi non posset. Non est autem tale, 1. quod fit casu, vel ab amente. 2 quod in sui defensionem 3 cujus causa data est extra Ecclesiam: quia requiritur, ut vulnus, sive causa Physica fiat intra Ecclesiam, *v. Lugo d. 20. s. 2.*

II. Per moraliter malam effusionem proprii, vel alterius sanguinis, vel seminis, causatam, vel factam in templo, licet non in templum. Unde non violat. 1. Si pauculæ guttulæ effluant; quia non est effusio. 2. Si ex percussione, vel vulnere levi, v. g narium, in rixa puerorum, etiamsi copiosus sanguis effluat. 3. Si fiat ex sectione venæ. 4. Actus conjugalis, quando excusatur à sacrilegio. 5. Fornicatio facta ab amente. 6. Pollutio inculpata. *v. Card. de Lugo d. 20. n. 54. & 55.*

III. Per sepulturam excommunicati, non tolerati, vel infidelis, (quo hic non comprehendi hæreticum, docet *C. Lugo l. c. n. 57.*) etiam infantis, ut ex *c. Ecclesiam, de consecratione*, docet *Prap.* Quamvis, si pueri parentes sint fideles, neget *Sairus, v. Bon. de Euchar. & mat. d. 4. q. 4. p. ult.*

IV. Per destructionem Ecclesiæ ex toto, vel majore parte, (quãquã eo casu dicatur potiùs exsecrari, quàm pollui) non autem, si solum tectum, vel si successivè per partes modicas destruatur &

reficiatur, neque etiam per desolationem, exercitium hæreticum, spurcitias hominum, vel animalium istic stabulatorum, &c. etsi deceat & præstet habeat, ut per Episcopum, vel saltem Sacerdotem, cum aliqua cæremonia reconcilientur, & abluantur, quod in simili casu intellige de altari. *Lay. l. 5. t 5. c. 5.*

*Quares.* Quid sit, & quando fiat exsecratio, seu resecratio?

*Resp.* Exsecratio dicitur, cum res sacra perdit suam consecrationem, ita ut de novo consecrari debeat, quod fit, quando ita destruitur, ut formam & usum suum perdat. *Vnde resolves.*

I. Polluta Ecclesia, polluta etiam sunt altaria eius fixa: non tamen exsecrata Ecclesia, exsecrantur altaria: nec contra.

II. Ecclesia exsecratur, si parietes secundum maiorem partem destruantur, vel omnis eorum crusta, aut maior saltem pars simul auferatur. Secus autem, si una post alteram. *vid. C. Lugo. d. 20. n 65.* non autem, si tectum corruat, quia consecratio est in parietibus *v. Laym. l. c.*

III. Altare exsecratur, 1. Si cum fixum est, lapis consecratus removeatur ab inferiore structura. 2. Si ita frangatur, sive fixum, sive portatile sit, ut in nulla ejus integra parte, calix cum patena possit consistere. 3. Si spolietur sepulchrum: quod tamen quidam negant, ut *Lugo Tambur. l 1. c. 5.*

IV. Calix exsecratur, si notabiliter frangatur, vel ita ut fiat inutilis ad usum sacrificii, v. g. si foramé fit in fundo, licet minutissimum; vel si figura de-

struatur: non tamen si in tornatili pes separetur à cupa; quia in tornatili consecratur sola cupa. *Bonac. d. 4. q. ult. p. 9. ex Suar. &c.* Neque exsecratur, si pereat inauratio. Unde licet communiter calix & patena, post novam inaurationem, quoad eam partem, qua Christi Corpus, vel Sanguinem contingunt, denuò consecrentur; id tamen necessarium non esse, docet: *Durand. Con. & alii*, contra *Suar. Bon. & alios*: etsi deceat, ut abluatur aqua benedicta. Ita *Dian. t. 1. misc. resol. 3. & Lay. hic* item *C. Lugo. d. 20. s. 4. n. 94.*

V. Vestes sacræ exsecrantur, quando ita destruuntur, ut perdant suum usum, ut si cinguli parte te non amplius cingere possis; vel si manica ab alba separetur, etiamsi postea reparetur. Non perdunt autem, si attritis pars aliqua assuatur; vel cinguli parti, aptè adhuc ad cingendum altera annectatur; quia tunc accessorium sequitur principale, *C Lugo. Tamb. de exped. sacrif. l. 1. c. 3. §. 2.* Similiter si stola, vel casula duplicata, facili separatione fiant duæ, quarum utraque apta sit ad sacrificium, non perdunt benedictionem. *Tamb. l. c.*

VI. Partes avulsæ à re consecrata, destructa ejus forma desinunt esse sacræ, v. g. ligna & lapides Ecclesiæ diruræ, vel altaris: ob respectum tamen ad rem sacram, cujus sunt reliquiæ, non possunt applicari ad usus profanos, aut divendi, sive licentia Papæ. Statuæ autem sacræ, & imagines tẽpli destructi, debent in alio collocari, & in loco Ecclesiæ Crux erigi. Lacera etiam paramenta, aut vetustate consumpta, debent igne absumi, & non adhiberi ad usus profanos, ut habetur in *c. Altaris*

*de consecr. dis. 1. v. Suar. & Sa V. Missa & Lay. l. ca. 6. Tambur.* tamen *l. 1. de exped. sacrif. c. 2. §. 5.* Palao: item *Dian. p. 5. t. 13. R. 76.* docet prohibitum esse, quòd non sit saltem mortale, si mutata forma ad profanos usus applicentur, v. g. calix confractus, alba dissoluta, frustula corporalis, &c. *v. supra l. 3. t. 1. cap. 2. d. 2.*

## DUBIUM V.

### *Quæ sint requisita ad Missam?*

Resp. Hæc sequentia, 1. Et, quidem sub gravi sacrilegio, altare consecratum ab Episcopo, vel Abbate, (hunc enim altaria, calices & campanas posse consecrare, etiam ad usum alienarum Ecclesiarum, docet *Dian. p. 3. t. 1. R. 15.* cum *Barbos. & alia. 4.* ex declaratione Card. & privilegio Innocentii III.) vel Sacerdote privilegiato, stabile vel portatile; utrunque tamen ex integro lapide, quamvis ad superiorem mensam, quæ consecratur, debeat esse tanta, ut possit capere calicem cum patena. Non sufficit autem hostias esse in ara consecrationis, dum consecrantur, verum etiam debent (tam parvæ, quàm magnæ) in eadem relinqui tempore sacrificii, & non alibi (licet supra aliud corporale) deponi, verbi grat. propter loci angustias: quia omnes sunt unica victima, & per modum unius offeruntur. Quapropter rubicæ Missales eas supra corporale, ante vel post calicem poni volunt. Hinc etiam minus rectè faciunt, qui consecratione facta, mox hostias minores à se consecratas

cratas, dant alteri Sacerdoti distribuendas populo: quia sicut Sacerdos non debet de sua hostia dare priusquam ipse sumpserit; sic nec de aliis, cum sint una victima & hostia, omnesque orationes, oblationes, & benedictiones sequentes non minus spectent ad parvas hostias, quàm ad magnam: neque ante sumptionem Sacerdotis perfectè & integrè sacrificata sit victima, *Card. de Lugo q.20. sect.2. n.69.* Eum tamen, qui contrarium fecerit, à peccato saltem mortali, imò si necessitas fuit expediendi communionem populi, ab omni excusat *Tamb. l.5, exped. sacr. c.5.*

2. Mappa linea triplex: etsi enim secundum quosdam, una duplicata, imò secundum *Sa, Ang. Azor. c.* 28 *q.8. &* Lay. *l.5. t.5. c.6. n.17.* una simplex sufficiat in necessitate: Missale tamen Romanum, authoritate Clementis VIII. & Pii V. editum, expressè tres requirit, *tit. de defect.* uti *& Gavant. v. Card. de* Lugo. Ut ea benedicta sit, non est omnino necessarium, ut habet *Sylv.* Unde in necessitate vulgaris adhiberi potest, & aliis usibus reddi *Laym. loc. cit.*

3. Sub gravi sacrilegio, vestes sacræ, (hoc est, benedictæ ab Episcopo, vel Sacerdote habente privilegium, ut habent Mendicantium saltem Superiores, sive Prælati, *v. Tamb. l.1. c.3. §.2. exped. sacr.*) quarum tamen colores non esse præcepti, sed directionis, notat *Homob.* apud *Dian p.2. t.14. R.59.* In gravi autem necessitate etsi præstet, si sine scandalo fieri possit, Missam (cujus audiendi, vel faciendi obligatio tunc cessat) omittere, licere celebrare sine stola vel manipulo, vel etiam uti cin-

gulo non benedicto, vel si fractũ sit, rursus contectere, vel stola pro cingulo, & manipulo pro stola, docet *Lay. l. 4. t. 5. c. 6. Dian. p. 1. R. 57. & 67.* contra *Fill. t. 1. l. 5. c. 5.* qui tamen concedit in necessitate, sine una vel altera ex minoribus, v. g. stola, vel cingulo celebrare, non esse mortale. v. *Dia. p. 5. t. 5. R. 62.* ubi contra *Fill.* ex *Henr. & aliis sex*, docet esse probabile; quod ex parvitate materiæ excusari possit à mortali, qui (secluso scandalo & contemptu aliquã harum citra necessitatẽ omittit v. g. qui celebrat cũ cingulo non benedicto, vel ejus loco utitur alia re Deniq; metu mortis aut gravissimi damni, licere aliquando celebrare sine sacris vestibus, & altari (dummodo non fiat in contẽptu Religionis) ex *Azor. t. 1. l. 1. c. 11. q. 11.* docet *Est. t. 1. c. 2. Navar. Hurt. &c.* Limitat autem *Tambur. de exped. sacrif. l. 1. c. 5. §. 1.* ita ut permittat sine aliqua etiam ex gravioribus, non tamen sine omnibus fieri ob scandalum, & irreverentiam, v. *Dia. p. 3. t. 6. R. 48. & p. 5. t. 3. R. 39.* Porro huiusmodi sacras vestes conficere ex profanis, v g. planetam ex veste serica muliebri, non est prohibitum *Suar. Pala Tamb. exped. sacrif. l. 1. § 4.* qui monet *l. c. §. 1.* cavendum esse ne sint valdè attritæ, ut & ne reliqua supellex sacra sit valde immunda, in quo graviter peccari potest *Sua. Laym. Tamb. l. c.*

4. Sub mortali requiritur calix & patena consecrata; si tamen in nondum consecratis aliquis bona, imò addit *Bordo & Tamb.* mala fide celebrasset, (licet sic celebrando peccasset mortaliter) probabile quod hoc ipso cẽseatur cõsecrata, liceatq; in iis celebrare, cõtra *C. de Lugo & Lay. docet*

*Dian.*

p.2.t.14.p.5.t.13.R.60.&p.9.t.7.R.18.ex aliis octo. Idemque de sacris vestibus item de corporali, pixide, &c. quæ immediatè tangunt species, censet *Tamb. de exped sacr. l.1.c.3.§.1.* Ac licet decens sit, ut etiam pixis, sive ciborium, & luna, seu sphærula hierothecæ, & quodcunque vas continens & immediatè tangens Eucharistiam, uti etiam secundum *Laym. l.5.t.5.c.6.* vasculum chrisma continens benedicatur; benedicere autē præter ea, in quibus unctio adhibetur, potest idem, qui cætera ornamenta) cum in Rituali Romano propria sit pixidis benedictio: id tamen necesse esse negant *Suar. Hurt, Lugo. Tamb. l.1. exped. sacrif. c.1. §.6.* nec esse necesse imponere pixidi vas lineum benedictum benedictione corporalis. Porrò calix & patena confecta esse debent ex auro, argento, vel stanno saltem quoad cuppam, admittunt etiam aliqui ex plumbo) sed non ex ære, *c.* ut calix, de consec. *dist.1*, quamvis *Tambur. l.1. exped. sacrif. c.1.* cum *Hurt. Fagund. & Gavant.* admittant etiā ex gemma quæ æquè pretiosa sit, ac aurum vel argentum, modo species non imbibat, nec sit periculum ne effringatur, Ac licet rubrica præscribat, ut saltem cuppa, vel superior pars patenæ sit deaurata; eam tamen non obligare sub mortali, *Gran.* imò nec sub veniali, propter usum contrarium, vult *Tamb. l.c.*

5. Corporale lineum, saltem quoad partem, qua hostiam vel calicem tangit *cap. consulto de consecr. dist.1.* (nam in extremitatibus potest esse sericum, vel auro elaboratum) & benedictum ab Episcopo, vel privilegiato. *v. Compend. privil.*

Socie-

*Societatis Iesu V. Bened.*) non tamen iterum benedicendum post lotionem, nec nisi notabiliter rumpatur. *S. Thom. Sylv. Bon. d. 4. q. ult. p. 9. C. Lugo d. 20. s. 2. num. 76. & Gavant. p. 2. t. 1.* ubi addit ex *Sa*, (dicit esse communem) peccare mortaliter, qui utitur notabiliter immundo.

6. Palla item linea, qua parte calicem tegit, (superiore enim parte potest auro constare, vel serico) quæ cum habeat communem cum corporali benedictionem, utpote cuius pars antiquitus fuit, pro eodem servire posse, docet idem *C. Lugo l. c.* si sit satis capax.

7. Purificatorium item lineum, non tamen necessariò benedictum, ut contra *Laym.* docet *Suar. Gavant. & C. Lugo* neque ulla reperitur in ritualibus eius benedictio.

8. Sub gravi peccato Missale, Canonem saltem continens, ut habet *Bonac.* & alii commun. etsi *Ledes. & Laym.* doceant in gravi necessitate, licitum esse celebrare sine libro ei, qui moraliter sit certus se non erraturum: & sic *C. Lugo l. c.* cum *Dian.* &c. probabiliter excusat eum, qui propter visus debilitatem legere non potest.

9. Minister (secundum *Nav. Fag. & Zerol.* sub mortali) & quidem masculus; in necessitate tamen gravi, v. g. diei festi, vel dandi viaticum, posset quis sibi ipsi respondere, inquit *Sa. Bon. & Dia. t. 14. resol. 43* ex aliis. In quo casu etiam fœminam adhiberi posse, docet *Nagnus a. 6. d. 1. & Sylv.* idque quibusdam Belgii partibus consuetudine inductum esse, docet *Marchant. Res. past. cap. 4.* contra communem apud *Laym. Fernand. & Dian. l. c. Tamb.*

*l. c.*

*l.c.& Marchin. de ord.t.3.cap.15.* ubi vult id esse mortale. Ministrante tamen circa altari viro, qui nesciat respondere, Moniales ex choro respondere, non esse prohibitum notat *C. Lugo & Tambur.l.c.* ubi etiam cum *Henriq. & Hurt.* permittere celebranti Missam cœptam prosequi sine ministro, si hic fortè abiit, & aliquantulum expectatus non revertatur.

10. Crucifixus; (nisi sit expositum Venerabile Sacramentum) non tamen sub obligatione gravi. Idem est de velo. *C. Lugo d.20. s.2. num.79. Gavant.*

11. Candela accensa duplex, ex cera, & quidem secundum *Fagund. Regin. Vasq. & alios*, sub mortali contra *Nugnum & Marchinum* In necessitate tamen, præciso scandalo, sufficit una, etiam ex sebo, vel lucerna, aut lampas ex oleo. *v. Dian. l. c. Laym. cap. 16. num. 17. Azor. cap. 28. q 15.* Sine omni autem lumine celebrare nunquam licet. *C. Lugo d.30. s.2.* adeo ut si extingueretur ante consecrationem, & aliud haberi non posset, Missam esse relinquendam, etiam in necessitate consecrandi pro moribundo viaticum dicat *Fagund. p.28. cap. 22. Quintan. t.4. s.1.*

12. Requiritur etiam antipendium, pulvillus, candelabra, bursa, velum, manutergium; sed non benedicta, & si quid ex his desit, ex profanis congruenter mundis mutuo accipi, & deinde priori usui reddi potest. *Tambur. l.1. c.3. §.3.*

13. Operto capite celebrare non licet, etiam in infirmitate sine licentia, ut docet *Fagund. Laym. Dian. Res. 58.* Et quidem Summi Pontificis ut ex

Declara-

Declaratione Cardinalium notat *Gavant & Tambur. de exped. sacrif. l.* 1. licet *Laym. & Scort.* Episcopis, & eum Regularibus eorum Prælatis permittant. Quod *Tamb. l. c.* rectè limitat ad casum necessitatis, in quo ad Papam difficilis sit recursus. Qui tamen sine venia faceret, eum non peccare mortaliter (secluso contemptu & scandalo) vult *Ledesm. & Tamb. l. c.* Quod *Dian. pag. 2. t. 14. R.* 58. censet probabile, si tempus Canonis excipiatur.

Plura de his omnibus, v. *apud Aut. cit. Gavant. Dia. Laym. Bonac. Card. de Lugo d.* 20. *s.* 4. *Escob. l.* 1. ubi notat, etsi gravis sit obligatio, servandi ritum celebrandi præscriptum in rubricis Missalis, ideoque grave sit, omittere v. g. oblationem hostiæ, vel calicis, vel infusionem modicæ aquæ; *Tamb. de exped. sacr. l.* 2. *c.* 5. nihilominus levitatem materiæ sæpè excusare à culpa mortali omissionem, etiam intra Canonem monet *Escob. l. c.* Unde veniale tantum erit.

I. Omittere orationes dici solitas, dum Sacerdos se induit, ut contra *Navar. Sylv. & Azor.* docet *Laym. Fagund. Dia. R* 21. *& c.* Lotionem autem manuum ante vel post Missam (etsi facilè omitti non debeat) non videri sufficientem materiam rigorosi præcepti, tenet *Suar. & Tambur. §.* 6.

II. Omittere Gloria vel Credo; vel in Canone nomen alicuius Sancti; vel ea quæ tempore Paschali interponuntur inter communicantes, aut infra actionem: *Dian. p.* 2. *t.* 14 *R.* 49. *& 89. ex Fill. Quintan. & c.* In Missa autē quæ canitur non legere Evangelium submissa voce, *Dia. l. c. R.* 4. ne-

gāt

gat esse peccatum, ex *Sanch.* & *aliis* 10. quod Rubrica sit tantum directiva. Si quis autem in Missa advertat aliquid à se omissum, regulariter non esse petendum ait *Suar.* & *Tamb. exped. sacrif. l. c. 5.* Dicit *regulariter*: quia 1. si sit de substantia, v.g. aliquid pertinens ad se consecrationem, certum est debere repeti. 2. Si dum secretò orat; post pauca verba certò advertat, se aliquid notabile omisisse, (v.g. die Paschæ, Communicantes,) paululum regrediendum esse, & repetendum censet, *Tamb. l. c.* ita *Fill. Dian. R. 59. Escob.*

III. Ex devotione leve aliquid in Missa (etiam dum secreto orat) addere v.g. orationem Dominicã vel Psalmũ aliquem; vel in Canone nominibus Sanctorũ nomẽ Patroni loci. *Tamb. l. 1. exped. sacrif. ca. 5.* Dixi, *leve*: quia notabiliter addere, esse mortale, vult idẽ *Tamb. l. c.* ex *Bon. d. 4. q. ult.*

IV. Celebrare ante dictum Matutinum, ut contra *Azor.* & *Regin.* docet *Sylv. Valentin. Suar. Vasq. Less. Fag. Laym.* & *c.* quorum pleriq; tamen cum *Palao* dicunt esse veniale, si fiat sine causa: licet & hoc *Tamb. l. 1. a 7. §. 1. de exped. sacrif.* in dubium vocet.

V. Quæ alta voce dicenda præscribuntur, adeò submissa dicere, ut astantes audire non possint. *Tamb. de exped. sacrif. l. 2. c. 9.* Quicquid dicat *Nav.* apud *Sa. V. Missa.* Imò notat idem *Tamb.* ex *Lugo d. 22. s. 22.* à timoratis passim sine scrupulo voce depressa legi.

VI. Mutare Missam, & die Dominico, vel festo duplici, vel iis diebus quibus prohibetur fieri die festo duplici (v. g. infra octavas Epiphaniæ, Paschæ-

Paschatis, &c. Feria IV. Cinerum, infra hebdomadam maiorem; Vigilia Nativitatis Domini) sine gravi causa legere votivum, vel pro defunctis, vel de alio Sancto in numerum SS. relato. *Suar. Dia. C. Lugo l. c. Escob.* contra *Quintan.* qui *t. 7. s. 40.* putat in hebdomada sancta licere legere votivum: quod refutat *Gavant. & Dian. p. 9. t. 8. n. 53.* ex *Declar. Cardin.*

Dixi 1. *sine gravi causa*: talis autem censetur, 1. quæ spectat ad bonum Reipublicæ vel Principis, v. g. necessitas pluviæ, ingruentis belli, vel pestis, vel similis mali universalis; item solennis gratiarum actio, solennis expositio Eucharistiæ, (v. g. diebus Antecineralibus in oratione 40. horarum) *Tambur. l. c. cap. 6.* Quando cadaver præsens est in Ecclesia, ubi usus obtinuit, *Gavant. p. 2. t. 5.* 3. Si quis celebret in Ecclesia, in qua agitur dies festus loci proprius: hunc enim non tantum posse, sed debere ex congruitate conformare se loco, notat *Gavant. v. Tambur. l. 2. c. 6. qui* §. 2. *&* 4. addit, etiamsi Sacerdos (accepto stipendio) homini promiserit votivam, vel pro defunctis, etiam in altari privilegiato, non solum posse, sed debere celebrare Missam currentem, diebus quibus istæ prohibentur. Imo etsi Deo per votum tales Missas promiserit, non tamen ad eas obligari istis diebus eo quòd votum non obliget, quando impedit bonum majus, quale esse dicit conformitatem officii cum Missa; secus diebus aliis.

Dixi 2. *in numerum Sanctorum relato*: quia si sit Beatificatus tantùm, de quo certis sacerdotibus,

bus, v. gratia, quorum Ordinis fuit, concessum sit Missam legere, docet *Gran. 2. cont. 1. cap. 7. d. 4. §. 1. num. 2. & Escob.* contra *Palaum*, non licere aliis sacerdotibus, etsi nullum aliud sit festum, de eo legere: eò quod sic expresse determinarit Sacra rituum Congregatio apud *Gavantum. vid. Escob. num. 41. & Tambur. l. c. cap. 6*, ubi *Palaum* sequens dicit contrarium esse probabilius, ac magis pium. Imò de Sanctis Societatis certum esse, si celebrent in templis ejusdem Societatis, ex concessione Pontificum. Idem tenet *Quintanad. 17. sing. l. c.*

VII. Si quis violet rubricam spectantem ad essentiam vel quasi essentiam Missæ; vel si nullam planè servet, peccat mortaliter. *Escob.* ex *Fagund. pag. 1. l. 3. cap. 21. num. 9.*

(o)

# TRACTATUS IV.

## De Sacramento Pœnitentiæ.

### CAPUT I.

### De Essentia hujus Sacramenti.

### DUBIUM I.

### Quæ sit ejus materia & forma?

RESP. Materia remota, & necessaria, est omne peccatum mortale, post baptismum commissum, & non confessum. Materia sufficiens, etsi non necessaria, est omne veniale post baptismũ commissum, vel etiam mortale, aliàs ritè confessum. Materia proxima sunt actus pœnitentis, contritio, confessio, & satisfactio: quarum ultima est integralis tantùm, (ut patet in infirmo, qui situatione destituatur, solet absolvi absque satisfactione) duæ priores sunt essentiales, ut communiter docetur contra *Scotum*, qui totam essentiam ponit in absolutione. Porrò, peccata sunt tantùm materia circa quam; actus verò pœnitentis, materia ex qua. *Laym. l. 5. tr. 6. c. 4. ex communi.* Unde resolves.

1. Etsi

1. Etsi peccatum mortale remissum quomodocunque sit,teneris tamen confiteri,si non fecisti.*Trid.sess.*14.*c.*15.

Omitti possunt venialia,vel omnia vel aliqua; item mortalia semel ritè confessa, verbi gratia, in Confessione generali, ut docet *Dian. p.*3.*t.*4. *resol.*5,*Card. de. Lugo d.*16. *nu.* 5. 6. contra *Victoriam*,*Ledes.*& *alios.* In qua etiam non est necessarium;addere peccato mortali, quòd post ultimam confessionem sit commissum,docet *Bon. d.* 5.*q.*6.*p.*2. *Dian.tom.*2. *t.*4. *R.*62. & *tom.*3. *t.*3. *R.* 65.*Card.de Lugo d.*16.*s.*2 *num.*47. ex *Sanch.* & *Con.*quod est probabile,nisi circumstantia aliqua vg.speciem mutans,vel reservatio casus,vel proxima peccandi occasio,aliud requirat, & pœnitentia sufficiens imponatur.*C. Lugo Tambur. de exped.conf.l.*2.*c* 1.Tutius tamen est nova ab antiquis secernere.

11. Ponenda semper est materia certa; qualem esse negat *Sanctius in sel.d.*7.apud *Dian.p.*3. *t.*4 *R.*52.quòd quis non responderit divinis inspirationbus,non fecerit bonum quod potuit,& similes imperfectiones. In quibus tamen exponendis,non tenetur Confessarius impedire pœnitentem,ut docet *C.de Lugo l.c.num.*103.contra *Sanctium.* Quod si haberi certa non possit, pro ratione dubii danda est absolutio; ut sub dubio,si materia prorsus dubia sit; vel absoluta,si certa videatur.Ita *Suar.Lay.l.*5.*t.*5.*ca.*3.*&* alii *commun.*

Resp.I. Forma Sacramenti Pœnitentiæ sunt verba absolutionis : *Ego te absolvo à Peccatis Tuis* ( ubi licet de essentia tantum sit *Absolvo*

*solvo Te*; debent tamen addi reliqua, præsertim in articulo mortis secundum quosdam sub mortali, secundum alios sub veniali, ut *v. Granad.* voce prolata in præsentem; absentem enim *Clemens VIII.* absolvi prohibuit, sub pœna excommunicationis. Unde resolves.

I. Invalidum est absolvere nutu, signo aut scripto: item absolvere absentem; quod docuit *Alensis. Medin.* & alii, sed vetitum nunc, ut modo dictum.

II. Valida est absolutio, si reverentiæ causa dicas: Absolvo dominationem, excellentiam, vel majestatem vestram, &c Quia non mutatur essentialiter, & sunt verba æquivalentia. *Aversa v. suprat. I. cap. 1. d. 2.* Non valet autem, si dicas: Absolvat te Deus; vel Absolvat te Christus. *Aversa q. 12. s. 2.*

III. Orationes præviæ & subsequentes formam, ut: *Misereatur tui, &c.* & *Passio Domini, &c.* quæ secundum *Trid.* laudabiliter adduntur, non sunt necessitatis, & ex causa rationabili omitti possunt, v.g. si breves sint confessiones, vel multi confitentes, ut *v. Dian. p. 3. t. 4. R. 97.* tunc enim sufficit dicere, *Absolvo te à peccatis tuis in nomine &c.* (vel si timeatur censura.) *absolvo te à vinculo excommunicationis; deinde à peccatis tuis, &c. v. Sa. V. Absolutio.*

IV. Elevatio manus, eiusque impositio in caput, item formatio Crucis, est libera, etsi deberet servari consuetudo. Ita *Laym. c. 5.* ubi idem dicit de apertione capitis. Forma autem *Clementis VIII.* ut tradit *Sa*, & *Rituale Romanum*, est hæc, quia ut

omnes utantur, suadet *Paulus V.* ideoque omnibus tenenda memoraliter: *Misereatur tui omnipotens Deus, & dimissis peccatis tuis perducat te ad vitam æternam, Amen:* deinde elevata manu pergit: *Indulgentiam, absolutionem & remissionem peccatorum tuorum, tribuat tibi omnipotens & misericors Dominus, Amen. Dominus noster IESVS Christus te absolvat, & Ego authoritate ipsius, te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis,* (quæ vox circa laicos omittitur) *& interdicti, in quantum possum, & tu indiges: Deinde ego te absolvo à peccatis tuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Passio Domini nostri IESV Christi, merita B. V. & omnium SS. quicquid bonifeceris, & mali sustinueris, sit tibi in remedium peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ, Amen.*

## DUBIUM II.

### *Qualis contritio requiratur?*

Suppono, quod contritio in communi, sit dolor ac detestatio peccati commissi, cum proposito emendandi, ut habet *Trid. sess. 14.* Ubi etiam dividit in Perfectam, quæ absolutè sic dicitur; & in Imperfectam, quæ attritio dicitur. Perfecta est, quæ elicitur ex motivo caritatis, propter Deum summè dilectum: & hæc se sola mox justificat, etsi cum voto & ordine ad confessionem, quam deinde facere teneris. Imperfecta est, quæ

quæ ex inferiore motivo, supernaturali tamen concipitur.

Resp. Ad Sacramentum hoc sufficit, & requiritur saltem attritio formalis, supernaturalis, efficax, & universalis, (respectu mortalium) concepta in ordine ad confessionem, vel saltem absolutionem: Est communis. *v. Bon. d. 5. q. 5. & Schol.* ac colligitur ex *Trid. l. c.* Unde resolves.

I. Non requiritur contritio existimata ut voluit *Gabriel.*

II. Non sufficit, 1. Attritio existimata tantum, licet inculpabiliter: quia vera attritio est pars essentialis. 2. Nec desiderium absolutionis, sine affectu ad peccata; idque etiam si tantum confitearis venialia, ut habet sententia communis, contra *Angles*, & quosdam alios, quos sequitur *Tamb. l. 1. exped. conf. cap. 3. v. Dian. p. 9. R. 31.* Unde peccat graviter, qui etiam sola venialia, vel sola mortalia alias confessa, sine omni formali dolore, confitetur: quia non ponit materiam sacramenti, & saltem periculo sacrilegii se exponit. Ita *C. Lugo. d. 14 s. 8. & c. commun. v. Dian. p. 31 r. 4. R. 116. Bon. d. 5. q. 5. sect. 1. p. 3.* Non tamen est necesse, ut dolor se extendat ad omnia venialia, quorum sibi pœnitens est conscius. *Suar. Laym. Lugo.* Imò notat *Tamb. l. c.* satis esse de uno veniali dolere formaliter, etsi plurium sis conscius, de quibus nec dolorem, nec propositum emendandi habeas, sive ea confitearis, sive non.

III. Non

III. Non absolvitur, qui dolet, licèt intensissimè, tantum propter infamiam, damna, aliasve pœnas temporales præcisè, etsi ex inculpabili ignorantia: quia non est dolor supernaturalis; nec ignorantia, aut bona fides potest supplere defectum essentiæ m. *Bon. l. c. &c.* Limitat tamen *Regin.* cum *Tamb. Dexped. conf. l.* 1 *c.* 1. nisi doleas propter istas, ut à Deo inflictas, vel infligendas.

IV. Ad attritionem non requiritur ulla intensio, vel duratio temporis, ut vult *Durand.*

V. Etsi debeat esse de omnibus peccatis mortalibus, non requiruntur tamen singuli dolores de singulis, ut vult *Angles*, sed sufficit unus actus, de omnibus simul sumptis, etiam oblitis: ideoq; peccat graviter, qui sciens prudens non atteritur universaliter, de omnibus mortalibus nondum remissis *Bon. &c. ll. cc.*

VI. Non sufficit dolere, quòd non doleas, ut habet *Nav. & Sa*, nec velleitas non peccandi. Ratio utriusq; , quia non est dolor de peccatis cõmissis, cum quo affectus ad ea stare potest. *Henriq. Vasq. Bon. l. c. n.* 7. Ubi rectè notat, cum actu, quo quis dolet se non dolere de peccatis, plerumq; conjunctum esse dolorem de peccatis, etsi pœnitens eum non dignoscat.

VII. Etsi dolor hic debeat esse summus appretiativè, ita ut nihil magis detesteris, quã peccatũ, malisq; omnia mala hujus mundi perpeti, quàm mortaliter contra Deum peccare: non tamen opus est, imò nec expedit, particulares facere collationes; v. g. mallem hoc vel illud malum subire, quàm mortaliter peccare; quia periculosæ sunt.

VIII. Qui non vult occasiones proximas peccandi à se amoliri, vel non remittere ex animo, vel non restituere, aut satisfacere, quibus debet; vel non habet formale (licet probabiliter cum *C. Lugo, l. c. s. 5 Laym. Dian.* aliquid dicant, virtuale in contritione universali inclusum sufficere, saltem quando non occurrit cogitatio de peccatis vitandis) propositum, peccata mortalia, (quando alia confitetur) vitandi efficax, i.e cumquo nō possit consistere affectus actualis erga aliquod mortale, non est sufficiēter attritus. Ratio, quia nō est dolor & detestatio efficax, quippe cum quo possit stare voluntas peccandi: nec is se ex toto corde convertit ad Deum, detestans peccatum super omne detestabile. *Suar. Fernand. Lay. d. 5. t. 6. cap. 4. Dian. p. 3. t. 4. resol. 119. &c. commun.* Et licet sola venialia confitearis, teneris tamen, sicut dolorem, ita etiam propositum, saltem virtuale, circa illa habere. *C. Lugo, d. 14 s. 8. & 9.* & alii.

IX. Redire sæpè cum eodem mortali, non est certum indicium deesse attritionem, etsi sit magna præsumptio; præsertim in iis, qui coguntur confiteri à parentibus, magistris, &c. item in iis, qui aliquoties moniti concubinam non separant, aut restitutionem nō faciunt; quibus proinde absolutio differenda est, nisi id actu præstent. Quamquam possint esse alia signa veri doloris, v.g. si media præscripta sint adhibita, occasiones vitatæ, si numerus peccatorum imminutus, si pœnitens omninò asserat, cui plerumq; credi debet, cum ipse sit sui accusator, defensor & testis. Qua in re opus est magnâ prudentiâ Confessarii, ne pœnitentem se-

severitate avertat, neq; etiam lenitate seducat, & & peccet, pereatq; cum illo. *Suar.in* 3.p.d.32.s.2. *Sanch.l* 2.*in decal.cap.*32.*& l.*3.*cap.*5. *C.Lug.l.c.n.* 166.&169. contra quorum, aliorumq; communē sententiam, docent apud *Dian.Vivaldus*, & *Ioan. Sancius*, *d* 10.*n.*16. posse toties, quoties confitetur, absolvi, etiamsi nullus appareat profectus; eò quòd sine illo possit esse verum propositum: sicut est in iis, qui venialia semper afferunt eadem. Verum id probare non ausim, nec videtur esse par ratio. *vid.Cōn.d.*2.*dub.*14.*Dian.p.*1.*t.*7.*R.*55.*& p.* 2.2.*mise.R.*45.*& p.*5.*t.*4.

X. Absolvendi sunt ii, qui ex officio, domo, vel negotio, in quo propinquum peccati periculum imminet, discedere nolunt, eò quòd sine maxima difficultate non possint, parati interim media præscribenda adhibere. Ratio, quia occasio etiam propinqua, non necessitat ad peccatum, ideoque stare potest cum proposito peccata vitandi. Nec refert, quòd quis putet, vel timeat se unū, vel plura peccata non vitaturum; quia propositum est actus voluntatis; existimatio autem illa, est actus intellectus, qui ex illo proposito, ob humanæ voluntatis mutabilitatem, non necessariò consequitur. Interim, qui certus est, impossibile sibi esse, in tali occasione peccata vitare, debet eam deserere, nisi velit perire Ita *Laym.l.c. C.Lugo*, *l.c.n.*152.

XI. Non requiritur dolor sensibilis, sufficit enim intellectus: quicum sit internus, ac spiritualis, scrupulosi non facilè debēt angi, quasi sine dolore accedant ad Sacramentum, eò quòd nullum sentiant.

XII. Is, qui nihil cogitans de confessione, attritionem elicuit, non referens eam ad Sacramentum, non potest sine novo dolore ad id accedere: quia pars debet referri ad compartem. Ita *Suar.d.20.s.4. Bon.d.5.q.3.p.2.* Contrarium tamen videtur docere. *C.Lugo, d.14.s.4.n* 37. quod non est improbabile, *Tambur.l.1.cap.2.*

XIII. Non sufficit ad Sacramentum dolor, qui sequitur absolutionem: imò secundum sententiam saltem tutiorem, quam docet *Laym.l.5.tr.4.* & *Côn.* debet antecedere etiam confessionem, (et contrarium etiam probabiliter doceant *Vas.q.91. Fagund.C.Lugo, de pœn.d.14.s.2.* & *Gasp. Hurt.d.6. dis.5.* apud *Dian* & *Escob.t.7.E.6.*) Unde pœnitentes inito ad dolorem excitandi, aut si post peccatorum narrationem fiat, repetant verbo confessionem, dicendo se dolere de peccatis expositis. *v. Laym.l.c.*

XIV. Probabile est, eum, qui paulò ante confessus iterum confitetur, vel eadem peccata, vel quæ exciderant, de quibus ante (explicitè, & in particulari) non doluit, non teneri elicere novum dolorem. *C.Lugo, d.14.s.3. Dian.p.9.t.3.R.5.& 51.* & consequenter potest moribundus propter periculum instantis mortis absolvi, audito tantum uno alterove peccato; & deinde, si superstes manserit, auditis reliquis iteratò absolvi in virtute doloris præcedentis. *Tambur.*

# DUBIUM III.

## *Qualis Confessio requiratur?*

## ARTICULUS I.

### *An debeat esse integra materialiter?*

Resp. Ad confessionem, per se, & ordinariè requiritur integritas materialis, sita in eo, ut postquam diligentius te excusseris, & conscientiæ tuæ fœus, & latebras (ita loquitur *Trid. sess. 14. ca. 5.*) exploraveris, confitearis omnia mortalia memoriæ occurrentia, nondum confessa, eorumque numerum, & circumstantias, quæ speciem mutant. Patet ex *Trid. l. c.* & est certum. Ratio, quia alias nec judicium sacramentale rectè administrari, nec æquitas in pœnis statuendis servari potest.

Dicitur I. *Per se & ordinariè:* quia per accidens, & extraordinariè, sufficit integritas formalis. *v. dub. seq.*

Dicitur II. *numerum:* intellige certum, qui si nō constet, dic probabilem, addendo, *plus minus.* Quòd si deinde deprehendas te errasse, non teneris iterum confiteri, nisi notabiliter fuerit major. *Fagund. Sanch. Hurt.* contra *Regin. Fill. & Sa*, qui dicunt, verba illa, *plus minus*, tantum extendi, ad unum vel duo supra numerum indicatum. Sed quamvis hoc sit verum in numero parvo denario, v. g. non tamen in aliis, v. g. centenario, millenario, &c. quia verba illa non habent sensum absolutum, se respectivum, ad numerum, cui adduntur,

tur, qui quanto fuerit major, tanto etiam major verbis istis intelligetur, dummodo tamen sit parvus respectu alterius, cui adjungitur, quod prudentis arbitrio æstimandum est. Ita *Dian. p. 3. t. 3. r. 194. ex Nav. &c.* Item *C. Lugo, d. 16. n. 94.* Quod si autem nec probabilis haberi potest, dicenda est consuetudo peccandi, tempus, & frequentia in die, septimana, mense, vel anno. *v. Fill. tom. 1. tr. 7. c. 4. Dian. p. 3. t. 4. resol. 94. Gasp. Hurt. d. 9. dis. 5. C. Lugo d. 16. num. 79.*

Dicitur III. *Quæ speciem mutant*: quia etsi probabile sit, quod docet *Suar. Côn.* & alii, etiam ea, quæ notabiliter in eadem specie aggravant, (hoc est, quæ juxta cujusque conscientiam excedunt ordinarium peccandi modum) esse explicanda, ob rationem allatam in responsione. Contraria tamen sententia, quam ex *D. Thom. Sylv. Natur.* docet *Vasq. Reg. Bonac. Lugo, d. 16. s. 3.* etiam probabilis est, & tutar saltem si excipias, 1. Gradus consanguinitatis, in incestu. 2. Quantitatem furti, injuriæ, &c. quæ egent satisfactione. 3. Quando uno actu plures sunt occisi, vel infamati, vel apud plures. 4. Odium diuturnum: quia tunc solent plures actus fieri. *v. Regin. loc. cit.* 5. Peccatum inter confessarium & pœnitentem. *v. Fill. de imped. mat. c. 5. q. 5.* 6. Si circumstantia invehat censuram, vel reservationem, vel ad necessariam pœnitentis directionem, à confessario prudenter interrogetur. *Vnde resolves.*

I. Ad integritatem confessionis prærequiritur diligens examen, pro capacitate pœnitentis temporis mora, & cæteris circumstantiis. Ad id autem

sufficit diligentia mediocris, qualem vir prudens in arduis negotiis adhibet, vel qualem, moraliter loquendo, docti & timorati adhibere solent, etiamsi quis putet, majore diligentia plura se reperturum. *Bon.t.1.d.5.q.5. Laym.l.5.t 6.ca.8.* Post mediocrem autem istam diligentiam non tenetur de anteacta vita ulterius cogitare: & si quid occurrat, quod videatur non esse in confessione explicatum, potest sibi persuadere, cum cæteris id memoratum fuisse, *Dian.p.3.t.4.R.107.* ex *Sancio.*

II. Examen hoc à confessario potest suppleri: quod tamē *Suar.* reprobat, in confessionibus longis diligentiorum, eò quòd impossibile ferè sit, ut quis repente rogatus omnia recordetur; & tantum admittit in rudibus: quos etiam monet *Sa. V.Confessio*, bona fide confessos, non nimis rogandos de confessionibus præteritis, nisi intelligatur aliquid necessarium defuisse. *v. Fagund. Dian.p.3. tr.4.res.89.*

III Non est necessarium peccata scribere, ne memoria excidant, ut contra *Bon* docet *Suar. Vasq.* & alii. Imò *Sotus* dicit, id non consulendum, ob periculum evulgationis. Melius tamen *Lay. Cōn.* & alii, asserunt, suadendum esse; dummodo vitetur anxietas nimia, propter quam scrupulosis prohiberi potest.

IV. Invalida est confessio, non integra ex ignorantia, vel negligentia mortaliter culpabili, ut verius docet *Suar.* & alii communiter, contra *Sotum* & *Canum*: quia *Trid.* requirit diligens examen.

V. Non officit integritati, per se loquendo, si quis subinde gravius lapsus, id alteri prius cōfitea-

tur,& deinde ordinario ſuo venialia tantùm,(qui imprudenter id ægrè feret,prohibebit, aut reprehendet)niſi tamen ea occaſione,manear in mortali occaſione peccandi, aut ideo circumeat,ut liberius peccet:tunc enim graviter peccabit,& ob defectum attritionis,confeſſio erit nulla.Ita *Fill.Lay. l.5.t.6.C.Lugo,d.16.n.57.*

VI. Ex circumſtantiis minuentibus,illæ tantum explicandæ ſunt, quæ vel omninò tollunt malitiam,vel ex mortali faciunt venialem,ut parvitas materiæ,indeliberatio,&c.v.g.ſi die Veneris ignorans comediſſet carnes: vel alioquin notabiliter mutant judicium Confeſſarii, ſaltem quoad ſpeciem.

VII. Ad ſervandam integritatem confeſſionis, peccata mortalia dubia,ut dubia,(loquendo de dubio propriè dicto,)ſunt aperiēda,ut docet *Suar. in 3.p.to.4.d.22.ſ.9.n.7.Sanch.Dian.C.Lugo,d.16. n.63. Bon.d.3 q.5 ſ.2.p 2.dif.4.* & alii communiter contra *Cōn.* Ratio, tum quia peccata,quæ ſunt in conſcientia,debent manifeſtari; at dubia ſunt,ut dubia in conſcientia: tum quia in negotio ſalutis, & medio ad hanc neceſſario, non tam locum habet illud axioma: *Melior eſt conditio poſſidentis*, quàm hoc;*In dubio tutior pars eligenda eſt.*(Excipiuntur tamen ſcrupuloſi,& ii,quibus diu poſt patratum peccatum ſuboritur aliquod dubium; ſi aliàs ſoliti ſint ſollicitè confeſſionem inſtituere: quia non eſt dubium prudens.) Quod ſi poſtmodum accipiat notitiam certam, idem rurſus eſſe confitendum,tanquam certum, docet *Turianus, Sanch.1.mor.c.10.n.69.* Dubitat tamen C.*Lugo, d.16.*

d.16.s.2.n.79.& 92. suadetque id ut securius. v. Dra.p.3.t.4.R.60.& 107. Si verò peccatum confessus est, ut certum, & postea de eo dubitet, an fecerit, non tenetur iterum confiteri, ut dubium. Lug. Tamb.de exped.conf.l.1.ca.1.qui idem censent, etsi postmodum certò comperiat se non fecisse. Monent autem Suar. & Tamb.l.c. si quis sola peccata dubia confiteatur, monendum, ut addat aliquod certum ex aliàs confessis. Quod si id haberi non possit, absolvendum sub conditione.

## ARTICULUS II.

### *Quando sufficiat confessio integra formaliter?*

Resp. Etsi ad hoc Sacramentum requiratur semper aliqua confessio, non tamen semper opus est, ut ea sit integra materialiter, modo sit talis formaliter, seu moraliter, id est, quantum moraliter loquendo hic & nunc potest fieri; etsi postea debeas, si possis, supplere defectum, non statim, sed quando rursum confiteri obligaberis, aut voles. Porrò quando talis confessio sufficiat, sequentes regulæ docent.

*Prima.* Quandocunq; quis ad materialiter integrè confitendum physicè est impotens, sufficit integritas formalis: quia præceptum divinum non obligat ad impossibile. Unde possunt in sequentibus casibus absolvi. 21. Mutus, etsi unum tantum vel alterum peccatum per nutus significaverit: nisi tamen scripto possit confessario exhibere: ad

quod tunc eum teneri probabilius est, ut communiter docetur, contra *Caj. Nav.* & alios. 2. Surdus, qui non potest omnia explicare. *Laym. l. 5. t. 6. cap.* 8. 3. Ignarus idiomatis tempore præcepti vel alterius necessitatis, etsi non integrè intelligatur, si neque confessarius linguæ gnarus, neq; interpres haberi possit; imò etsi adsit interpres: nō enim tenetur per eum confiteri, ut docet *Suar. Vasq. Dian.* nisi fortè in periculo mortis, in quo aliqua minoni cōfiteri sufficiet. *C. Lug. d. 25. n.* 61. 4. Moribundus, usu linguæ subitò destitutus, si petat absolvi, ac det signa doloris, vel antè dederit coràm aliis; modo id fecerit in ordine ad Sacramentum, quod de quovis in eo statu præsumendum videtur. Quo casu, si (saltem coram ipso infirmo) sive ab uno, sive pluribus, mediatis, vel immediatis testibus detur testimonium, Sacerdotem non tantum posse, sed probabiliter etiam teneri absolvere, (saltē sub conditione) docet *Dian.* & *C. Lugo, d.* 18, *n.* 84. *&c.* ex multis aliis. Item *Bonac.* citans declarationem Cardinalium pro se; & *Prap. q.* 4. *dub.* 5. *&c.* eò quòd sic & ægri necessitati, & reverentiæ Sacramenti consulatur. Dixi *saltem?* quia *Tambur. l.* 2. *exped. conf* citans *Cōn. Prap.* & *Lugo* docet, posse & debere absolvi absolutè, etsi sit absens, qui de signo coram se dato testatus fuit. Denique si nullum signum dederit, nullo modo absolvendus est, cum actus judicialis non exerceatur, nisi præcesserit accusatio: licèt enim recentiores quidam, ut *Tambur. de exped. conf. l* 2. *cap.* 10. citans *Homo bonum* & *Molfes* Item *Phil. Servius in amico fidele, p.* 3. *cap.* 1. *Ant. de lit. Barth. de S. Fausto, &c.* ccn-

censeant posse, imò debere absolvi sub conditione, dummodò aliàs probè & Christianè vixerit, eò quòd præsumi possit interius elicuisse contritionem, idque *Dia.p.4.t.4.R.92.& p.9.t.6.R.20.ex aliis 12.* judicet probabile; ab aliis tamen meritò rejicitur, ut *Suar.Vasq.Cón.Mercer.Lugo, d.17.s.3. Malder &c.* ipsoque *Diana l.c. & aliis.12.* apud *Aversam*; quia deest omnis externa confessio, quam esse partem essentialem hujus Sacramenti, constat ex *Trident.sess.14. can.9.* & ex nullo signo rationabiliter præsumi potest, ut supppno. *v.Lugo, l.c. Aversam.q.10.s.18.* ubi notat absolutionem, quæ iis, qui inscripti sunt in Societatem Rosarii, solet in infirmitate impendi sine omni confessione, non dari tanquam sacramentalem, nec in ordine ad conficiendum Sacramentum, sed ad Indulgentiam, & remissionem pœnæ consequendam.

*Secunda.* Quando vel pœnitenti, vel confessario imminet periculum vitæ, quod nec illum integrè confiteri, nec hunc audire patiatur, sufficit integritàs formalis. Ratio; quia tunc materialis non est possibilis moraliter: quod valet sequentibus casibus.

1. Si pœnitens, v.g. infirmus, uno, alterove peccato dicto deficiat, vel sit grave periculum ne deficiat.

2. Si infirmus volens confiteri, dum ei fertur viaticum, deprehendatur multas confessiones fecisse invalidas, & gravitas morbi non patiatur dilationem absolutionis. *Gran.Zambr.Dian.p.5.t.3.R.57.*

3 Si ipse Sacerdos in periculo constitutus, videatur moriturus, quàm pœnitens absolvatur.

4. Si tempore pestis, prudentum judicio moraliter certum periculum sit, ne confessarius inficiatur, qui si tamen totam audire velit, tenebitur ad eam pœnitens.

5. Si immineat conflictus, vel sit multitudo moribundorum, v.g. in naufragio, nec possint omnes audiri. In quo casu possent etiam omnes simul, dicto uno peccato, quod minus infamat, (vel etiam secundum quosdam, si aliter fieri non possit, dicendo in genere se esse peccatores) absolvi dicendo: *Ego vos absolvo, &c. v. Sa. V. Absolutio*, & *Con. de sacr. d. 7. dub. 9.*

*Tertia.* Quando ex confessione certi peccati, vel circumstantiæ, timetur meritò grave damnum proprium, vel alienum, sive confessarii, sive alterius, corporale vel spirituale, potest id reticeri. Ratio, quia præceptum divinum de integritate, non obligat cum tanto incommodo, quod tantum esse posset, ut peccares confitendo, v.g. 1. Si Sacerdos certum peccatum sit revelaturus, (intelligo cum *Con. C. Lugo, d. 26. n. 217.* quod pœnitens ipse non teneatur revelare.) 2. Si sciat v.g. mulier ex certo peccato sibi, vel confessario fore periculum ruinæ. 3. Si pœnitenti inde immineat grave damnum, vel periculum vitæ vel famę. In his tamen casibus videtur requiri necessitas confitendi, v.g. ob communionem annuam, vel si longo tempore alioqui esset differenda. *v. Fill t. 27. ca 6. C. Lug. l. c.* Ubi monet, talia damna aut pericula non facilè fingenda esse; & quidem in Religioso vix posse

Quæ-

locum habere.

*Quarta.* Si quis aliquod peccatum, vel circumstantiam non possit confiteri sine violatione sigilli, v.g. si invalidè absolvisses simoniacum, nec posses confiteri, nisi illi, qui facilè inde posset conjicere, quisnam ille esset.

Ex omnibus suprà dictis sequitur, excusari etiam sequentes ab integritate materiali. 1. Qui habent casum reservatum, de quo *infra & Laym. l. 5. t. 6. ca. 12.* 2. Scrupulosum, qui perpetuò angitur de oblitis. 3. Quem Sacerdos absolvit ante finem, nolens omnia audire, ut habet *Bon.* hic. 4. Quem fallit memoria, ita ut dicat, se scire in genere, quod peccaverit mortaliter, non occurrere autem speciem peccati; etsi tunc veniale aliquod addere sit consultum. Ita *Con. & Laym. l. c.* contra *Sotum & Medin.* 5. Eum, qui extremè rudis, vel simplex dicit se dolere de peccatis, nullum tamen in specie, ne veniale quidem sciat dicere: qui etsi speculativè loquendo posset absolvi, practicè tamen non expedit, sed data benedictione permittatur communicare. Ita *Laym l. c.* 6. Qui aliquod peccatum non potest confiteri, sine complicis infamatione, v.g. si peccasses cum matre, vel sorore, quam confessarius nosset, (tunc enim si alium cõfessarium non potes habere, quem aliàs adire tenereris) sufficeret, imò deberet dici, quod animo cum ea, vel in genere, cum aliqua fornicationem, vel incestum commisisses, reticendo gradum primum, vel secundum, quoad licebit sine manifestatione complicis cum proposito confitendi integrè Sacerdoti alteri, proxima occasione. Ita probabiliter *Navar. c. 7. Ban. Con. Valent. Præpos. hic*

*dub. 6. Gamaz. &c.* Ratio est, quia quando duo præcepta divina concurrunt, naturale & positivum quæ simul servari non possunt, præferendum est naturale; quia strictius obligat. Etsi probabilius contrarium doceant *Fill. Suar. Vasq. Less. C. Lugo, a. 16. num. 394. Hurt. Côn.* & alii communiter. Unde talis saltem non tenebitur facere id peccatum, ne complicem infamet, nisi commodè possit; (quod *C. Lugo* extendit etiam ad non complicem, sine cujus manifestatione peccatum explicari non potest) ideoque confessario curandum, ne nominentur personæ, nisi ad pœnitentis directionem opus esset; tunc enim infamia ista non tanti æstimatur, eamque sibi imputet, qui peccavit. Conferendum tamen est commodum directionis, cum infamia. Ratio supra dictorum omnium, quia in his casibus moraliter non potest fieri confessio materialiter integra. *Laym. c. 8. Fagund. p. 1. c. 3. v. Diam. p. 3. c. 4. d. 64. & 131. & p. 1. t. 7. R. 40. Less. l. 2. c. 11. d. 11. Tamb. de exped. conf. l. 2. c. 9. §. 2.* ubi docet probabile esse, quod talis pœnitens propter solam consolationem, quam sentit ab amico vel docto Confessario, possit ei confiteri, etsi alium habere possit.

## ARTICULUS III.

### *Quæ sint reliquæ conditiones confessionis?*

Resp. Præter integritatem sunt hæ tres:

*Prima*, ut sit vocalis, scilicet ordinariè: idq; propter usum, & praxin Ecclesiæ graviter obligantem; nisi subsit justa causa, ut impotentia, sive physica, sive moralis: quæ si adsit, potest fieri nutu, scripto, aliove signo, v. g. si quis ob anxietatem loqui non possit; aut puella supra modum verecunda, aliter si non possit explicare, quàm scripto, quo à confessario lecto, addat voce, de his me accuso. *Suar. Vasq. C. Lugo, Laym. l. 5. t. 6. c. 6. num. 3.* Imò qui aliter non potest, tenetur juxta communem sententiam confiteri per nutus, aut scriptum, tempore præcepti: etsi id, quoad scripturam, non admittant, *Navar. Tol. Sotus. Valent. Dian.* extra articulum mortis. *v. C. Lugo, d. 15. num. 87.* Similiter suadendum esse surdis, ut confiteantur scripto, (licet ad id non teneantur) ne ab aliis audiantur. Eandemque ob causam eos non interrogandos, nisi de planè necessariis, ex *Possev.* docet *Dian. p. 3. t. 4. R. 127. & p. 3. t. 6. R 5* Unde resolves hunc Casum.

Is, qui extra necessitatem, totam confessionem facit nutu, vel scripto, mortaliter peccat, ac consequenter non absolvitur. *Dian. p. 3. t. 4. R. 127. ex Sylv. v. Fell. tom. 1. t. 7. c. 1. Cõn. d. 6. dub. 1, Suar. d. 25. s. 3. n. 5.*

Secun-

*Secunda Conditio*, ut sit secreta, id est, ut fiat Sacerdoti, non quidem ex necessitate, sed usu Ecclesiæ. Publica autem, qualis in naufragio, peste, hospitali; ubi alii adjacent, vel per interpretem, non obligat (saltem respectu peccatorum eorum) nisi ex charitate sui eum, qui in articulo mortis dubitat de contritione; actum adhæc facilè ficit ea confiteri, quæ minorem pariunt infamiam. Ita *Suar. Fagund. Dian. p. 3. t. 4. R. 29.* & Ulloa resolves.

Si quis peccata in prioribus confessionibus oblitus esset, non tenetur etiam in articulo mortis confiteri publicè, vel per interpretem: quia peccatorum oblitorum confessio tantùm obligat ex præcepto positivo divino, quod in hoc casu cessat. *v. Laym. ca. 6. Dian. p. 3. t. 4. R. 128. & 129.*

*Tertia Conditio*, ut sit vera. Quod requiritur essentialiter in materia substantiali & necessaria; quia alias in re gravi decipietur judex; neque esset confessio integra, ideoque irrita. Non tamen in materia libera, tum quia falsitas ejus in accusatione circa materiam accessoriam, non facit sententiam irritam; tum quia talis tantùm peccat venialiter, cum non sit graviter injurius Sacerdoti, nec sacramento. Ita *Navar. Suar. &c.* Ulloa resolves.

1. Non est mortale, nec irritat Sacramentum. 1. Si in confessione mentiaris leviter, circa res non pertinentes, aut non necessarias ad Sacramentum, v.g. si historiam falsam narres, vel si neges venale, vel mortale, quod non teneris confiteri. 2. Si falsò te accuses de veniali; quod tamen mortale gra-

grave erit, si id facias non dando aliam materiam, cum sic formam reddas irritam, & sacramentum: nisi tamen facias ex scrupulo, perturbatione. Ita *Suar. Fill. tom. 1. t. 7. ca. 4. Laym. l. 4. t. 6. ca. 8. Dian. p. 3. t. 4. R. 69.*

II. Sacrilegium est, & absolutio nulla: 1. Si mortale, quod confiteri teneris, & putas esse, neges, aut tegas, ne intelligatur 2. Ut communiter docetur contra *Sylv.* si mortale tibi falsò imponas; nisi tamen fiat ex simplicitate, scrupulo, &c. 3. Si neges vel mentiaris circa peccata aliàs ritè absoluta, quando Confessarius, ut Judex vel Medicus de iis, aliquid, ut necessarium ad præsentem confessionem interrogat, *Lugo, d. 14. s. 10. Tamb. l. 2. c. 10. §. 2.* secus si ad præsentem confessionem non faciat. *Ibid.*

## Articulus IV.

### *Quando confessio sit invalida, & quomodo iteranda?*

Resp. I. Id contingit ex duplici capite. *Primò* ex parte confessarii, si jurisdictionem habuit, vel certè impeditam per censuram, vel si formam substantialiter vitiavit; vel non intendit absolvere; vel peccatum nullum intellexit.

Dico, *nullum*: quia si ob surditatem, somnum, vel distractionem, aliqua licet mortalia non intellexerit, sine culpa pœnitentis, probabilius est. valuisse absolutionem, ac postea tantum repetenda esse non audita, ut contra *Sylv. Anton. Navar. & alios,*

*alios*, docet *Henriq. Laym. l.5. tr.6. c.9. Dian. p.4. res.198.* Addo, *sine culpa*: quia si semidormiens mala fide confitearis, peccas, & confessio est invalida, ideoque repetenda *l.1. cap.10. §.3.* Denique addunt aliqui cum *Tol.* si confessarius indoctus non potuit discernere mortale & veniale, invalida esse. Verùm id *Suar. & Laym.* & alii passim reiiciunt, & quidem, etiamsi Confessarius putaverit esse veniale, quod fuit mortale: ideoque confessionem bona fide tali factam, non esse opus repetere. Ita & *Henriq. Sanch. 1. mor. cap.10. n.69. Dian. p.3. t.4. R.121.* contra *Vasq.* Dixi, *bona fide*: quia mala fide, v.g. quia quæsivisti talem Confessarium, qui tibi mederi non posset, debes repetere: cum enim actu peccaveris, dum confiteris, non fuisti ritè dispositus, ideoq; nec absolutus, *Tamb. l.2. c.10. §.3.* Denique, si finita confessione animadvertas Confessarium aliqua non percepisse (sive propter somnum, sive distractionem) necessarium tem, quæ sint illa, teneris repetere confessionem, si brevis fuerit, quia de singulis prudenter potes dubitare: si autem longa fuerit, ait *Tamb.* non teneri, ob rationem contrariam; & satis est confiteri, quod dubites, an aliquod ex tuis peccatis Confessor perceperit.

*Secundo.* Invalida est ex parte pœnitentis, si fuit excommunicatus, de quo infra, si mortaliter cecidit, vel de eo se falsò accusavit; si mortaliter negligens fuit in examinanda conscientia, item si non fuit attritus (quod patere solet inde, si sponte quæ fierit confessarium surdum, indoctum, cæcum, &c. *vid. Sanch. loc. cit.* si nolit tollere occasiones, &c.

&c. v. Dian. p. 4. t. 4. R. 201.) quibus addi potest, ut plurimum, si peccatum carnale confessus sit suo complici.

Resp. II. Si confessio apud eundem confessarium iteretur, sufficit uno verbo in communi se accusare de peccatis ante illi cognitis, dummodo istorum recordetur, saltem in confuso, aut status ac vitæ hominis in communi, aut pœnitentiæ à se impositæ, ut docet *Vasq. Tol. Lay. Sa. Dian. p. 3. t. 4. res.* 123. Imò si nihil horum, sed tantùm, quod sibi confessus fuerit, recordetur, validè, etsi illicitè, absolutum putat, *Lay. & Dian. l. c.* Idem absolutè docet *Gran. & Mercerus in 3. p. q. 9. n. 1.* cum quibus *Dian. p. 5. t. 14. R* 51. se retractans, probabile censet, quod etiam licitè possit absolvere.

Resp. III. Rarò obest defectus ex parte confessarii, si pœnitens eum inculpabiliter ignorat: quia in confessione sequenti absolvetur etiam ab iis, à quibus se bona fide absolutum putabat. *Unde resolves,*

Is, qui à puero peccatũ aliquod grave, v. g. mollitiem, inculpabiliter omisit, ut quia putavit leve esse, vel nullum, non ideò tenetur repetere alia peccata (vel confessiones intermedias) sed hoc tãtum, ut docet *Bon. Sanch. tom. 1. l. 1 ca. 16. Vasq. in 1. p. tom. 4 q. 92. Sancius, Lay. hic ca. 9.* addens, si simplex rusticus, qui tota vita tantum fecit confessiones generales, nihil confitens in specie, nec aliter instructus sit, etsi is validè sit absolutus, cum onere, ut cum melius cognoverit, omnia subjiciat clavibus; si tamen veniat, quando ingens est copia pœnitentium, ut tunc disponi non possit

ad

ad omnia repetenda, posse eum absolvi, audito men peccatis ab ultima confessione factis, cu obligatione, ut meliùs faciat. Ita *Laym.l.5.tr.* 4.*v. Dian.p.3.t.4.R.*108. ubi addit ex *Navar. Beja. Vasq. Regin. tom.1.l.6.ca.5.s.3.n.*153. & *Sancio*, etsi ex errore culpabili mortaliter, tum tale, v.g. mollitiei (vel numerum, alium circumstantiam necessariam) omiseris, non teneri repetere confessiones intermedias, bona fide, & legitimè factas, (in quibus ex naturali livione defectum illum non fueris confessus) validæ fuerint, & maneant validæ.

## DUBIUM IV.

### *De Satisfactione.*

### ARTICULUS I.

### *Quæ ejus necessitas, & quantitas?*

Resp.1. Satisfactio, seu pœnitentia à confessario data, est necessaria necessitate, non sacramenti, sed præcepti, ideoque à confessario regulariter imponenda est, (secundum *Suar.* & *Regin.* tom. *l.7.n.*12. sub mortali *Card.* tamen *de Lugo* cum multis ex parvitate materiæ posse venialiter peccari, *v.d.25.num.*47. v.g. si ob peccata venialia levis pœnitentia esset injungenda, ejus enim voluntariam omissionem venialem tantum esse. Ita etiam *Dian.p.6.t.6.R.*44.) Et quidem proportionata tum peccatis, tum facultati pœnitentis. Ratio prioris est, quia est pars sacramenti, non essentialis sed

sed integralis tantum, habens effectum ex opere operato,& majorem vi sacramenti, quàm sine eo. Ratio posterioris,tum ex *Trid.sess.*14.*cap.*8. tum quia Sacerdos tenetur curare integritatem sacramenti;&tam vindicare,quam mederi. *Bon.t.*1.*d.*5. §5.§.3.*p.*2. Unde resolves.

I. Excusatur aliquando Confessarius, si leviss imam (vel etiam nullam) pœnitentiam injungat : v.g.1.Si pœnitentem vehementissimè contritum, aut aliter satisfeciss e advertat. *Cajet. Navar. Suar.Regin.*Bonac.*de pœnit. d.*5.*q.*5 *s.*3.*p.*2. *num.*1. &2.*Escob.cap.*6.*num.*41. Cum verò id rarò,vel nunquam constare satis possit,tutius est,aliquam semper injungere,ut rectè monet*C.Lugo,d.*25.*s.*4. *num.*48. 2.Si pœnitens sit mentis impos,aut alieni impotens,aut morti proximus,aut valdè debilis:cui tamen prudenter injungi levem saltem pœnitentiam,v.g.percussionem pectoris, invocationem nominis Jesu, ( saltem corde ) aliosve pios motus,vel ut per hæredes sacrificia,eleemosynas, & similia opera pia curet, monet *Suar.Laym.* & *Bonac.l.c.*& *Navar.* qui addit, posse injungi, ut patienter ferat infirmitatem: quod tamen *Bon.l.c.* non probat,cum fieri possit, ut id valdè angat infirmum,timentem se non ritè satisfacere.3. Quando scrupulosus sæpius intra eandem horam redit cum novis culpis; quia supponitur satis imposita in præcedentibus. *Tambur.l.*4. *cap.*1. ex *Fagund.*

II. Etsi Confessarius peccet ex communi, si pro magnis peccatis valde parvam pœnitentiam imponat,excusari tamen eũ posse,putat*Dian.p.*3.

t.4.resol.92. si addat illud, *quicquid boni fecero, &c* Verũ hæc regula universaliter admitti nõ potest, ubi bene notat *C. Lugo, d.25. num.17. Cui. Tann. Palaus. &c.* contra quos *Diana* prosecutus *Bauni & Leand p.6.t.7.R.5. & p.9.t.9.R.54.* & alii non immeritò rejicitur, eo quod verba, utpote merè deprecatoria, non habeant vim elevandi omnia opera bona ad efficaciam Sacramentalem. *Aversa.q.13.s.7.*

III. Minor justo licitè datur ex causa: qualis v. g. est magna contritio. 2. Fragilitas animi vel corporis, ob quam timetur majorem non impleturus. 3. Tempus Jubilæi, vel Indulgentiæ plenariæ. Ita *Suar. Henriq. Laym.*

IV. Non potest injungi, 1. Ingressus religionis ut docet *Sa. V. Satisfactio*: quia id nimis durum videtur. 2. Pœnitentia publica, si sit periculum revelandæ confessionis: alias interdum pro publico peccato, potest & expedit.

V. Etsi possit, & aliquando ob fragilitatem pœnitentis etiam expediat, injungi opus alias debitum, seu præceptum, v.g. Missę auditionem die festo, &c. ut docet *Suar. Vasq. Laym. l.5.t.6.c.11.* & alii. Unde si scrupulosus sæpius redeat ad Confessarium, intra breve tempus semper nova confido, non semper necesse est imponere pœnitentiam novam, cum opus antè debitum possit injungi, *Bon. Henr. Lugo, Dian. p.6.t.7.R.6.* contra *Suar. Regin. & Bauny*. Si tamen Confessarius non existimat, censetur imperasse opus liberum, ut docent iidem, & *Dian. p.3.tr.4.R.84.v.Con. d.10.dub.9. Dian. part.4.tr.4.R.241.*

VI.

VI. Etsi etiam possit injungi opus internum, uti contra *Marat. & alios* docet *Cõn Hurt & Dia. p. 4. t. 4. R. 24.* communiter tamen debet esse externũ & afflictivum, v.gr. oratio, jejunium, eleemosyna. Nam avaris eleemosyna, luxuriosis afflictio corporis, convenit. Utrum vero licitè imponãtur preces recitandæ pro defunctis, dubitari potest. *Vegas um. 2. c. 64. & Ioannes Sancius, d. 16. n. 1.* negant. Affirmant probabilius *Turrian. de pœn. d. 37 dub. 4. C. Lugo, d. 35. s. 5. v Dian. t 4 p. 3. R. 54.*

VII. Potest etiam aliquando injungi cessatio ab aliquo bono opere, (v.g. nimia corporis afflictione) vel abstinentia aliqua vice à communione, ad promovendum majus bonum pœnitentis, si prudens Confessarius ad eum finem expedire judicet. *Salaz. Lugo, Dian. &c.* cum *Aversa q. 13. s. 3.* contra *Ioannem Sancium.*

VIII. Etsi possit immediatè post absolutionem adhuc injungi, debet tamen fieri ante, ut servetur ordo judicii, *Dian. p. 3. t. 4 R. 136. & p. 5. t. 13. R. 36.* ubi ex *Cap. Emali & Ochag.* docet, etsi consuetudo habeat, ut ita fiat, illam tamen non induxisse obligationem.

Resp. II. Pœnitens communiter tenetur sub gravi obligatione, pœnitentiam, si rationabilis sit, acceptare & implere, ut habet communis contra *Caj. Sylv. Nav* Quorum sententia ad hoc saltem serviet, ut neminem non absolutum dimittas, si vel levissimam subire velit, ut notat *Sotus & Regin. l. 7. c. 2. v. Dian. p 3 c. 4. R. 51 & p. 2. t. 15. R. 52.*

Dixi I. *communiter:* quia probabile est, quod docet *Lay. l. 4. t. 6. c. 15. Suar. & Dian. p. 3, t. 4. S. 136.*

con-

contra *Cõn.Henriq.& alios*, pœnitentiam sub mortali tantùm obligare sequentibus casibus: Si ita posita sit pro solis venialibus. Ita citati contra *Henriq.& Fagund.* 2. Si pro mortalibus alias confessis. 3. Omissionem partis non gravis, in confessione mortalium, vel etiam omissionem totius, si levis sit, v.g. unum Miserere. *Cõn.Reg. Fagund. cum Dian.p.3.t.4.R.102.& p.6.t.8.R.4.* 5. Si Confessarius noluit obligare sub mortali: quia cum possit imponere pœnitentiam libere, & sine omni obligatione, ut probat *Suar.* hic *d.38.s.7. Henriq. Fagund. Tann. Cõn. de sacram. d.10. dub.8.n.65.* contra *Turr.& Vasq.* potest etiam sub levi tantùm imponere. *v. Dian.p.3.t.4.& p.4.c.4.R.82.* 5. Etiam qui lucratur indulgentiam plenariam, liberatur onere pœnitentiæ (nisi sit medicinalis) docet *Dian. p.5.t.12.R.3.& p.9.t.6.R.36. ex Tann. Gran. Lay. &c.* contra *Valent. Marcha.& Averf.*

Dixi II. *Si rationabilis sit*: quia si justo sit gravior, ac difficilior, nec Confessarius eam moderari velit, non peccabit graviter pœnitens, si sine absolutione discedens, alterius Sacerdotis judicio peccata submittat, ut docet *Suar. Cõn. Laym.* Imò ad eam non obligabitur, si omninò injustam esse constet, aut si pœnitens eam non possit implere, vel illius sit oblitus. Nec tunc ad aliud quicquam tenetur, etsi expediat, ut is, qui sive culpabiliter, sive sine culpa oblitus est, in sequenti confessione similem sibi injungi petat. Ita *Cõn. Lay. Dia. p.4.t.8. 241.* contra *Richard & Sylv.* qui putant talem confessionem esse repetendam, quod præter citatos, negat etiam *C. Lugo, num.87. ex Vasq.* docens talem

tem satisfacere, si confiteatur illud peccatum oblivionis culpabilis. *Unde resolves.*

I. Is, qui pœnitentiam implet in statu peccati mortalis, probabiliter quidem satisfecit præcepto, cum impleat ejus substantiam: peccat tamen, sed venialiter, ut docet *Suar. Laym. Dian. l.c.* quia Sacramenti partem suscipit indignè, & obicem ponit effectui, scilicet remissioni pœnæ, (quem tamen, obice remoto, recuperari docet, *Navar. Tol. Cajet. Dian. p.3.t.4.R.85. Fagund. Suar. &c.*) unde quamprimum est implenda, potestq; graviter etiam peccari nimium differendo, quod ex variis circumstantiis judicandum. *v. Dian. p.2.t.15. Res. 13 p.5 t.13. R.38.* Non esse autem grave seu mortale, si non differat ultra octiduum, docet *Hurt.* apud *Dian.* Imò posse differri per annum, (hoc est, quamdiu non tenetur ad novum Sacramentum Pœnitentiæ) vult ipse *Dian p.9.t 7.R.57. ex Amico Leand. &c.* Nisi tamen pœnitens dubitet, an postea possit implere: eo enim casu tenere quamprimum commodè potest. Similiter non esse mortale, si obligatus jejunare feria 6. differat in diem sequentem; vel obligatus communicare singulis mensibus, differat ad 6. vel 8. dies, affirmat *Dian. ex Palao* præsertim ex causa aliqua, tametsi levi.

II. Pœnitentiam (etiam medicinalem) impositam sub conditione hac, *si iterum labatur*, nec teneri acceptare, nec implere, eò quòd Cõfessarius nec Judex sit, nec Medicus peccatorũ, docet *Dian. p.6.t.7.R.49. ex Palao, Trull. &c.* Sed contrarium probabilius cum *Suar.* tenet *Aversa q.13. s.4.* quia

non imponit eam pro peccatis committendis, sed commissis, sub conditione reincidentiæ.

III. Qui non implevit intra tempus præscriptum, non ideo deobligatur.

IV. Potest satisfacere per alium, cui Confessor id concedit; vel qui per se non potest, ut docent *Regin. Fill. Fagund. Dian p. 4. t. 4. Resol.* 141. hic tamen non tenetur, nisi Confessor id voluerit. An verò satisfaciens pro alio, simul pro se possit, alii ajunt, alii probabilius negant, ut habet *Sa.*

V. Non necessariò impletur ante communionem.

*Quæres.* Qui pœnitentiam possit commutare, & quomodo?

*Resp. I* Ex justa causa, quivis Sacerdos id potest, si de novo ei confiteatur, ut habet communis sententia contra *Sotum & Vasq.* saltem si peccata non sint reservata; imò etiam probabiliter, etsi talia fuerint, ut habet *Fernand.*

*Resp. II.* Sine nova Sacramenti administratione, potest id solus Sacerdos, qui injunxit, si adhuc recordetur statum pœnitentis, & hic ad eum redierat tempore tam brevi, ut moraliter idem judicium cēseri possit, v. g. intra hebdomadam, *Haun & alii* 4 imò etsi post longius intervallum, *Lugo d. versa, & Dian. p. 6. R. 46. & p. 9. t. 6. R. 57. contra Palaum, &c.* Ratio, quia judex incognita causa non potest ferre sententiam. Ita *Sylv. Suar. Cra. Laym. Fill. Regin. Fagund. & C. Lugo, contra Nav. Henriq. Tol. Sa. Rodriq. Bejam. Valerum, Dia. p. 3. t. 4. Resol. 53. & p. 2. t. 1. misc. R. 53.* qui dicunt etiam alium posse, non repetitis peccatis. Quæ-

sententia, etsi non ex ratione, ex principio tamen extrinseco videtur esse in praxi probabilis. (*Dian.* enim *l.c.* pro ea adducit .14. Authores, dicitq; esse usum sive praxin Confessariorum) & Confessariis posse servire, quando pœnitens difficulter adduci potest ad repetenda peccata, vel tempus id non ferat; præsertim si ex confessione (nam in ea, & non extra, debet fieri) aliorum peccatorum, & ex præsenti statu pœnitentis, ipsiusq; testimonio, habeant aliquam confusam notitiam peccatorũ præteritæ confessionis. Ita *Fagund p.2.l.9.ca.4.n.22. & Lugo, d.25.s.6.n* 107. & 109.

*Resp III.* Ipse pœnitens non potest commutare pœnitentiam, etiam in evidenter meliorem, ut docent *Sanch.4.mor.Cõn.d.*10.*n.*13. *Regin.* & alii: etsi contrarium probabile dicat. *Dian.p.3.t.4.Resol.53. & tom.2.tr.4.R.53. ex Procell & Villalob.* Sed hoc *Turri* temerarium, *Card. de Lugo*, communi Theologorum & fidelium sensui repugnare dicit, *d.25.s.6.n.75.*

## ARTICULUS II.

### *De Satisfactione per indulgentias.*

### §. I.

### *Quid sit indulgentia, & quid ad eam requiratur?*

Resp.I. Indulgentia est gratia, quâ certo aliquo opere, quod concedens præscribit, præstito, debita Deo pœna temporalis, (non autem culpa) ex-

tra Sacramentum, sacrificium, & martyrium, per applicationem satisfactionum Christi, & Sanctorum, remittitur: idq; vel per modum absolutionis, erga subditos Ecclesiæ; vel nudæ solutionis, erga non subditos, ut defunctos & catechumenos, quibus proinde tantùm dantur Indulgentiæ per modum suffragii. *Suar. Côn. Fill. Sanctarel. Bon. d. 6. q. 1. p. 1.*

Resp. II. Ad valorem Indulgentiæ requiritur causa pia & rationabilis, eaque, ut habet sententia communior, *Suar. & aliorum*, proportionata effectui, & quantitati Indulgentiæ, saltem secundùm concedentis prudentem æstimationem petendum non ex operis tantùm difficultate, sed sine intento, & operis ad eum utilitate. Ratio desumitur ex natura dispensationis bonorum, quæ sine causa ab inferiore facta non valet, & est dissipatio. Ita *Anth. citt.*

Resp. III. Ad lucrandas Indulgentias requiruntur hæ cõditiones: 1. Ut sit baptizatus. 2. Ut sit subditus concedentis. 3. Ut non sit ligatus excommunicatione majore, ut habet communis, quia hæc privat communione bonorum spiritualium. 4. Ut sit in gratia, saltem tunc, quando opus præscripta completur: quia pœna non remittitur ante culpam. 5. Ut opus injunctum, moraliter totum & integrè impleatur. 6. Ut opus præscriptum sit honestum, saltem ex objecto: nam sufficit vitiatum ex fine inhonesto veniali, vel ex alia circumstantia parva, (ut docet *Suar.* & alii *commun.* contra Cõc.) saltem si nihilominus conducat ad finem Pontifici propositum, ut limitat *Laym.* Ratio prioris est, quia

quia illud opus plerumq; complet causam Indulgentiæ, quæ debet esse pia. Ratio posterioris; quia ratio injuncti operis, est assecutio finis itenti à Pontifice, *v. Lay. Bon. d. 6. q. 5. p. 1.* Unde resolves.

I. Indulgentiis etiam frui potest, qui eas concessit.

II. Non exspirant morte concedentis, cum sint gratiæ; nec, ut habet *Sa*, ante notitiam revocationis.

III. Etsi intelligendæ sunt, ut sonant, cum tamẽ sint gratiæ, largè sunt interpretandæ; (nisi sint de pœnitentiis injunctis, ut ex *Henriq. &c.* notat *Amicus, d. 20. n. 77.*) servata tamen verborum proprietate. Unde censendæ sunt perpetuæ, si datæ sunt sine temporis restrictione.

IV. Etsi data pro articulo mortis, secundum *Sa.* exspiret, quando semel est acceptata: contrarium tamen est probabile, ob rationem datam. Illa autem non requirit applicationem Confessarii, aut alterius ministerium. *Quintan. in append. t. 9. d. 3.* Expediet tamen moribundos ad invocationem nominis JESU & Mariæ sæpius excitare, simulq; in memoriam revocare intentionem lucrandi istas indulgentias. *Ibid d. 4.* Probabile enim est, si habeat plures imagines, grana, rosaria, &c. benesta, posse (sive intuitu ejusdem concessionis, sive diversarum) toties lucrari, quoties nomen JESU repetierit, vel præstiterit opus requisitum. *Ibid. d. 6.* ex *Suar. Gran. &c.* Sufficit autem ad eas lucrandas quodvis tempus, in quo verificatur mortis articulus, etsi pluribus diebus ab ipsa morte absit. *Ibid. d. 5.*

V. Possunt moribundi plures indulgentias plenarias, ob plures titulos concessas simul lucrari, v.g. quia habent plura rosaria, vel grana, cruces, imaginesve, quibus sunt applicatæ; vel titulo suæ Religionis, Confraternitatis, &c. dummodo non requirant certa opera pro speciali necessitate applicanda. *Quintan. in append. t. 9. d. 4.* idq; etiamsi eas, vel earum aliquas ignoret, aut non recordetur. *Ibid.* ex *Lugo, Dian. & aliis. 6.* contra *Rodrig. Trull. &c.*

VI. Requiritur autem, ut moribundus crucem, granum, imaginem, &c. secum habeat in articulo mortis, ut ratione illius lucretur: & quidem, ut tutiùs ac certiùs obtineat, ejus habeat dominium, seu possessionem, & apud se teneat. Non tamen est necesse, ut collo appensa, brachio obvoluta, manuve apprehensa sint, (etsi aliquo horũ modorum habere sit tutius) sed sufficit esse in lecto, vel juxta moribundum; licet ipse nec videat, nec tangat, nec sciat, aut recordetur se habere (nisi aliud exprimatur.) Sufficiet etiam habere commodate, seu quoad usum (præsertim si id in ipso indulto exprimatur, ut in Caroli Borromæi, & quinque Sanctorum sit.) Neq; necesse est retinere, donec exspiret, (etsi & hoc sit tutius) sed sufficit in aliquo mortis periculo habere, in eoq; nomen Jesu (si hoc requiritur) invocare. *Ibid. d. 6.*

VII. Concessæ vivis, non possunt applicari defunctis, nisi id exprimatur, quia pendent à voluntate concedentis.

VIII. Probabile est, concessam pro certo tempore, posse sæpius obtineri, repetendo opera præ-

scri-

scripta, v.gr. eodem die, nisi addita sit restrictio: quia favores sunt ampliandi. Ita *Henriq. & Rodriq.* Contrarium tamen videtur probabilius, ob voluntatem concedentis contrariam rationabiliter præsumptam. *v. Card. de Lugo, d. 27. s. 6.*

IX. Etsi consultum sit, ut opera omnia fiant in gratia; id tamen non videtur simpliciter necessarium. Laborandum tamen est Concionatoribus, & Confessariis, ut cum Indulgentiæ promulgantur, populum ad seriam confessionem excitent.

X. Ut quis lucretur pro defunctis, probabiliter non requiritur, ut sit in gratia; quia tantum ponit opus tanquam conditionem, quo posito, Pontifex applicat defuncto Indulgentiam, sive satisfactiones Christi, & Sanctorum. Ita *Escob. t. 7. E. 5. c. 7. n. 45. ex Suar. & Prap. in 3. p. q. 14. dub. 10. n. 93.* Contrarium tamen docet *C. de Lugo, d. 17. n. 93.* requirens statum gratiæ, saltem in fine operis: quæ sententia tutior est.

XI. Opus præscriptum dum sit, debet esse utile ad finem à concedente contentum, qualis est, v.g. eleemosyna, præscripta pro redemptione captivorum, etsi fiat cum, aut in peccato, (modo aliud opus ei injunctum, & præscriptum in gratia fiat. *v. Card. de Lugo, d. 27. n. 84.*) non autem oratio præscripta ad placandum Deum, si ipsamet sit peccatum ex mala circumstantia, uti nec jejunium, si te inebries; item nec visitatio Ecclesiarum, sine ulla devotione. Ita *Laym. Bon. & alii.*

XII. Possunt uno & eodem tempore, plures Indulgentiæ diversis viis concessæ, lucrifieri, si opus æquè utile ad finem utriusq; Indulgentiæ, nec sit

iterabile intra idem tempus, v.gr. jejunium, vel communio. Ita *Prap. & Lay.*

XIII Non lucrantur Indulgentias. 1. Qui ex impotentia, vel ignorantia, sive totum opus præscriptum, sive notabilem ejus partem omittunt, v.g. puer vel senex non jejunet: nisi tamen ob gravem difficultatem hoc opus ei in aliud est commutatum. *Henriq. Cajet. Bon. p. 5. num. 16.* 2. Qui opera injuncta, alio loco, tempore, vel ordine, præficit, quam præscriptum est, vel per alium, qui fuerit causa principalis, ut si per alium jejunârit, Ecclesias visitârit. *Nav. Reg. l. 7. Bon. l. c.* 3. Qui famulo tradidit eleemosynam erogandam, quam instituit, ut habet *Bonac. ex multis* contra *Sa.* 4. Qui aliquid omittit, quod secundum sententiam probabilem, vel etiam probabiliorem, non est necessarium, si tamen sit necessarium re ipsa: quia communis error non supplet defectum. Ita *Bonac. ex Suar. Sanch. & aliis.*

XIV. Non obstat effectui Indulgentiæ. 1. Etsi ex opere requisito modicum quid omittatur, v.gr. cæremonia in sacro, vel si parum comedas in jejunio; quia opus ponitur moraliter integrum. 2. Si opus requisitum præstes per alium, habentem se ut instrumentum, v.g in eleemosyna danda. *Bon. l. c.* 3. Si eleemosynam des exiguam; nisi tamen in Bulla exprimatur, dandum esse pro cujusq; facultate, tunc enim major danda est à divite, quam à lio. Ita *Fill. Suar. Sa, & alii.* 4. Si Ecclesiam visitandam non possis ingredi, ob hominum multitudinem, dummodo oratio fiat ante fores, vel in cœmeterio. *Bon.* 5. Etsi in opere præstito non habue-

ris

tis intentionem consequendi Indulgentias, ut docet *Salas. Bonac. & alii* contra *Suar.* Et videtur certum, saltem si habueris interpretativam, ut habet *Laym* 6. Etsi opera fuerint aliunde debita, v. gr. ex præcepto Ecclesiæ. Ita *Laym.*

XV Quando datur potestas commutandi opera præscripta in alia, id non necessariò fit in confessione, & à Confessario, qui audit confitentem; sed potest fieri extra, & ab alio idoneo: ita enim declarat Gregorius XIII. (ut & in Bulla Indulgentiæ, nomine Confessarii, intelligi quemvis approbatum) apud *Henriq. lib. 7. cap. 10. n. 8. & Præpos. q. 14. dub. 10. n. 88.*

XVI. Probabilius est, eum, qui tantum partem operis præscripti facit, non lucrari partem Indulgentiæ, nisi tam parum desit, ut censeatur moraliter integrum. Ita *Bon. p. 5. ex Nav. Suar. Côn &c.*

XVII. Cum præscribitur, ut visitentur aliquot altaria, sufficit ad illa se orando convertere ex eodem loco, ut habet *Sa, Bonac. part. 1. Suar. Rodriq. Dian.* Limitat autem *Card. de Lugo*, si sit tali loco, & situ, ut moraliter censeri possit orare ad illa altaria, *d. 27. n. 98.*

XVIII. Cum confessio præscribitur, nisi in Bulla exprimatur, venialium, probabilius est, non requiri, ut conditionem sine qua non, sed ut dispositionem ad statum gratiæ. *Bon. l. c.*

XIX. Nemo consequitur plenariam Indulgentiam peccatorum omnium, nisi omni culpa, etiam veniali, liber sit, quando ultimum opus explet. Unde consultum est, ut communio sit ultimum. v. *Laym.*

## §. II.

## *Quotuplex Indulgentia, & quomodo differat à Jubilæo?*

Resp.I. Indulgentia est totalis, sive plena, plenior, plenaria, plenissima, quæ non tantùm pœnitentiam injunctam per Confessarium, vel Canones, aut secundum hos injungi debitam, sed etiam omnem Purgatorii pœnam tollit. Nec differt à Jubilæo, nisi accidentaliter, privilegiis quibusdã, ut quòd in Jubilæo licita sit dispensatio in certis votis, absolutio à reservatis & censuris, & quòd Confessarius quivis approbatus possit eligi, *v.Sa. V.Indul. Bon.d 6.q.1.p 2.*

Indulgentia alia est Partialis, qualis est unius, vel aliquot annorum: item septenæ, quadragenæ, carenæ: item tertiæ partis peccatorum, per quas non significatur tolli tantam durationem Purgatorii, sed tantam pœnam remitti, quanta deleretur per jejunium unius, aut aliquot annorum, aut quadraginta dierum in pane, & aqua, secundum Canones olim imponi solitum. Porrò, quando indulgentiis plenariis adduntur aliquot anni, vel remissio tertiæ partis peccatorum, id secundum diversas sententias, vel ad diversos concedentes referendum est, vel facit ad cautelam, ut si fortè causa Indulgentiæ non fuerit sufficiens, saltem valeat ad illos annos lucrandos; vel ut adjuncta concedatur pro alio tempore, actione & loco; vel denique, ut ea per modum suffragii possit aliis applicari, *v. Bellar. c. 9.*

Resp.

Resp. II. Circa Jubilæum notanda sequentia.

1. Anno Jubilæo in Urbe durante, suspendi solent tantisper extra Urbem omnes Indulgentiæ plenariæ, quoad vivos, etiam in carceribus, (non tamen in periculo mortis constitutos, ut contra *Laym l. 5. t. 7. c. 8. num. 2.* docet *Bonac. d. 6. q. 1. num. 1.* ex declaratione *Vrbani VIII.* facta Anno 1625. neque quoad defunctos) itemque aliæ facultates, v. g. absolvendi à casibus Bullæ Cœnæ, commutandi vota, dispensandi, &c. concessæ in ordine ad lucrandas plenarias Indulgentias. Non suspenduntur autem Indulgentiæ personis particularibus, aut ab alio, quàm Papa concessæ, nec privilegia Religiosorum, v. gr. absolvendi à reservatis, &c. quia tantum suspenduntur facultates concessæ in ordine ad indulgentias. Ita *Sanch. Henriq.* &c. apud *Dian. tom. 1. tract. de bulla cruc. Fill. Bon. Ic. Benzon.* & denique *Card. de Lugo, d. 20. s. 8. n. 145.* ex declaratione Urbani VIII. Anno 1625. Similiter neque suspenditur facultas concessa Episcopis per *Trid. s. 24. c. 6* absolvendi & dispensandi cum suis subditis, in omnibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis; item nec dispensandi in irregularitatibus, in impedimentis matrimonii, aut petendi debitum, &c. quæ ex jure communi illis competunt. *Zerola V. Annus* S. §. 4. *Quintan. in append. t. 8. d. 16.*

2. Etsi probabile sit, quod docet *Navar.* sæpius lucrifieri posse Indulgentias intra Jubilæum extensum ad duas septimanas: Contrarium tamen verius est, quod *Congregatio Cardinalium* declaravit, ut habet *Bon.* (ex *Suar. Sanch. d. 6. q. 1. p. 5. n. 32.*

qui tamen affirmat, in anno sancto posse obtineri toties, quoties opera præscripta præstantur; idq; ex declaratione Urbani VIII.

3. Satisfacere tunc, 1. qui Sabbatho ante primam Dominicam confitetur, ut habet *Laym. Bonac.* & praxis fidelium. Item qui confitetur & communicat ultima Dominica claudente Jubilæum Cætera tamen opera debere fieri ante, & quidem intra unam hebdomadam, docet *Card. de Lugo, d.* 27. *n.*105. contra *Bonac. p.*1. *q.*5. 2. Qui ordinem inter opera præscripta non servavit. 3. Si quis intra illud tempus cœperit confessionem, quam materialiter, imperfectam oporteat differri longius, potest tunc absolvi à reservatis, & commutari vota: postea verò extra tempus Jubilæi absolvi ab omnibus, etiam quæ oblitus est, reservatis, ac in oblitis etiam dispensari: imò potest postea omnia facere Confessor finita confessione, quæ ante: quia cœpta causa manet potestas delegati, donec finiatur. Ita *Sa, Less. l.*2. *ca.*40. *dub.*16. *Bon. Laym, Sanc. l.*4. *c.*54. *Dian. t.*2. *misc. R.*11.

4. Qui neglexit lucrari Jubilæum in patria, potest alibi, dum ibi durat, lucrari, *Sanct Vgel. Dia. p.*3. *t.*4. *R.*151. Imò etiam in patria, si tempore publicationis ex invincibili ignorantia notitiam illius non habuit. *Botten. Dian. l.c.*

5. Quando duobus diebus immediatis occurrunt duo Jubilæa, quorum singula confessionem & communionem requirunt, non opus est bis confiteri & cõmunicare, dummodo perseveres in gratia: alia tamen opera repetenda sunt. *Turr. p.*2. *d.*32. *d.*46. *vid. Dian. p.*4. *t.*4. *R.*166.

CA-

## CAPUT II.

### *De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ.*

### DUBIUM I.

### *Quis sit Minister?*

Resp. Est Sacerdos approbatus ab Episcopo, (saltem respectu sæcularium) & habens jurisdictionem. Est certum. Ratio primæ partis sumitur ex *Ioann.* 1. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis, &c.* Ratio secundæ sumitur ex *Trid. sess.* 23. *cap.* 15. *de reform.* ubi decernit, nullum posse audire confessiones sæcularium, nisi habeat beneficium parochiale, vel approbationem ab Episcopo. Addidi *respectu sæcularium*: quia circa confessiones regularium, Concilium nihil videtur mutasse: unde ii cuivis, etiam non approbato, quem Prælatus præfecerit, possunt confiteri; intellige, quantum est ex vi Concilii: quia *Gregorius XV.* statuit, ut Monialium Confessarius ab Ordinario approbetur. Ratio tertiæ partis ex *Florentino & Trid. l. c.* quia absolutio est actus judicialis, qui requirit subditos. *Vnde resolves.*

I. Nullo casu, vel dispensatione, hoc Sacramentum validè administratur à non Sacerdote.

II. Ubi *Conc. Trid.* est receptum, (secus alibi) nullus Sacerdos, etiam Regularis, validè absolvit, nisi sit approbatus, vel Parochus; cui non so-

lum intra, sed etiam extra diœcesin suam, validè delegatur jurisdictio, potestq; eligi in Confessarium, ab omni habente potestatem eligendi, quamdiu tamen retinet Parochiam. Ita *Fill.tom.1.t.7.Bagund. Suar.Dian.p.3.t.4.R.146.*

## DUBIUM II.

### *Quid sit approbatio, & à quo petenda?*

Resp.1. Approbatio non est collatio jurisdictionis, sed tantùm publicum judicium de aptitudine personæ, ad audiendas confessiones, essentialiter prærequisitum (supposito jure Tridentini) ad jurisdictionem recipiendam. Ita *Sanch.l.6.de mat. d.28. & alii.* Unde resolves.

I. Etsi Doctores & Licentiati, hoc ipso, quòd promoventur, censeantur, secundùm quosdam, approbati à Papa, ut notat *Sa.V.Confessor*: probabilius tamen est, quòd ipsi etiam egeant approbatione, licet non deceat, ut ipsi, vel Lectores in Theologia examinentur.

II. Etiam Parochus, qui reliquit beneficium parochiale, debet approbari, si velit audire confessiones.

III. Non requiri hanc approbationem, ad auditionem venialium, docet *Dian.p.2.t.2.misc.R.44. ex Valero.* Et ratio esse videtur, quòd approbatio tantùm requiratur in ordine ad jurisdictionem; hanc quivis Sacerdos pro venialibus, (uti & mortalibus, à quibus ritè quis est absolutus) habeat col-

collatam ab Ecclesia in ipsa ordinatione, ideoq; ab iis absolvere possit, ut habet *Bon.d.5.q.7.p.2.n.8. Vasq. Suar. Card. de Lugo, d 18.s.3.d.21.n.1.* ubi docet, ab Ecclesia in *Trid.* non approbatum reddi incapacem jurisdictionis, tantùm in ordine ad mortalia non prius confessa.

IV. Parochi non possunt assciscere cooperatores, nisi Parochos, vel approbatos, ut habet *Fagund p.2.l.7.num.24. Sancius, &c. ex declaratione Cardinalium* contra *Ledes. & alios. v. Dian. p.3.t.4. R.146. & Bon.d.5.q.7.p.4 §.1.*

V. Qui habet potestatem eligendi Confessarium, non potest eligere nisi approbatum, vel Parochum.

VI. Ad approbationem non necessariò requiritur examen, modò adsit judicium prudens de sufficientia. *Con. Laym.*

VII. Non sufficit approbatio petita, & negata, ut docetur communiter, contra *Navar. Henriq. & Dian. to 2.t.2.R.24.*

Resp. II. Approbatio petenda est ab Episcopo, & quidem proprio, scilicet Sacerdotis, ut intelligunt *Suar. Con. Regin. Fill. & alii.* vel (ut probabiliter vult *Vasq.*) pœnitentis Ratio, quia est actus jurisdictionis, vel saltem auctoritativa declaratio; ergò debet fieri à superiore. Porrò nomine Episcopi, etiam intelliguntur Prælati habentes jurisdictionem Episcopalem, ut quidam Abbates, & Capitulum Sede vacante, non autem Provinciales, aut Generales ordinum. *Vnde resolves,*

I. Religiosi, etiam exempti, debent approbari ab Episcopo loci, in quo degunt: quia illius, quoad hunc actum, sunt subditi. II. Epi-

II Episcopus in sua Diœcesi non potest approbare Sacerdotem alienum, nisi subdatur illi saltem ad tempus.

III. Episcopus potest approbare per se, vel Vicarium generalem, vel alios quoscunque deputatos; quia non est actus ordinis, sed jurisdictionis.

IV Approbatio potest fieri, cum restrictione ad certum genus personarum, locum, tempus, &c. *Nav. Suar. Vasq.* contra *Vegam.*

V. Episcopus peccat, si Sacerdoti (præsertim Regulari) idoneo, sine causa sufficienti neget approbationem. *Bon. Vasq. a.3.d.3. Card. de Lugo, d.21.s.3. n.54. Sanch. &c.*

VI. Approbatio semel absolutè concessa, non tantùm non extinguitur morte concedentis, sed nec revocari potest, sine justa causa: ex causa tamè v.g. mutatione morum, judicii, &c. potest, ut docet *Suar. Fill.* & alii. Quod si fiat absq; causa rationabili, *Cõn. Suar.* & quidam alii censent, revocationem esse nullam; alii illicitã tantùm *Fill.t.7.c. 9.q.12.* In dubio autem, an ex justa causa revocatio sit facta, præsumendum esse pro Prælato, docet *Card. de Lugo, n.67.*

VII. Ex justa causa possunt, præsertim à successore Episcopo, ad examen revocari, non tantum sæculares, sed etiam regulares. Docent tamen quidam, Mendicantes habere privilegium, ut non possint revocari ab eodem, à quo ante sunt approbati: sed contrarium docet *Suar. & Card. de Lugo, d.21.n.61. & 62.*

VIII. An approbatus ab uno Episcopo, possit in alia diœcesi, sive nova approbatione, recipere ju-

jurisdictionem, controvertunt DD. ac licet utraq; sententia olim videri potuerit probabilis, post decretum tamen *Vrbani VIII.* an 1628. apud *C. Lugo, disp.21 sec.2 n.29.* negativa omninò tenenda est, *v. Aversam q.15.sect.8.*

## DUBIUM III.

### *Quid, & quotuplex Jurisdictio Confessarii, & unde eam habeat?*

Resp. Est auctoritas aliqua in alium, ut subditum, in quem, in foro interno, accipit potestatem, distinctam à potestate ordinis : hæc enim datur per Sacramentum Ordinis, & omni Sacerdoti, nec tolli potest: illa per externam concessionem Ecclesiæ, nec omnibus Sacerdotibus, potestq; ab iis tolli: ac nisi adsit, invalida est absolutio ex *Trid. sess.14.cap.7.* Est autem duplex: Ordinaria, & Delegata. Ordinaria est, quam habent ii, qui ex vi proprii officii curam animarum habent, ut Papa, Episcopus, Parochus (huc revocantur Archiepiscopi, erga subditos suorum Episcoporum, tunc tantùm, quando actu visitant) Archipresbyteri, Archidiaconi, Prælati religionum, Vicarius perpetuus Episcopi, vel etiam Parochi. Delegata dicitur, quæ legitimè datur ab habente ordinariam, idque vel tacitè, vel expressè, ut à Papa pro tota Ecclesia, ab Episcopo pro diœcesi, à Parocho pro parochia: hoc discrimine, quòd Papa possit dare invitis Episcopis & Parochis, nõ contra. Ac licet exterior jurisdictio exspiret morte delegan-

gantis,non tamen hæc interior, nisi successor revocet,ut docet *Sanch.Suar.Nav.Cón.*contra *Syl. & Vasq.v.Laym.ca.*10.*n.*22. Porrò hujusmodi potestatem delegatam absolvendi quemcunque, à quibuscunque peccatis, in articulo seu periculo mortis, ( hæc enim pro eodem sumuntur in jure, ut *v.Dia.p.*3.*tr.*4.*R.*57.*&* 71.*&* 72.) habet ex jure communi quivis Sacerdos etiam excommunicatus & degradatus,si alius desit : quod addo,quia præsente Parocho, vel proprio Sacerdote, id non posse,docet *Vasq.Bon.Cón Regin.&c.commun.* licèt contrarium probabile putet *Dian.p.*1.*t.*5.*R.*& *p.*4.*t.*4.*R* 167.*ex Ang.Henriq.Comit.&Sa* confirmatq; *Tamb de exped.conf.l.*3.*c.*7. Ex consuetudine, quivis toleratus absolvere potest à venialibus,& mortalibus aliàs confessis.Ex privilegio, religiosi Mendicantes quosvis fideles absolvere possunt , juxta tenorem suorum privilegiorum. Ex concessione Ordinarii directa,quicunque Sacerdos approbatus,cui id ille committit.Denique ex Indirecta is,qui audit eum,qui habet potestatem eligendi Confessarium,quales sunt. 1.Ex jure,Episcopi omnes,etsi sint tantum titulares;item superiores Episcopis, ut Archiepiscopi,&c. item Prælati iis inferiores exempti , ut Abbas exemptus,( non tamen Abbatissa) Generalis,Provincialis,Prior, ( salvis tamen privilegiis ordinum) *vi. Dian p.*4.*t.*4.*R.*1.*&* 2. 2. Ex consuetudine, Cardinales , ( qui etiam domesticis de Confessore providere possunt) item Pastores,imò multis locis,etiam cæteri Sacerdotes sæculares, ut *Valent. Sa,Suar.d.*27.*s.*3. ( Religiosi tamen tenentur eligere

gere tales, quales illis permittunt statuta) item Reges & Principes, (quorum tamen privilegium ad familiam non extenditur) denique domestici Pontificis. 3. Ab homine eam habent, quibus sive Pontifex, sive Episcopus, sive Parochus concessit. *Unde resolves.*

I. Qui habet potestatem delegatam, non potest eam subdelegare alteri, cùm diversa sit potestas utendi jurisdictione, & eam delegandi. Excipitur 1. nisi hoc ipsum concessum sit, 2. nisi sit delegatus ad universitatem causarum, ut v. g. si cui committeretur officium Parochi absentis, vel minorennis: talis enim aliqua exercitia jurisdictionis, alteri, ex præsumpta voluntate Ordinarii, subdelegare posset, non tamen integrum officium. *v. Lay. hic. l. 5. t. 6.*

II. Cùm jurisdictio respiciat subditos, exerceri in eos potest, tam à delegato, quàm ordinario, quocunq; loco fuerit, ut docet *Sanch. Henriq. Suar. m. 3. p. to. 4 d. 28. sess. 1. & 7.* & alii.

III. Probabile est, quòd absolutus in articulo mortis, non teneatur se postea sistere superiori, vel alteri pro reservatis, (nisi hæc habeant annexam censuram) ut docet *Nav. Suar. Merc. Fill. t. 7. ca. 10. q. 6. n.* 288 *Bon. d. 5. q. 7. p. 1. n.* 13. quia directè absolutus fuit, contra *Hurt. v. Dia. p. 4 t. 4. R.* 190.

IV. Improbitas aut insciția propria Sacerdotis, non dat jurisdictionem alteri, ideoq; tali casu expectandum est, aut ad superiorem recurrendum. Si tamen ignorantia esset tanta, ut confessio illi facta foret invalida, aut illicita, neq; esset alius privilegiatus, aut habens jurisdictionem, licere alteri con-

confiteri, docet *Navar.in Vasq.in 3.p.t.4.q.93.a.2. dub.3.Hurt.d.10.dif.15. v.Dian.p.4.t.4.R.201.& p.8.t.1.R.86.ex cap.placuit, de pœnit. dist.6.* Idem licere, quando quis proprio non potest confiteri, sine gravi periculo, docet *Tol.Sylv.& Medin.* qui ideò concedit, quando proprius non vult, aut non potest audire, vel injustè negat facultatem confitendi alteri, v.g. Parochus concubinæ. *Dian. p.3.t.4.R.79.* ex *Henr. & aliis* 4. Verùm ista communiter refutantur ab iis.

V. Etsi graviter peccare possit proprius, si neget suis facultatem adeundi alterum, modò præsumere possit eos justè petere: si tamen injustè neget, probabilius videtur, eos invalidè ab alieno absolvi, ut docet *Sotus, Suar.Laym.* etsi non improbabiliter, *Sylv.Henriq.Maj.Palud.Richar.Tol. & Dian.p.3.t.4.Resol.79.* putent, quod validè, præsertim, si sine periculo salutis, famæ, vel simili, non liceat suo proprio.

VI. Cum jurisdictio acquiratur ratione domicilii, vel quasi domicilii, vel etiam actualis habitationis; hinc ii, qui duobus locis habent domicilium, vel quasi, possunt utrobiq; absolvi, ut scholares, milites, mercatores: item vagi & peregrini possunt absolvi à Parocho loci, in quo versantur. *vid.Laym.hic.Vasq.&c.*

VII. Validè absolvit is, qui audit confessiones, præsente vel sciente, & non contradicente Ordinario, v.g. Episcopo, vel Parocho, cui constet eum aliunde non habere jurisdictionem: quia tunc præsumitur tacitè eam dare: sufficit enim, ut rectè docet *Fill.& Fagund.prac.2.l.7.cap.2.* facultas in-

interpretativa, & præsumpta, modo præsumptio fundetur in signis, quæ indicent consensum præsentem, ut in casu posito, (uti etiam v.gr. si Parochus, qui jam absens est, aliàs significaverit id sibi gratum esse) nam existimatio de futuro consensu, vel ratihabitione, quòd scilicet quando sciverit, futurus sit contentus, non sufficit; quia consensus futurus non dat jurisdictionem pro tempore præsente, quo datur absolutio. *vid. Dian. p. 3. t. 4. Res. 68. Sanch. de mat. l. 3. d. 35. Boc. Cin.* qui addit, peccare, si de consensu dubitans inopiat audire.

VIII. Peccat, qui absolvit cum jurisdictione dubia, nisi necessitas urgeat: qualis, v.g. quia pœnitens diu non est confessus, vel debet communicare, nec alius adest: tunc enim licitè absolvit cum conditione hac, si possum; & cum onere (etsi *Salas in 2 tr. 8. d. 1.* hoc onus non agnoscat) aliàs iterum confitenti habenti jurisdictionem certam. Expedit autē tunc veniale aliquod adjicere, à quo directè, & à cæteris indirectè saltem absolvatur. Ita *Regin. Suar. Cōn. d. 8. dub. 6. n. 43.* Quòd si tamē ex probabili ratione dubium resolvat, (nimirum habere se jurisdictionem) etsi cum formidine oppositi, absolutè absolvit licitè, ut docet *Suar. & Prap. Card. de Lugo, d. 19. n. 4.* tum quia tunc practicè & moraliter est certus, tum quia Papa eo casu dat facultatem, uti & insequentibus casibus, 1. Quando communi errore, v.g. ob titulum coloratum, putatur aliquis esse Pastor, seu habere jurisdictionem, qui non est ob censuram, vel aliū defectum. *Bon. d. 5. q. 5. §. 2. p. 3. n. 11. Dian. p. 3. t. 4.*

R. 22.

*R.* 22. Quod etiam, si desit titulus coloratus, probabile esse docet *Dian. p. 3. t. 4. R. 122.* ex *Pont. Molfes. Sanct.* Item *p. 2. t. 2. misc. R. 43.* si quis bona fide tali confiteatur: verum id comm uniter ab aliis negatur. 2. Cùm quis ex consuetudine, præscriptione, aut bona fide, absolvit, aut nescit potestatem suâ revocatam, ut habet *Sylv. Nav. Henriq. Mald in 2. p. q. 19. a, 5. Sanch. 1. mor. l. 1. cap. 9. n. 35. Sal. Vasq. v. Dia. p. 1. t. 13 R. 1.* 3. Quando secundum probabilem sententiam judicatur quis habere jurisdictionem, & Sacerdos sequitur favorabilem. *Bon. l. c.* Quia quando communis est error, Ecclesia dat jurisdictionem, propter publicam utilitatem, *vid. Suar. Dian. ll. cc. Card. de Lugo, d. 19. n. 28.*

IX. Nemo tenetur unquam Parocho confiteri, ne quidem in Paschate, *Lugo, d. 19. s. 2. n. 28. &c.* cum *Dian. p. 8. t. 1. R. 88.* Quare Parochi frustra nolunt, ut Parochiani confiteantur Mendicantibus, etiam in Paschate, cum habeant privilegium pro omnibus Christi fidelibus. *Suar. Cón. Henr. Regin. Zerola c. 15. q. 3. & communiter* apud *Bon. d. 4. q. 1. s. 2. p. ult.* adeò, ut qui docent, confessos Regularibus, etiam in Paschate, teneri iterum eadem confiteri suo Parocho, fiant suspecti de hæresi. *Dia. p. 4. t. 8. R. 102. & alii.* Vi tamen hujus privilegii, non possunt absolvere eos religiosos, aut religiosas, qui non habent facultatem extra suum ordinem confitendi, ut ex communi notat *Rodriq. & Comp. privil. Societatis. V. Absolutio. §. 1.* & ex his *Lay. hic.* Quia privilegio generali non censetur derogari consuetudini, vel statuto particulari, nisi id exprimatur. Usus tamen fert, ut regulares pere-

gri-

grinantes, ex præsumpta voluntate superiorum, si Ordinis socium non habeant, à quovis alio, etiam sæculari, absolvantur, exceptis reservatis: in quæ si religiosi Societatis extra domicilium incidant, videant ordinationes Præp. Generalium, *c.* 6. *n.* 6. & *Laym. hic.*

X. Quòd si Superiores Regularium Monialibus sibi subjectis (idem est de Monialibus subjectis Episcopo) non concedant aliquoties in anno alium Confessarium, potest & tenetur illis eum dare Episcopus, quod si nec is faciat, ipsæ eligere possunt. *Quintan. t.* 3. *s.* 26. ex *Declaratione Cardinalium* apud *Barbos.*

## DUBIUM IV.

### *Quid sit reservatio Casuum, & quis habeat potestatem reservandi, & absolvendi ab iis?*

Resp. I. Reservatio hæc est negatio jurisdictionis circa aliquod peccatum. Ac certum est in Ecclesia potestatem esse, quædam peccata reservandi, à quibus inferiores Confessarii non possint absolvere, ut sic subditi melius dirigantur, & absterreantur à peccatis, quorum difficilem remissionem vident, quanquam nisi graves causæ sint, non debeat quivis, neque qui potest, quidvis facilè reservare, neque difficulter veniam dare absolvendi à reservatis, ne alioqui cedat in destructionem, quod debebat in ædificationem. Porrò etsi quivis ordinarius potestatem habeat reservandi,

in

in Parochis tamen consuetudo eam abrogavit, vi *Suar. d. 30. s. 5. Card. de Lugo, d. 15. s. 6. §. 3.* Unde resolves.

I. Cùm non sit obligatio confitendi venialia, ea frustra reservantur (etsi fortasse possint, saltem à Papa) ideoque sola mortalia, eaq; non nisi externa, graviora, opere consummata, prudenter reservantur. Unde *Clemens VIII.* statuit, ut Prælati religionum, siquidem velint, undecim tantum casus reservare possint, nec plures sine consensu Capituli generalis pro tota religione, vel Capituli provincialis pro provincia. Quod tamen de culpa tantùm, & non censuris intelligendum est: potest enim Prælatus aliquid præcipere, sub excommunicatione sibi reservata. Casus autem *Clementis* sunt sequentes.

1. Apostasia à religione, etiam retento habitu. 2. Nocturna ac furtiva è monasterio egressio. 3. Veneficia, incantationes, & sortilegia. 4. Proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale. 5. Furtum mortale de rebus monasterii. 6. Lapsus carnis voluntarius, opere consummatus. 7. Juramentum falsum in judicio legitimo. 8. Procuratio, consilium, vel auxilium, ad abortum fœtus animati, etiam effectu non secuto. 9. Occisio vel vulneratio, seu gravis percussio cujuscunq; personæ. 10. Falsificatio manus, vel sigilli officialium monasterii. 11. Malitiosum impedimentum, retardatio, aut apertio literarum à superioribus ad inferiores, vel contra.

II. Is, qui confitetur reservatum, mittendus est ad superiorem, (suadebit tamen charitas, imò aliquan-

quando coget, ut ipse confessarius, tacita persona & casu, à superiore veniam petat absolvendi,) Quòd si superior adiri non possit, & sit causa urgens, v. g. timor infamiæ, vel scandali, ex omissione cõfessionis vel communionis, tunc potest inferior absolvere à reservatis, cum onere, ut pœnitens se postea superiori sistat. Quod etiam verum est, quamvis casus censuram reservatam annexam habeat. Porrò eo casu peccata non reservata tantùm confiteri, sufficere putant probabiliter *Sot, Cord. & Gab. Ant. Palaus, Dian. to. 2. t. 4. R. 104. & Card. de Lugo d. 4. de Euch. n. 86.* nõ improbat. *D. Thom.* tamẽ *Suar. & alii comm.* docent omnia esse confitenda: quod tutius est.

III. Si superior injustè neget facultatem absolvendi à reservato, posse ab alio Confessario, etiam directè absolvi, affirmat *Henriq & Dian. p. 2. t. 4. R. 29* esse probabile. Sed rectius negat *Laym. l. 3. tr. 6. c. 13. Card. de Lugo d. 20. n. 188.*

IV. Peccant superiores 1. si sine justa causa difficiles se præbeant in concedendis licentiis pro absolutione reservatorum. *Quint. t. 3 sing. 13. ex Fagũd. Con. & aliis* 10. Et si ex negatione timeatur grave subditi detrimentum, peccant contra charitatem & justitiam. *Lugo, Dian. p. 6. t. 6. R. 56.*

V. Si Superior Confessario Regularium ad hoc deputato neget facultatem absolvendi, Confessarius a judicet debere concedi, potest is pro ista vice absolvere. *Aversa q. 17. sec. 5. C. Lug. d. 20. s. 4.* referens sic declarasse *Clem. VIII.* haberique in quarto tomo Bullarii, bulla 26. *Vrbani VIII. & Quint. t. 3. s. 11.* dicens non esse dubium ea de re:

additque ex *aliis* 7. probabile esse, id posse, si vi-
ro Religioso, pio docto & prudenti (licèt non ex
designatis de facto) neget. *Dia.p.3.t.2.R.126.p.*
*6.t.6.R.56.& p.9.t.5.R.15. ex Pellizario* (qui vult
idem esse, si pœnitens ipse petat) & *alii*. Imò
*Quint.l.c.* censet probabile, quod idem fieri pos-
sit, si Superior adiri nequeat, & urgeat tempus ce-
lebrationis, vel communionis, v.g. quia sine nota
non potest abstinere, cum alii omnes communi-
cent. *Ibid. ex Trull. & alii.* 6. Denique *Dia.p.3.t.*
2.R.26. notat *ex Suar. de Relig. tom.4.l.2.c.15.*
Regulares, puta eos, qui adhuc, & quatenus hoc
privilegium commune habent cum FF. Mino-
ribus, quorum id esse testatur Emanuel *Rodrig.*
*to.1 qq Regul.q.62.art.6.* semel sine licentia Su-
rum Superiorum posse absolvi à reservatis.

VI. Nihilominus certum est, posse aliquando
Superiorem justis de causis negare facultatem,
& cogere subditum, ut ad se veniat, *C. Lugo l.c.*
Nam si ex casu reservato grave scandalũ vel da-
mnum communitatis timeatur, potest Superior
negare absolutionem, donec pœnitens per se vel
Confessarium Superiori det sufficientem cautio-
ad illud evitandum; aliàs non est satis tutus pœ-
dispositus ad absolutionem. Quare si Confessa-
eo casu urgeat absolutionem, debet is attendere,
ut pœnitens obligationi suæ satisfaciat in adhi-
bendo remedio communi malo, vel damno ill
ejus periculũ: quia nisi hoc faciat, non potest ab-
solvi, non ex defectu jurisdictionis, sed quia non
est dispositus. Ad hoc tamen requiritur, ut & ob-
ligatio pœnitentis certa sit, & alia remedia ad
beri non possint, *Suar.t.4. de rel.l.8.c.5.n.10.*

VII. Peregrinus, quoad reservationem, judicandus est juxta diœcesin, in qua versatur: in qua, quæ reservata sint, discant Pastores ex Agendis, aut consuetudine.

VIII. Superior auditis solis reservatis, potest de iis absolvere, & reliqua inferiori committere, si causa urgente: qualis tamen non est multitudo negotiorum, ut docet *Suar. Fern* & *Fill.* sed ita gravior: tum quia etiam occupatissimus potest dare facultatem adeundi alterum cum onere postea comparendi; tum quia integritas confessionis est de jure divino.

IX. Qui à superiore absolutus est à reservatis, potest ab iisdem postea absolvi à quovis; quia non sunt amplius materia necessaria Confessionis.

X. Qui bona fide confitetur, nesciens suum casum esse reservatum, vel Sacerdotem carere potestate circa illum, validè quidem absolvitur, cum onere tamen comparendi. *Prep.* Similiter si Confessarius probabiliter credit non esse reservatum (esto revera sit) valet absolutio, *Less. Dian. p. 9. q. 9. R. 29.*

XI. Qui confitens habenti potestatem ordinariam, delegatamve in reservata, oblitus est inculpabiliter reservatum, potest illum postea confiteri etiam inferiori, & absolvi. Quod etiam valet, (saltem si prior habuerit potestatem ordinariam) etiamsi prior absolutio ob indispositionem, vel aliud defectum pœnitentis, invalida fuisset. Ratio, quia is intendit absolvere, quantum potuit: ergò saltem sustulit reservationem, quod fieri potuit,

potuit absq; Sacramento. *v. Prap. in 3. p. q 9. d 4. n. 24. Mœrat. to. 3. d. 30. s. 3. Dian. p. 4. t. 4. R. 124.*

Resp. II. A reservatis absolvere potest, 1. Ipse reservans. 2. Ejus in spirituali jurisdictione superior. 3. Cui ipse delegavit. 4. Sacerdos inferior, quando superior adiri non potest, v g à reservatis Papæ absolvere potest Episcopus eos, qui Romam ire non possunt.

Resp. III Extra periculum mortis, (de quo *v. dicta dubio superiore*) nullus inferior per se, & directè, absolvere potest, nisi ex jure vel privilegio concedatur.

Dicitur I. *Per se*: quia de indirecta, & per accidens, colligitur ex dictis.

Dicitur II. *Nisi* &c. quia à casibus Papalibus absolvere potest Episcopus, per se, vel Vicarium, quando sunt occulti, ut docet *Nav. c. 28.* Unde resolves.

Mendicantes ex vi juris communis non possunt absolvere à reservatis Episcopo; quia ut sic non habent potestatem majorem Parochis: & privilegium, quod circa hoc habuerunt, sublatum est decreto Urbani VIII. Anno 1628. Excipit tamen *Aversa* cum *Dian. p. 8. t. 7. R. 71.* eos casus, qui Episcopis à jure tantum reservantur.

Resp. IV. Si Confessarius dubitet, an pœnitens lapsus sit in mortale reservatum, siquidem dubium sit positivum, potest (sequendo opinionem probabilem, & judicando probabiliter non esse reservatum) absolvere. Si verò dubium sit negativum, posse absolvere negant aliqui, ut *Ar. Cord. &c* Probabilius affirmant *Suar. Fill. Henriq. Hurt. Bon. Card. de Lugo de 20. s. 2.*

# DUBIUM V.

## *Quod sit officium, & obligatio Confessarii?*

Resp. I. Munus Confessarii est, absolvere dispositum, & non alium; item curare rectitudinem istius judicii, præsertim quando cœptum est; & reos juvare, ac monere, cum prudentia tamen. Ratio primi, ne sit injurius pœnitenti. Ratio secundi, ne fiat sacrilegus. Ratio tertii est eadem; & quia debet curare, ut absolutio sit efficax. *Unde resolves.*

I. Etsi interdum utiliter differatur absolutio, etiam ejus, qui potest licitè absolvi: id tamen raro, nec ferè nisi de pœnitentis consensu faciendum, quia potest vergere in grave ejus periculum, vel damnum, *v. Dian. p. 1. t. 4. R. 35.*

II. Absolvendus est, qui adhæret sententiæ probabilis; quia est dispositus.

III. Moraliter ei constare debet de bona dispositione pœnitentis: alias absolvendo peccabit mortaliter.

IV. Non licet absolvere. 1. Qui nullam præbet materiam: qualis tamen non est, qui post absolutionem mox confitetur, cujus erat oblitus. 2. Qui cum possit, non est paratus restituere, & proximas peccandi occasiones fugere, *v. Navar. c. 15. Suar. d. 32 s. 2.* 3 Ignorantem ea, quæ omnes scire tenentur; v. g. decem præcepta, & quæ ad fructuosam confessionem & communionem

spectant: unde talis communiter prius est instruendus, vel aliò mittendus ad instructionem. *v. supra l.2.t.1 c.1.*

V. Rudiores ordinariè juvandi sunt, nisi sint incapaces instructionis; vel ob pœnitentium multitudinem fieri non possit, nec videatur expedire, ut dimittantur; vel sint peregrini, qui mox communicare, & abire debeant: tunc enim, si alioqui bona fide agunt, & temporis angustia, vel pœnitentium multitudo, longum examen, vel instructionem nō permittat, sufficere aliquando integritatem formalem, docet *Laym. c.13. n.10.* quà scilicet, auditis aliquibus peccatis, absolvatur, cū onere redeundi ad confessionem pleniorem.

VI. Si confessarius notet pœnitentem ignorare aliqua necessaria ad hoc sacramentum, tenetur eum instruere & admonere officii, quantum fieri potest; v.g. si nesciat illa, quæ necessitate medii sunt ad salutem necessaria, debet ea docere; item obligatos ad ponendum odium, ad restitutionē honoris, famæ, aut bonorum, aut ad occasionem peccatorum tollendam, aut amovenda, vel reparanda scandala, aliave damna, quæ intulit; aut ad corripiendos delinquentes, juvandos indigentes, ad denuncianda delicta, vel deliquentes in præjudicium communitatis, vel innocentium, & denique si quam censuram incurrerit, &c. tenetur ea de re monere, & hortari ad satisfactionem, quam si recusent, negare absolutionem: quia alioqui se ipsorum criminum participem, & sacrilegii reum faciet, *Aversa q.16 l.s.12.*

VII. Tenetur monere eum, qui ex ignorantia vincibili

rincibili, & mortaliter culpabili est in malo statu; quia aliàs nec ipsi, nec Sacramento consulet, cùm pœnitens sit ind. sposítus. Si verò ignorantia sit invicibilis, v.g. si bona fide teneat rem alienam, aut sit in matrimonio irrito, tenetur quidem monere & instruere, quando speratur fructus, nec timentur incommoda graviora; quæ si prudenter metuantur, aut fructus non speretur, non tenetur, imò non potest; (excipit *Card. de Lugo de pœn. d. 22. n. 24.* nisi silentium officiat bono communi) quia debet bonum pœnitentis procurare, ac consequenter licitè etiam suadet, ut secundùm suam ignorantiam operetur, v.g. Cajæ, ut reddat debitum Titio, quem invicibiliter credit suum esse maritum, cùm non sit, *Sanch. l. 2. dimat. d. 38.* Nec obstare, etiamsi sit in præjudicium tertii particularis, ait *C. Lugo, & Tambur. de exp. conf. l. 6 cap. 4.* Hinc si Confessor prævideat pœnitentem non restituturũ, si ipsi detegatur nullitas tituli, quem pro se esse putet, non est illi talem nullitatem à Confessario non interrogato detegendam. Quod si tamen pœnitens ipse dubitet, ac roget, tenetur veritatẽ, (quia tacere, esset errorem approbare) prudenter tamen non plus dicendo, quàm rogatur, v.g. si roget Titius, an post votum simplex castitatis matrimonium contractum valeat, possitque ac teneatur reddere debitum, respondeas, quod sic, tacendo obligationem non petendi debiti, *v. Laym*, hic, & *Card. de Lugo l. c.*

VIII. Quando Confessarii Principum, Prælatorum aliorumque Magnatum, sciunt ipsos non

satisfacere officio, v.g. circa collationem Beneficiorum, electionem ministrorum, subditorum gubernationem, circa eleemosynas ex bonis Ecclesiasticis faciendas, &c. regulariter tenetur Confessari⁹ monere pœnitentem de sua obligatione: aliàs si absolvit, suis humeris peccata illa imponit, & cœcus cœcum ducens, ambo in foveam inferni cadunt. Ratio, quia in talib⁹ rarò est ignorantia invincibilis: rarò itē cōtingit, ut illa secum non adferant scandalum in subditis, æstimantib⁹ illa licere; vel certè non afferant damnum commune. Si tamē videat ignorātiam esse invincibilem, neque ex illa sequi scandalum aut damnum commune; contra verò admonitionem fore in maj⁹ malum pœnitentis, aut allaturam scandala vel incommoda, potest, secundum paulò ante dicta, dissimulare, nisi interrogetur. Ita *Card. de Lugo d. 22. n. 37.*

IX. Si etiam pœnitens tenetur (licèt sub peccato mortali) ad aliquid adeò difficile, ut non crederetur tunc æquo animo accepturus, & alia vice melius susceptūrus, posset prudēs Confessor tunc illum relinquere in bona fide excusante à peccato, & monitionē differre in tempus opportunius, ne tertius à confessione abstineat, gravíusque detrimentum incurrat, *Tamb cap. 14. §. Lugo d. 22. s. 2. n. 27.*

X. Minus rectè dispositus excitandus est ad dolorem, & propositum emendationis, proposita peccati fœditate, bonitate Dei & periculo damnationis, &c. Item remedia opportuna præscribenda contra peccata futura.

Resp.

Resp. II. Ut Confessarius licitè hoc Sacramentum administret, debet esse in gratia, alioqui peccabit mortaliter: item debet esse talis, ut per hoc tō exponatur proximo periculo peccandi mortaliter. Pars prior constat ex dictis *de sacr. in genere.* An verò audiens plures una quasi vice mortali, tot numero peccata committat, alii negant, ut *Rodriq.* alii affirmant, ut *Bon.* hic Pars posterior patet. *Vnde resolvitur hic casus.*

Confessor conscius sibi peccati mortalis, tenetur antequam audiat, vel saltem absolvat pœnitentem, ipse confiteri, vel conteri de suo peccato. Si tamen vocatus improviso ad moribundum recolligere se tam subitò non possit ad contritionem eliciendam (vel bona fide putet se elicuisse) nō peccat absolvēdo, *Præp. Lug. Tamb. l. 3. c. 2. §. 3*

Resp. III. Si male absolvit, committendo defectum essentialem, v. g. si non protulit formam, vel absolvit à reservatis, vel non subditū, tenetur inducere ad repetendam confessionem, si sine scandalo, infamia, fractione sigilli, & nocumento suo possit: si minus, non tenetur. Si non absolvit à censura, potest ab eadem (si, vel quando habuerit potestatem) absolvere absentem, *Bonac. de cons. in communi. d. 1. q. 3. p. 6. ex Suar. Fill. tr. 11. c. 10. q. Regin. Nav. Rodriq.*

Si non interrogavit sufficienter numerum, speciem, vel alias circumstantias, regulariter ad nihil tenetur, nisi ad pœnitentiam agendam: monere enim extra confessionem non debet, cum judicium sit finitum. Si tamen redeat ad confessionem idē pœnitens, debet moneri de defectu commis-

so: quia alioqui hæc confessio non erit integra; cum quædam non sit debitè confessus.

Dixi, *si non interrogavit*: quia si positivè dixit, non teneri confiteri numerum, species, &c debet monere, si sine gravi scandalo, & detrimento potest; quia est causa, quod aliter præceptum grave (scilicet confitendi illa peccata) violet *Card. de Lugo d. 22 s. 3.*

Si neglexit monere de restitutione, moneat, si quidem commodè potest, (vel in confessione, vel extra, obtenta prius ab ipso venia, ea vero negata ad nihil ultra teneri docet *Tamb. l. 3. c. 8. ex Sanch.* contra *Suar*) quia tenetur ex charitate: si non commodè potest, Deo commendet. *Layds. l. 6. c. 9. Henriq. Suar. Sylv. Mercer. in 3. p. q. 9. a. 1. Dian. p. 4. R. 198. & p. 3. t. 4. R. 109.* Quod si tamen (ex gravi seu mortali culpa, contra jus alterius) dixisset, cū non teneri ad restitutionem, vel aliter, (v.g. opinionem falsam persuadendo) esset causa efficax, cur non restituat, vel aliundè detrimentum accipiat ipse, vel alius; tenetur ipsemet restituere, nisi moneat tempestivè, priusquam pœnitens fiat impotens; quia act one sua fuit injusta causa damni. Si verò sine gravi culpa id fecit, tenetur nihilominus monere pœnitentem, si commodè potest, alioqui ipse obligabitur, sicut casu priore. Si non commodè potest, excusabitur, *v. Suar. Con. d. 8. dub. 17. Bon. Dian. to. 1. tr. misc. R. 1. Card. de Lugo d. 22. sess. 3. n. 61.* & *supra lib. 3. tr. 5. c. 2. dub 3. a. 2. casu 12.*

*Quæres.* Quæ & quanta sit obligatio Confessarii audiendi pœnitentes?

Resp.

*Resp. I.* Quivis Sacerdos (etiam simplex, quando non est alius paratus) tenetur in extrema necessitate, v.g. in periculo mortis audire & absolvere volentem confiteri. Ratio est lex charitatis.

*Resp. II.* Parochus, & quivis Sacerdos curatus tenetur audire confessionem sui subditi, non tantum in casu necessitatis, aut præcepto constitutionis urgente, sed etiam (saltem per se vel alium) quoties pœnitens id rationabiliter petit; v.g. si sit in gravi aliqua difficultate spirituali, vel velit promereri Jubilæum, &c. Quia tenetur ejus bonum spirituale promovere, *Suar. Vasq. Lugo &c.* Si tamen nimis frequenter, vel intempestivè peteret, excusaretur *Aversa. q. 16. s. 11.* Quod si etiam semel tantùm, vel bis negaret, aut differret, non peccaturum graviter, ob levitatem materiæ, docet *Suar.* contra *Bon.* admittitq; *Aversa l. c.* si non petat ex urgenti occasione v.g. solennis festi &c.

*Resp. III.* Quotiescunque pœnitens ex mera devotione vult confiteri. Parochum teneri illum audire, contra *Sylv, Regin. &c.* docet *Azor. Suar. Con. Bon. Melf. Lugo &c.* Sed rectè limitat *Aversa l. c.* si non adsint alii Confessarii delegati; & Parochus non legitimè impediatur.

*Resp. IV.* Reliqui Sacerdotes, per se loquendo, non tenentur audire confessiones, si tamen audire cœperint, tenentur absolvere, nisi quid obstet, neque possunt remittere ad alium. Quia pœnitens eo ipso habet jus ad absolutionem, nec potest fructu & gratia sacramenti privari, *Aversa l. c.*

## DUBIUM VI.

### *Quæ scientia, & prudentia requiratur in Confessario?*

Resp. I. Ut Sacerdos ritè absolvat, debet, quantùm moraliter fieri potest, omnia peccata pœnitentis intelligere: quia alioquin is frustra teneretur recensere. *Vnde resolves.*

I. Peccat, qui absolvit eum, cujus peccata per negligentiam non satis intellexit; quia fert sententiam incognita causa. Validam nihilominus esse absolutionem, sive propter somnum, & aut dictũ supra *c. 1. dub. 3. n. 4.* sive propter cantum, vel linguam impeditam pœnitentis (sine hujus tamen culpa) aliqua non intellexerit, docet *Dian. 3. p. t. 4. R. 109 & p. 4 t. 4. R. 198.* Item *Laym. l. 5. tr. 6. c. 9. ex Henriq. Suar. Sylv. Merc. in 3. p.* eò quod essentia & effectus Sacramenti consistere possit absque integra, & specifica peccatorum explicatione, si sine culpa pœnitentis omittatur, *v. Dian. ll. cc.*

II. Si tamen pœnitens post confessionem intelligat, unum vel plura mortalia non fuisse intellecta, debet ea repetere in sequenti confessione, sive apud eundem, sive alium Confessarium, *Laym. Dian. ll. cc.*

III. Confessarius absolvens ex ignorantia, quem absolvere non poterat, dupliciter peccat; nimirum ignorantia eorum, quę ad officium suũ spectant, & indebitè absolvendo. *Tanner. in 1. 2. d. 4. q. 9. d. 1. n. 12. Card. de Lugo. d. 16. s. 4. n. 185.*

Resp.

Resp. II. Ut Confessarius validè absolvat, requiritur & sufficit, cognoscere peccata, saltē sub confusa ratione peccati. Ut verò licitè, requiritur ea sententia, ut possit ferre prudens judicium, in hoc foro. Ideoq; scire debet, 1. Quæ sint mortalia, quæ venialia, saltem ex genere suo. 2. Species & circumstantias necessariò explicandas. 3. Spectantia ad restitutionē bonorum & famæ. 4. Casus reservatos, & excommunicationes saltem communiores. 5. Censuras & irregularitates communiores, pro Sacerdotibus. 6. Requisita in pœnitente ad bonam dispositionem. 7. Remedia peccatis opportuna. Circa quæ omnia notantur hæc tria.

Primò, sufficere, si ea sciat mediocriter, ita ut saltem norit prudenter de omnibus dubitare, & doctiores se, vel libros consulere.

Secundò, majorem minoremve requiri, ac sufficere scientiam, pro diversitate locorum, & pœnitentium, *Bon. d. 5. q. 7. p. 4. §. 2.*

Tertiò, graviter peccare tum eum, qui sine sufficienti scientia huic muneri se ingerit; tum eum, qui talem sine necessitate constituit, aut cum possit corrigere, tolerat, *Laym. l. 5, c. 13. Bon. l. c. Card. de Lugo.* Unde resolves,

I. Si pœnitens advertat, Sacerdotem non percipere peccati gravitatem, tenetur illum monere se peccasse mortaliter.

II. Qui sciens prudens confitetur ei, quem scit suam conscientiam dijudicare non posse, tenetur confessionem repetere apud peritiorem; quia graviter peccavit sic confitendo.

Resp. III. Prudentia requiritur, tũ in instructiõne, monitione, curatione pœnitentis; tum interrogatione. Et quidẽ si prudenter judicet, integrè esse confessum; v.g. quia benè instructus potest, & solet adhibere diligentiam debitam, nõ tenetur quicquam interrogare, alias tenetur, ut habet communis (*Dian* tamen *p.2.t.15. R.7. ex Nav. & Valero* negat esse mortale, non examinare aliquam circumstantiam ex oblivione; *v.* etiam *C. de Lugo d.22.*) quia tanquam Judex debet curare integritatẽ judicii, & tanquam medic⁹, ut morbi & vulnera perfectè detegantur: cavendo interim, 1. Ne examẽ sit curiosum de non necessariis, unde Confessarii existimatio, Sacramenti dignitas, & pœnitentis profectus minuatur. 2. Ne sit indiscretum, ut v.g. de iis, quæ moraliter certum est à tali non solere committi; vel ex quibus discat peccare pœnitẽs. vel de inverecundis invereundè, vel de numero nimis anxiè, si ex dictis probabiliter æstimari possit. 3. Ne sit intempestivum; & sinatur prius se explicare quantum potest, ne importunitate terreatur. Quod verò quidam monent, expedire ut pœnitens inter confitendum non interrumpatur, id *Card. de Lugo d.22.n.15.* universim non probat; præsertim, si confessio non sit brevis, quia facilè aliqua excidunt memoria. *Unde resolves.*

I. Si Sacerdos advertat, pœnitentem, etiam post sufficientem diligentiam, peccatum aliquod, aut circumstantiam, omittere, probabilius ac verius est, per se loquendo tenere interrogare, etsi negat *Sa. V. Confessor, & Medin.* docens, si diligẽter exa-

examinata cõscientia, unius sit oblitus non teneri Confessarium illud revocare in memoriam, nisi cadat in damnum proximi: quod *Vasq. q. 93. d. 7. n. 3.* videtur dicere esse probabile: verum alii rejiciunt. *v. Card. de Lugo d. 22.*

II. Etsi Confessarius, cui evidenter constat peccatum pœnitentis, quod tamen ipse negat, non debeat illum absolvere, quando verò ex aliorum relatione, vel suspicione id habet, standũ sit pœnitentis cõfessione, cui in hoc foro, tam pro, quã contra se fides habetur (*Suar. t. 4. d. 32. s. 3. Fag. p. 2. l. 6. c. 4. n. 38.* citati *à Dian. p. 3. t. 4. R. 105.*) in utroq; tamen casu prudentis Confessarii est, 1. Caute & à longè, tum propiùs interrogare. Si nihilominus neget, prudenter judicare, an non potuerit oblivisci, vel confessũ esse alteri, vel putare non esse peccatum, vel simili de causa excũsari, ita ut debeat absolvi, *Dian. l. c. ex Sylv. Navar. Tol. &c.* 3. Si peccatum illud norit ex confessione complicis, non uti illa scientia, nisi in genere, quærendo an non aliud conscientiam gravet, & excitando ad majorem contritionem, ob periculum indirectæ revelationis; aut etsi complex dederit veniam, ob periculũm scandali, *v. Lay. c. 14.*

III. Interrogationes in materia castitatis, debẽt esse paucæ, & cautæ, ne vel occasionem det investigandi, aut traducendi confessionem, aut ignorantem doceat, aut offendat, aut se vel illum periculo exponat. Ac si hæc timeat, potiùs pati debet aliquid deesse integritati materiali. Et quidem si in hac materia negantur cogitationes, non opus est, progredi ad opera, rudiores tamẽ cogita-

tiones negant, verba & opera rogati fatentur; quòd illas non æquè agnoscant; aut advenant, v. *Lay. hic. c. 13. Con. d. 7. du. 7. Fagund. Prop. l. 2. 4. c. 2. Dian p. 3. t. 4. R. 99.*

## CAPUT III.

### *De Adjunctis Pœnitentia.*

### DUBIUM I.

### *Quid sit sigillum confessionis, & qui ad illud teneantur?*

Resp. I Sigillum hoc est obligatio juris divini strictissima in omni casu, etiam quo integri regni salus periclitaretur, ad tacendum, etiam post mortem pœnitentis dicta in confessione (id est, in ordine ad absolutionem sacramentalem) omnia, quorum revelatio Sacramentum redderet onerosum, vel odiosum; *Unde resolves.*

I. Violatio hujus sigilli duplicem habet malitiam, Sacrilegii, contra reverentiam Sacramento debitam & Injustitiæ, ex pacto virtuali inter pœnitentem & Confessarium de secreto isto servando omni casu. *Dian p. 5 t. 11. R. 2. ex Fagund. Kellison. &c* Neque hic datur parvitas materiæ, *Dian. p. 5 t. 5 R 8. ex Mald. Bald. &c.*

II. Non inducitur hæc obligatio, 1. Per confessionem factam fictè, v. g. ad furandum, etsi hoc casu adhuc prudenter tacendum sit, v *Dian. p. 5. t. 11. R. 26.* 2. Si quis extra confessionem accipiat aliquid sub sigillo confessionis, quia tantum est obligatio secreti naturalis, gravior aut levior, pro rei exigentia.

III. Non frangitur sigillum, 1. Si in genere di-

635,

tis, Titium tibi confessum esse venialia, aut esse probum, innocentem, modò non dicas in iis circumstantiis, ex quibus colligi possit, alios esse nocentes, vel confessos mortalia. 2. Si dicas N. tibi esse confessum, etsi in certis circumstantiis hoc quoque periculosum sit. *Laym. c. 14. num.* 11. Imò si pœnitens verbo vel facto, (v. g. clàm accedendo) significaverit se nolle sciri quòd sit confessus, Confessarium revelare sigillum volunt *Regin. Nav. & Mercer.* apud *Dian p. 5. t. 11. R. 47.* quia pœnitens confitendo Confessario extraordinario veniret in suspicionem gravioris criminis, quod *Tambur. in append. c. 3.* dubiè confirmat, asserens, se vereri ne talis accedat ad confessionem sigillum. Si peccata ita referas, ut moraliter loquendo, persona innotescere non possit, neque communitas aliqua etiam parva infametur, ut quod ibi talia vitia regnent. *v. Dian. p. 2. t. 15. R. 13.* id enim esset contra sigillum. Unde *Turrian.* apud *Dian. p. 5. t. 11. R. 45. & Tambur. in append. c. 3.* reprehendunt Superiorem localem, qui Provinciali fortè dicat, in sua domo sæpè postulari licentiam absolvendi à reservatis: quia potest redundare in ignominiam & damnum domus, etsi idem *Tambur. cap. 4. num. 2.* dicat probabile esse, quòd non sit contra sigillum, si dictæ licentiæ petitę fuerint extra Confessionem. 4. Si utaris notitiâ extra confessionem acquisitâ, imò ipsum peccatum, quod aliunde tibi innotuit, aperias, modo nullam circumstantiam ex sola confessione notam; nec certius referas, quàm extra confessionem nosti: quo in casu opus est ma-

magna cautela, & tutissimum est silere, *Laym. 6, 14. n. 16.*

IV. Quando plures v.g. studiosi vel amici, &c. tenentur ferre testimonium confessionis, Confessarium teneri id dare, etiam iis, quos non absolvit, docet *Con. di. 9. dub 1. Fagund. & Dian. p. 5. t. 11. R. 22.* tum ne id negando prodat aliquo modo sigillum & pœnitentem: tum quia dando non mentitur, cum tantum testetur, esse confessum. Verùm *Bonac. d. 5. q 6. s. 5. p. 4. & Card. de Lugo d. 23. s. 3.* docent; tali schedam negare, non esse contra sigillum, (idemq; concedit *Aversa q. 18 s. 2* si non constet pœnitentem accessisse hunc Confessarium) tum quia nihil dicit, sed tantum non approbat testimonio positivo confessionem, ad quod non tenetur; nec quidquam facit ex quo possint cognosci delicta pœnitentis: tum quia aliàs via aperiretur fraudibus, & multi improbi Parochos in Paschate decipe-rent, tum quia potest esse consuetudo, ut scribatur absolutum esse, quod falsum erit scribat; & si omittat; sigillum franget: tum quia scandalosum erit & iniquum publicæ meretrici perseveranti (uti & occulto peccatori, sic pallianti suam iniquitatem) testimonium dare confessionis: neque Confessario imputandum erit, quod eum positivè non defendat.

V. Sub sigillum cadunt 1. Omnia peccata pœnitentis, tam futura, quàm præterita: (siquidem hæc animo se accusandi sint manifestata; secus si per modum simplicis narrationis, vel ut Confessarium ad simile peccatum inducerer, *Dian. p. 5. 3, 11. R. 25. ex Suar. & alii 8.*) ideoq; peccat mor-

taliter, qui sive directè, sive indirectè aperit aliquod veniale in particulari, etiã leve Titii: quia materia sigilli parvitatem non habet, ut est omnium ferè sententia apud *Dian. p. 5. t. 5. R. 8. & Tamb. in append. c. 8.* vel qui in genere dicit, eum sibi confessum esse aliquod mortale, vel casũ reservatũ, vel excommunicationẽ, vel non esse absolutũ ob indispositionem. Imò Confessorẽ qui dicat absolutè, Ego Petrum non absolvi, frangere sigillum dicit *Dian. p. 5. t. 11. R. 42 ex Suar. & alii* 9. 2 Etiam peccata complicis, sive prudenter sive imprudenter detecti, *Suar. Vasq &c. commun.* apud *Dian. p. 3. t. 4 R. 121.* An verò liceat interrogare de complice, ad ejus correctionem faciendam, illamq; ex licentia pœntentis facere affirmat *Suar. & Fagund.* contra *Bon, Loream. Nugnum, & alios Thomistas, v. Dian. p. 3. t. 4. R. 113. Card. de Lugo d. 16. n. 426.* ubi docet, posse aliquando pœnitentem à Confessario obligari, & cogi ad manifestandum complicem extra confessionem. 3. Pœnitentia imposita si gravis sit, hoc est, quæ consuevit injungi pro mortali (qualis nunc esset, ait *Dian. p. 5. t. 11. R. 31.* Corona B. V. non verò Miserere) *Averf. 18. s. 6.* 4 Peccatorum circumstantiæ, quas tacere pœnitentis interest, etsi dictæ sint post absolutionẽ, v. g. si spurius sacros Ordines susceperit, si nobilitatẽ jactaverit, &c. Bona verò pœnitẽtis, & cætera impertinentia, quæ per accidẽs interponuntur, nec odiũ Sacramento pariunt, v. g. propositum religionis vel matrimonii, sæpè quidem (si nimirum pœnitens ea tecta velit) sub obligationem secreti

naturalis

naturalis, non tamen sacramentalis, cadunt. Excipit *Tann. & Con.* nisi pœnitens, talia dixerit in ordine ad explicanda peccata; tunc enim sigillo sacramentali claudi tenent, cum *Dian. p. 5. t. 11. R. 5.* Idem de virtutibus & vitiis affirmat *Gran.* contra *Regin. & Mald.* apud *Dian. l. c. R. 30.* de defectibus naturalibus (v.g. illegitimè natum esse) & de vitiis occultis corporis, *Con. Hurt. & Kal.* contra *Gran. Mald.* &c. quia ea sub sigillum cadere absolutè ajunt apud *Dia. l. c.* R. 29. Item de iis, quæ alios concernunt, & tamen peccata non sunt: *Mald.* & *Dian l. c.* R. 38. Denique de scrupulis (contra *Con.* & *Gran.* qui eos sigillo clausi absolutè affirmant, & contra *Marchant.* qui absolutè negat) idem tenet C. *Lugo*, nimirum si pœnitens scrupulositatem confiteatur, aut ad declaranda peccata vel conscientiam afferat, ait cadere sub sigillum, quia est in obliquo saltem materia confessionis. Secùs, si non cognoscatur ex pœnitentis relatione, sed videatur, & percipiatur, v.g. ex modo confitendi. Idem dicit de aliis defectibus naturalibus v.g. quod sit blæsus, rudis, hebetis ingenii &c. Et sic excusat Confessariũ, qui de pœnitente dixit, quòd impertinentiis & næniis caput sibi frangat. *vid. d. 23. sect 3. n. 60. Gran* tamẽ id improbat & *Con.* apud *Dian. p. 5. t. 11. R. 50.* ait esse periculosum, & posse facilè frangi sigillum indirectè. Denique *Tamb. in app. c 3.* doctrinæ isti ne quidem ut probabili acquieuit, atque eam à *Dian. l. c.* immeritò vocari communem, cũ *Gran. Hurt. Palaus, Bunj.* &c. refragentur, aliterque limitans ipse ait: si isti defectus, v.g. esse blæsum,

rudem,

ndem, scrupulosum, &c. sint passim noti, non adere sub sigillum; secus, si sint ignoti: quia confessio immunis esse debet ab omni odio.

Resp. II Ad sigillum tenentur omnes, ad quos quomodocunque notitia sacramentalis confessionis pervenit: qualis est. 1. Confessarius qui si le auditis in confessione rogetur, potest negare, etiam si opus est, cũ juramento, subintelligendo, quod possit dicere, vel potius (ut dicit *C. Lugo d.* 13) quod sciat scientia utili, ad respondendum interroganti extra confessionem (excipit *Henriq.* & *Granad* cum *Dian. p. 5. t. 11. R. 43.* nisi ex illa negatione sequeretur confessionem non fuisse integram: v. g. si de publica meretrice rogaretur, an non esset confessa fornicationem: tunc enim declinando directam responsionem dicendum esse; illam confessam esse peccata sua, & se tunctum officio suo.) Imo si peccatum suum salvo sigillo non possit confiteri, debet omittere, quia sigillum strictiùs obligat, quàm integritas confessionis. 2. Superior cui se sistit absolutus à reservato, vel à quo petitur licentia absolvendi à reservato. *Suar. C. Lugo*, &c. contra, *Henr. Vasq. Con.* & *Palaum*, qui secreto tantum naturali teneri volunt. 3. Interpres. 4. Qui furtivè, vel casu aliquid audit, licet inculpatè. 5. Omnes, quibus aliquid sacrilegè revelatum est: unde de hoc nec inter se colloqui possunt. 6. Laicus, qui pro Sacerdote est habitus. 7. Doctor, vel alius, qui cum venia pœnitentis consulitur, ut habet communior sententia, contra *Vasq. v. Dian. part. 2. tr. 15. R. 15.* & Qui alterius rudis confessionem scripsit. 9. Qui scri-

scriptam invenit ac legit, ut docet *Rodriq. Fag. Mald. &c.* apud *Dian p 3 tr. 4. R. 112. & p. 5 t. 11. R. 27* contra *Suar. Bon. l. & Laym.* quorum sententia probabilis. Juxta quam, etsi talis teneatur secreto naturali, peccetq; mortaliter, si gravia ac diffamantia vulget: secus tamen, si sciens levia tantum esse, ea legat ex curiositate. Unde consequenter in casu gravissimæ necessitatis, talē confessionem scriptam liceret revelare, (excipit *C de Lugo*, nisi tamen per scripturam voluerit confiteri ut mutus, vel petere facultatem absolvendi à casu reservato. *v. d. 23. n. 48.*) 10. Etiam secundum aliquos, ipse pœnitens. Verùm probabilius est, eum tantū teneri secreto naturali, ratione materiæ, si ea id requirat, tacere audita à confessario, *v. Lay. Dian. p. 5. t. 11. R. 8.* Unde resolvet.

I. Extra confessionem, cum licentia pœnitentis, potest agi de auditis in confessione, sive cum ipsomet, sive cum quocunque alio, etsi periculosum sit *D. Thom. Suar. Præp. Tann. &c.* Circa quam licentiam requiritur 1. ut sit formalis & expressa; nam præsumpta, tacita, interpretativa, virtualis, (etiam in bonum ipsiusmet pœnitentis) non sufficit. *Fagund. p. 2. l 6. Tan Mald. & cæteri DD. commun.* 2. Ut sit libera ac spontanea, non vi, injuria, dolo, vel per preces importunas extorta, vel etiam per metum reverentialem ipsius Confessarii obtenta. *Henriq. Fagund. l. c. Dian p. 5. t. 11. R. 10 & 24.* 3. Non revocata: nam pœnitentem pro libitu, etiam sine causa, eam revocare semper posse, docet *Fag. & Dian ll. cc.* 4. Non opus esse ut habeatur in scripto.

pro *Suar. Fagund. ll cc.* Imò si dubium sit, an Confessor cum licentia locutus fuerit, Sacerdoti potius quàm pœnitenti credendum, ex *Graff & Henriq.* affirmat *Dian. l. c.* R. 4. vel etiam quam hæredibus: v. g. si ex licentia defuncti revelet restitutionē ab iis faciendam. *Tann. & Malder.* qui tamen monet, eo casu non esse dicendū, eam deberi ex delicto, sed solū, quod talib⁹ tantùm dari voluerit: satiusq; suaderi moribundis, ut talia secreto codicillo hæredibus injungant, *v. Dia. l. c. t. 32. 5.* Perinde esse sive ea licentia detur verbo, sive facto quod quidē æquivaleat expressæ confessioni; v. g. si pœnitens extra confessionē incipat loqui cū Confessario de dictis in confessione: tunc enim posse hunc prosequi docet *Averq. 18. s. 7. Tamb. in append. c 1 ex Bonac.*

II. Frangitur sigillum, si cum pœnitente, extra confessionem, sine ejus venia, agas de auditis in confessione, aut ea te scire ostendas. Quod vemputat *Sanch.* contra *Suar. & Laym.* etiamsi cum eo tractare velles de essentiali errore in ea commisso, quem illi significare, sine ejus venia non licere, docet *Regin. Fagund. Bonac. & alii* contra *Filliu, Turian. &c.* apud *Dian. p. 3. t. 4. R. 17.* Dixi, *extra*, quia intra confessionem potest fieri mentio præcedentiū, ut patet ex praxi confessariorum, qui ob recidivam arguunt & absolutionem aliquando negant. Ita *Henr. Prap. Gran. Mald. &c.* apud *Dia p. 5. t. 11. R. 20* ubi ipse cum *Fagund.* negat id licere sine expressa licentia pœnitentis, nisi de iis, quæ is iterum confitetur, vel saltem tangit. v *Dia, l. c. & p. 2. tr. 1. misc. 9. 12. & p. 9. tr. 11. R. 18.* III. Fra-

III. Frangit sigillum, qui dicit se in tali monasterio audivisse grave peccatum, tametsi non nominet personam : *Dian.p.5.t.11.R.35. & alii* cum *Malder.* Additq; graviter peccare eum, qui dicit in hoc vel isto Ordine Religioso hoc vel istud peccatū fuisse admissum, quod ex sola confessione novit, imò necde civitate vel certo loco, quo quis confessiones audivit, licere dicere, quod gravia fiant, vel talia & talia peccata committi soleant (nisi id aliunde constet) docet *Hurt. Kell. & Mald.* apud *Dian. l.c.* R.35. quia potest redundare in gravamē & infamiam ipsi⁹ communitatis, & fortè etiam civium in particulari, quando civitas non est ampla, & pœnitentes suspecti. atq; adeò confessio fieret illis odiosa, *v. Dian. l. c. &* R.36, ubi cum *Malder.* docet, Confessarium, qui paucos habet pœnitentes sibi subditos, (v.g. Moniales uni⁹ monasterii) scandalum dare, si coram illis concionetur de vitiis auditis in confessione: quia confessæ facilè suffunduntur pudore.

IV. Notitiâ in sola confessione acceptâ, nullo casu uti licet, si periculū sit revelationis, saltē indirectæ. Verū si nullum sit periculum, ut vel pœnitens, vel usus scientię innotescat, etsi probabile sit, licere uti ad alterius gubernationem, v.g negando suffragium ei, quem ex sola confessione scit indignū esse, vel claudendo ostium, per quod quis noctu ingreditur ad peccandum : item cognita proditione futura, monendo de diligenti custodia; impediendo clàm matrimoniū, quando scitur impedimentum, ut docet *Vasq. Henriq. Navar. &c.* Contrarium tamen verius videtur,

ur, quod docet *Fumus, Sanch. Cõn. Laym. Dian. p.* 5. *t.* 4. *R.* 76. *& p.* 5. *t.* 11 *R.* 3. & alii, quia hæc doctrina posset pœnitentem absterrere à confessione Et quidem superioribus religionum talis gubernandi modus prohibitus est, Anno 1594. cum in Societate Jesu jam ante idem statutum esset, prohibitumq; contrarium docere, *v. Dian p.* 4. *t.* 4 *R.* 202. Contra verò ad sui ipsius gubernationem licere ob casu eâ scientiâ uti, videri probabilius, v.g. abstinendo à calice, in quo scitur esse venenum, declinando à silva, in qua paratam sibi mortem sciat alterius latronis confessione, docet *Sylv. Henriq. Cõn. Laym. hic c.* 15. contrà *Suar. Dian. p.* 5. *t.* 11. *R.* 46. Excipit *C. Lugo*, nisi actio, vel omissio Confessarii inducat notitiam peccati, vel damnum afferat confitenti, contra *Cõn. di.* 9 *dub* 4. *&c.* qui putat licere, etsi inde mors pœnitenti immineret à locijs inferenda, *v. l c. num.* 108.

V. Deniq; facere aliquid ex quo soli pœnitenti innotescere possit, id fieri ex notitia confessionis, esse contra sigillum, negat *D. Thom. Bon. Sot. Vasq.* &c. affirmat *Sylv. Valent. Cõn. Dian. p.* 3. *t.* 4. *R.* 46. Ideq; confirmat *Fagund. Gran. Lugo & Averf. q.* 18. *s.* 8. si tale sit, quod pœnitenti ruborem, vel molestiam afferat, v.gr. si vultum ei austeriorem ostenderet, vel eum declinaret; secus si ei sit gratũ, vel saltem confessionem odiosam, aut difficiliorem non reddat; v.g. si audisset eum ad indignationem, aut odium provocatum, vel in tentationem incidisse ex certo facto; vel dicto ipsius Confessarii, indeq; ipse à talibus factis, vel dictis abstineat, &c.

## DUBIUM II.

### *Quale sit præceptum, & quæ obligatio confessionis?*

Resp. Præceptum confitendi, tum Divinum, tum Ecclesiasticum, sub mortali obligat omnes, ac solos baptizatos, qui habent mortale: illud in articulo mortis: hoc verò postquam ad annos discretionis pervenerint, & simul, ut confiteantur proprio Sacerdoti vel alteri, cum ejus venia, semel in anno, computando ab una confessione ad aliam ut quidam docent, vel ab initio Januarii, ad finem Decembris, ut habet communior, vel denique à pascha te ad Pascha, ut consuetudo ferè obtinuit, propter communionem, *Suar. d.35. s.2. Vasq. q.90. a. 2. Card. de Lugo, d.15. sess.3.4.6. & 7. Con d.5. dub.6.* Unde resolves.

I. Tenentur hoc præcepto, 1. Hæretici & Apostatæ, pueri doli capaces, saltem post septennium. *vid. Dian. p.4. tr.3. Res.52. Card. de Lugo, d.c.s.n. 144. & 149.* 2. Ingrediens periculosam navigationem, vel conflictum. 3. Mulier tenera primiparitura, vel quæ solet habere partus difficiles. 4. Reus morti adjudicatus. 5. Qui signa habet mortis naturalis.

II. Improbabile est, quod docet *Sa, V. Confessio*, Ecclesiam non obligare ante pubertatem, cum anni discretionis citiùs attingantur, & cõstet moraliter peccari posse sub annum nonum, vel decimum, imò ante. Unde si talis puer, crasso saltem

modo videatur cognoscere, Deum per hoc vel illud offendi, ostendatq; dolorem, & propositum, ac præcipua fidei mysteria cognoscat, debet absolvi: secus tamen, si non notetur sufficiens usus rationis, si verò dubiũ sit, potest, (imò in articulo mortis debet) absolvi sub conditione, *v. Lay. lib. 3. t. 6. c. 5. Dia. p. 4 t. 4 R. 53. & Card. de Lug l. c. & d. 7. n 22.* ubi docet, etiam extra articulum mortis, ob obligationem præcepti, talẽ esse sub conditione absolvendum, ne gratia sacramentali privetur,

III. Non obligatur, qui tantum habet venialia, etsi consuetudo habeat, & cogi etiam quisque possit, ut in paschate saltem se sistat Pastori, ut cum reliquis eum ad communionem admittat, ad quod Pastor tenetur, si alter dicat, se mortalis culpæ non esse conscium. *Suar, d. 36. l, c. & c. communiter.*

IV. Probabile est, eum, qui uno anno, sive cum, sive sine culpa sua, non satisfecit præcepto, teneri adhuc quamprimum potest, anno sequente: quia terminus non apponitur ad finiendam, sed ad nõ differendam obligationem. Ac proinde talem toties peccare mortaliter, quoties oblatam occasionem negligit; docet *Bon. d. 5 q. 5. s. 2. Suar Vasq. Card. de Lugo, l. c. num. 177.* contra *Sylv. Valent. Lay. Dia. &c.* qui dicunt perseverare in uno eodemq; peccato.

V. Satisfaciunt ii, qui confitentur Mendicantibus, etiam in paschate; quia hi habent facultatem à Sacerdote propriissimo omnium fidelium, & Pastore Pastorum. Ita *communiter omnes* contra *Glossatorem, & Auctorẽ Parochiani obedientis*, con-

tra quos *vide in Responsis Franciſci Fontani editis Viennæ Austriæ, Anno* 1634. allegatam auctoritatem duorum Conciliorum Generalium, Viennensis & Tridentini, 20. Pontificum, 50. Doctorum, & præter totius orbis consensum, multorum quoq; Parochorum, testantium, eos esse optimos Parochianos, qui Regulares adeunt, & ab iis instituuntur, *v. supra l. 3. t. 5 ea. 1. dub. 3.* Item *Nav. Azor. Fagund. Trull. l. 3. c. 4. d. 2. n. 6. Dia. p. 8. t. 1. R 88.*

VI. Non obligatur ante finem anni, qui habens mortale, timet ne illud obliviscatur, *Cón. Henriq. Card. de Lugo, d. 14. num. 41. & alii,* contra *Medin. &c.* Si tamen prævideret, se non habiturum occasionem confitendi deinceps toto hoc anno, deberet prævenire, etiam in medio anni. *Card. de Lug. disp. 15. s. 6. n. 182.*

VII. Non satisfit præcepto Ecclesiæ, per confessionem invalidam, ut docet *Suar. d. 36. §. 7. Filluc. Laym. Card. de Lugo, d. 11. s. 6. §. 5.* Nec per confessionem venialium, ut docet *Dian. p. 4. tr. 4. Resol. 206. ex Hurt & Mercero.*

VIII. Excusantur ab hoc præcepto, 1. qui physicè non possunt: v. g. quibus deest Confessarius. 2. qui moraliter non possunt: v. g. qui prudenter timent revelationem sigilli, vel qui non possunt sine notabili incommodo vitæ, fortunarum, &c. *Cón. Tamb. c. 4. §. 3.*

TRA-

# TRACTATUS V.

## *De Extrema Unctione & Ordine.*

## CAPUT I.

### *Quid sit Extrema Unctio, & quæ circa eam observanda?*

RESP. I. Est Sacramentum à Christo institutum, ad ægroto periclitanti de vita conferendam salutem animæ, vel etiam corporis, per unctionem olei benedicti, & orationem Sacerdotis. *S. Thom. in 4. dist. 23. q. 1. a. 1.* Unde resolves.

I. Materia ejus remota, est oleum benedictum, quod in pyxide chrismali signatur litera I. (in cujus defectu non licet uti chrismate; si tamen usus sis, nihil repetendum esse, docet *Laym. lib. 5. t. 8. c. 2. num. 3.*) idq; renovandum est quotannis in Cœna Domini, veteri exusto: si tamen novum haberi non possit, licet uti antiquo, *Lay. l. c.* & si hoc non sufficiat, aliud consecratum, vel in necessitate non consecratum, (in minore tamen quantitate, quàm vetus est) addere. Etsi *Dian. p. 6. t. 6. R. 44. ex Less. & aliis 4.* dicat contrarium habere praxin Ecclesiæ, ut scilicet paulatim & per vices (si ita requirat necessitas propter copiam infirmorum) longè etiam major quantitas addatur, quàm ab Episcopo fuerit consecrata initio, *Bon. d. 7. q. 1. n. 8. ex Possevino.*

II. Materia proxima, est unctio certarum partium corporis, ac saltem quinque sensuum; vel si mutilati sint, vicinarum partium, facta à Sacerdote; non simpliciter necessario contactu immediato manus, nam peste grassante uti virga oblonga oleo tincta, quam postea comburat, *Sylv. Chapeavill. Dian. v. Dian p.3. t.4. Resol.164.* Quidam etiam Doctores putant, unam tantùm unctionem esse de essentia Sacramenti, ideoque in periculo pestis, & simili necessitate, sufficere unum tantum organum magis obvium, vel potius caput, quod in eo sensus maximè vigeant, ungere, dicendo: *Per istam, &c. quicquid deliquisti per visum, auditum, gustum, odoratum, tactum, &c.* Et quidem pro hac sententia citantur varia Pastoralia, Agendæ, & Doctor. Lovan. *Sylvius in 3. part. q. 32. art. 2 Laym. lib. 5 tr. 8. ca. 3.* qui eam non omninò improbabilem, *Tan. & Marchant. in Horto Pastorum*, qui omninò probabilem, & in praxi usitatam. *Dian. part. 3. t. 4. Ress. 168.* qui in praxi tutam dicit, citansque pro ea, *p. 8. t. 1. R. 21. Gran. Amic. Aversam.* affirmat Pontificem id posse permittere, & deniq; *Escob.* (citans *Becanum c. 25. q. 7. n. 6.*) *& Barbosa in Tridentin. sess. 14. cap. 1.* id permittit. Verùm cum alii Doctores communiter repugnent, tutius saltem erit (quod suadet *Laym. & Dian. ll. cc.*) eo casu unum oculum, aurem, manum, narem, & os velociter sine crucis forma ungere, dicendo unicam formam, complectentem reliquas. Illud verò certius est, pedes aut renes inungere, non esse essentiale, imò quoad renes, non est decens, præsertim in fœminis; & viris religio-

sis

sis, ideoque omitti solet, *Henriq. Sa, Tolet. Suar. Bellarm. cap.* 10. *in fine.*

III. De essentia hujus Sacramenti est, 1. ut organa 5. sensuum, quæ inunguntur, nominentur. *Palaus t. 4. tr. 26. Aversa s. 4. &c. communiter.* Licet *Dian. p. 8. t. 7 R. 56. ex Regin.* contrarium censeat probabile; imò ad valorem sufficere, si inter ungendum omnes sensus dicas: *Per istas sanctas unctiones indulgeat tibi.* 2. Verba illa: *Per hanc sanctam unctionem*, etsi *Palaus l. 4.* dicat valere, si tantùm omittas τὸ *sanctam.* 3. Verba deprecativa: *indulgeat tibi Deus.* Hinc formam imperativam, v. g. *Per hanc, &c. remittatur tibi, quicquid, &c.* non valere dicit *Palaus l. c. Dian. loc. c.*

IV. Hoc Sacramentum tantùm dandũ est morti propinquis, ex morbo, vulnere, partu, vel senectute; quia hi soli sunt infirmi. Quod si morbo liberati rursus periclitentur, iterandum est; & quidẽ in diurnis morbis, quoties erit periculum novum; neq; expectandum, (sub gravi culpa, *Quintan. t. 5. s. 9.*) donec sensibus careant, vel omninò sint desperati. In dubio verò de vita, detur sub conditione, *Laym. l. c. ex S. Th. Sylv. Suar. d. 40.*

V. Si conferatur infirmo communi morbo, sive non graviter vel periculosè laboranti, non est validum, *Suar. Palaus, Gran. Amic. &c. comm.* Ac licet *Less. Wigers & Quint.* contrarium putent probabile; concedunt tamen sic inunctum iterum inungendum esse (etiam in eodem morbo) quando periculosè laborare cœperit, ob mutatum statum infirmitatis; additq; *Quint.* mortaliter peccatum fuisse, *v. Quint. t. 5. s. 7. Dia. p. 9. t. 6. R. 45.*

VI. Ad Sacramentum hoc cum fructu recipiendum in eo, qui rationis est compos, & conscius peccati mortalis (si non confiteatur) requiritur contritio saltem existimata; neq; sufficit attritio, *Bon. d. 7. q. un. p. 5. n. 2 ex Reg. f. 28. c. ult. a. 73.* Ordinariè autem, nisi obstet causa rationabilis, (v.g. si ob vomitum communicare non possit) præmitteda est confessio & communio, ob Ecclesiæ consuetudinem; quę unctionem tanquam minus necessariam ad salutē, proponit, v. *Bon. l. c. n. 13* Licèt autē per se loquendo confessio non necessariò præmittatur, cum per contritionem se disponere possit; per accidens tamen requiri potest, v.g. si post viaticum peccasset mortaliter, & timeretur post unctionem defuturum tempus confessioni; tunc enim prius audiendus & absolvendus esset; quia sacramenta magis necessaria tali casu prius sumenda sunt, *Fil. Barb. Dian. p. 5. t 3. R. 92.*

VII. Pueris habentibus sufficientem rationis usum ad peccandum, tametsi sacram Eucharistiam non recipiant, non rectè negatur extrema Unctio, cum inde nonnunquam salus ipsorum dependere possit, *Sua. 3 p. to. 3. d. 70 s. 1. Graf. Angl. Zamb.* apud *Lay. l. 5. t. 8. c. 4. n. 2*, qui Parochos quorundam locorum excusat per consuetudinem toleratam ab Episcopis, si dent pueris ante annum 14. vel 15. excepto casu necessitatis, quo puer, quem rationis usum consecutum esse constet, aliud Sacramentū ante mortem suscipere possit, v. *Chapeavill. t. 5. q. 17.* Ac licet Parochus in confessione cognoverit, puerum nunquam actualiter peccâsse, debere tamen illum inungere, contra *Nugn. & Sanc.* docet

*Suar.*

*Suar. Regin. Fill Côn. &c.* cum *Dian. p. 3. l 4. R. 181.* Si verò dubium sit, an puer usum rationis habeat, ungendus est sub conditione, *Dian. p 5. t. 3. R. 85. & Sanch. Samb. & Lugo.*

VIII. Minister, est solus Sacerdos proprius, sive Pastor; sine cujus venia, si extra necessitatem alius det, validum quidem est, sed graviter peccat. *Syl. v. Sat. Côn d. 9. n. 28.* & religiosus incurrit excommunicationem Papalem, *Suar. Regin. l. 18. n. 40.* Posse tamen Regulares hoc Sacramentum (uti & viaticum) in articulo mortis suis familiaribus ministrare, docet *Dian. p. 5. t. 3. R. 51. ex Marchino, &c.* In necessitate verò, ut si Pastor absit, vel dare nolit, nec superior possit adiri pro petenda licentia, licitè ministrat quivis non excommunicatus, aut suspensus; (etiam Regularis, ut contra *Gavan.* docet *Præpos. Henr. Fern. Gra. Dian. p. 5. t. 3. R. 82.*) censetur enim tunc Papa dare licentiam. *Laym. Regin. Suar. &c. l. c. Dian. R 176.*

IX. Sufficit Sacerdos sine ministro in necessitate, nec in ea fœmina adhibenda est, quod si tamen fiat, veniale esse docet *Quint. t. 5. s. 6.* In ea posset etiam unus unam, alius aliam partem inungere, pronunciando tamen formam illi unctioni respõdentem, *Bon. l. c. &c. comm.* Non tamen potest unus inungere aliquem sensum, & alius formam pronunciare: neque unus unum oculum, alter alterum. *v. Dian. p. 9. t. 7. R. 56.* Quòd si Sacerdos non possit progredi, supplenda erunt per alium, quæ restant, *Tan. Præp. Mærat.* qui apud *Dian. p. 5. t. 3. R. 87.* notat, licere etiam alteri unctiones ab initio repetere, perinde ac si prior nullam earum inchoasset.

X Etsi in administratione hujus Sacramenti servanda sint omnia præscripta in Rituali, Agenda vel Manuali; mortale tamen non esse, administrare in necessitate sine superpelliceo vel stola, docet *Quint.& Leand* conceditq; *Amicus* Et *Dian.p.8. t.1.R.79.* id excusat ab omni peccato, si infirmus non sit capax alterius Sacramenti, & ista haberi non possint, contra *Suar.Regin &c.* Imò etiam extra necessitatem non esse mortale. 1. Omittere Psalmos pœnitentiales, Litanias, & cæteras preces, docet *Pala.& Gran.* Dico, *extra*: quia in necessitate gravi, v.g. tempore pestis, vel morte imminente, statim ungendus est sine præmissis orationibus; quæ tamen postea supplendæ sunt, si supervivat infirmus. *Bon.d.7.p.6.n.8.* 2. Deferre ad ægrum, vel administrare sine lumine. *Leand.* citans *Posse v. Quint.t.5.s.13. Barbos.de offic. Parochi c.22.* 3: Si solus sine ministro administret: imò hoc in necessitate permittunt. T*olet. Sa, &c.v.Dian.p.9. t.6.R.36.* 4. Si ungat aliter quàm in formam crucis. *Suar.Bec.Laym.v.Dian.p.3 t.4.R 178.*

XI. Pastor ratione officii, tenetur sub mortali, dare iis, qui petunt, nisi justa causa excuset: etiam tempore pestis, modo possit absq; periculo vitæ; cum eo enim non teneri, docet *Tann.Dian.p.5.t. 3.R.93.* Si peste infecti sint confessi, posse sine peccato omitti, absolutè docet idem *Dian.p 3 t.4.R. 174.p.5.t.3.R.93.& 83.& p.8.t.1.* R.21. *ex Villalo, Tan. Amico, Franc.Lugo, &c. Suar.Fill.Con.Bon. Laym ll.cc.*

XII. Sacerdos curatus peccat mortaliter, si petentē negligat inungere, vel differat cum probabili

li

periculo, ne sine unctione moriatur æger, (nisi justa causa excuset) quia in re gravi non præstat id, ad quod tenetur ex justitia. Alius verò Sacerdos, si absente Parocho licitè & facilè possit; tenetur ex charitate, sed sub veniali tantùm: nisi tamen ægrotus valdè indigeret, v. gr. si alioqui sine omnibus sacramentis esset moriturus, quòd aliud nullū suscipere posset: tunc enim quidam graviorem obligationem agnoscere videntur, *v. Dian. p. 3. t. 4. R. 170. Laym. l. 5. t. 2. c. 7. n. 3.*

XIII. Parocho vesperi timenti ne noctu vocetur ad ægrum, non licet retinere domi sacrum oleum, ut vocatus possit venire expeditius. Licet venialem culpam in eo tantùm agnoscat, *Barbos. de Par. c. 22. ex Poss.* item *Quint. t. 5. s. 10.* ubi tamen à mortali non audet excusare eum, qui semper domi retineret.

XIV. Decens est, ut stuppa comburatur: quæ ad singulas unctiones nova adhibenda est, nisi aliud habeatur in Agenda, *Laym. l. c. Sa.*

Resp. II. Effectus ejus principalis est, roborare animam contra tentationes dæmonis in morte. Secundarius est, 1. Delere reliquias peccatorum. 2. Tollere pœnas restantes. 3. Aliquando etiam sanitatem corporis conferre, si expediat. *S. Thom. Sylv. Suar. d. 41. s. 1.* Unde resolves.

Hujus Sacramenti non sunt capaces, 1. Pueri, ante usum rationis; etsi sufficiat ea ætas, quâ possunt peccare, *Navar. Suar. l. c.* 2. Perpetuò amentes: aliis verò delirantibus, si ante petiverint, aut petituri fuissent, si cogitassent, aut ostenderint signū doloris, dari potest & debet. *Sylv. Henr. Lay.*

Et si tales unctioni resistant, ligandos esse, vel fortiter tenendos ait *Zambr.* apud *Dian.p.5 t.3.R.84.* qui cum *Barbos. de officio Parochi c.22.* dicit esse necessarium, quando phreneticus non potest aliud Sacramentum suscipere.

2. Muti, surdi, & cœci à nativitate sunt capaces, atq; adeò debent inungi propè organa sensuum, quibus carent: etsi exterius per illa non peccarint, potuerunt tamen peccare per interiores potentias, quibus illa respondent. *Posse v. Nald. Prop. Dian. p.5.t.6.R.11.*

3. Non suscipere hoc Sacramentum, per se loquendo, secluso que scandalo, & contemptu, non est peccatum mortale, *Suar. Laym. Tan. Escob. &c.* (multò minus peccant mortaliter domestici, si id non procurent.) Veniale tamen esse, docet *Con. di.19.dub.10.* contra *Nugn.v. Dian.p.3 t.4. R.170. p.8.t.1.R.58.& p.5.t.3. R.97.* ubi notat ex *Tann.* non censeri contemnere, qui sciens prudens omittit tempore apto, & oblata commoditate. Contrarium tamen vult *Tolet.* præsertim si probabiliter deinceps non sit futura commoditas.

(O)

CA-

# CAPUT II.

## *De Sacramento Ordinis.*

## DUBIUM I.

### *Quid Ordo, quotuplex, & quæ ejus materia?*

Resp. I. Ordo est Sacramentum, quo traditur, potestas circa Eucharistiam ritè administrandam. Ordines universim sunt septem, Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acoluthatus, Subdiaconatus, Diaconatus, & Sacerdotium. Quod rursus est duplex. Minus, & Majus, sive Episcopatus. Unde quidam octo numerant. Prima verò tonsura non est Ordo, nisi latè, sed tantùm dispositio ad ordines, per quam quis fit Clericus, & capax Beneficii Ecclesiastici, ac privilegiorum Clericalium. Ex iis tres posteriores dicuntur Majores, sive sacri, ob annexum votum solenne castitatis, (etsi ordinatus per gravem metum, vel nimiis blanditiis, & importunitate parentum, probabiliter eo non teneatur, nisi spontè ratificaverit, *Sanch. di. 29. Azor. Fill. lib. 10. c. 4. q. 3. Côn. n.* 150. *Bon de mat. q. 3. p. 9.*) reliqui Minores, quos cum *Vasq.* alii Sacramentum esse negant, alii cum *Bellarm. Côn. Fill &c.* communius & probabilius affirmant. Et quidem unum, vel perfectione ac fine, vel unitate attributionis. *v. Fill. tr. 9. cap. 1. Bon. d. 8. q. 1.*

Resp. II. Materia remota Ordinum, est aliquod instrumentum, traditum ordinandis, insignium potestatis spiritualis. Proxima est ejusdem traditio & acceptio. Cujus contractum physicum & immediatum, etsi non esse essentialem aliqui probabiliter doceant cum *Sa, Henr. Regin. Laym. Dian. tr. 4 de sacrament. num. 185. & aliis*, quos citat: contrarium tamen communius est, ac tutius, ut altera saltem manu tangatur; imò ex præcepto ad scrupulum vitandum; utraque manu; & quidem omnia, v.g. calix cum patena, hæc cum hostia, ut docet *Fill. v. Laym. l. 5. t. 9. c. 5. Bon. d. 8. q. 1. p. 3. vid. Dian. p. 8. t. 1. R. 40. & 42.*

Resp. III. Ostiarius ordinatur traditione clavium Ecclesiæ; Lector libri lectionum; Exorcista libri exorcismorum, Acolythus ampullarum vacuarum, vel saltem unius, & candelabri cum cereo extincto, quia ejus est præparare lumen, vinum & Aquam ad Missam, Subdiaconus traditione calicis vacui cum vacua patena superposita, quia illius est hæc ad Missam præparare; Diaconus impositione manus, & traditione libri Evangeliorum, quia ejus est catechizare, cantare Evangelium, & cum facultate Parochi prædicare, baptizare, Eucharistiam dare. *v. sup.* Sacerdos traditione calicis cum vino, & patenæ cum pane, addita forma, quâ datur potestas sacrificandi, deinde impositione manus, addita alia forma, quâ datur potestas remittendi aliis peccata, *v. Fill. t. 9. cap. 2. Regin. Bon. Dian. p. 3. t. 4 R. 186. 187. & 188. & p. 8. l. c.* Ex dictis resolves.

I. Po-

I. Potest Episcopus extra diœcesin suis subditis conferre primam tonsuram : quia non est ordo. *Bon. & alii.* 4. cum *Dian. p. 4. t. 4. R.* 143. contra *Sanch. Barb. &c.*

II. Quando dubium occurrit, an Ordo sit verè collatus, v. g. quia materia fuit dubia, iterari potest & debet sub conditione. Quando verò sunt rationes utrimque probabiles pro nullitate & validitate, ait *Dian p. 5. t. 3 R. 47. ex Gran* posse iterari sub conditione, imò debere, si sit Episcopalis vel Sacerdotalis: v. g. si Sacerdos vel Episcopus non tetigisset vasa sacra, aut illud instrumentum, in cujus porrectione imprimitur character. Excipit tamen Sacerdotem, qui immediatè tetigit patenam, sed non hostiam. Eum verò, qui non tetigit calicem & patenam, dum forma proferebatur, sed paulò post, posse quidem ad majorem animi sui quietem sub conditione iterum ordinari, non tamen esse necessarium docet *C. Lugo Resp. mor. l.* 1. *d.* 33. Rectè autem notat *Dian. l. c.* etiamsi quis timeat ne invalidè ordinatus sit, aut non recordetur se tetigisse sacra vasa, aut non tetigisse imaginetur, non illico iterandum esse Ordinem; cum sola oblivio vel timor non sufficiat ad prudens ac rationabile dubium, vel probabilitatem.

Resp. III Episcopus non potest ordinare nisi subditos vel ratione originis (si scilicet in ejus diœcesi sint nati,) vel ratione domicilii, ex voluntate ibi perpetuo habitādi; vel ratione beneficii in sua diœcesi existentis, *Dia. p. 8. t. 2. R.* 8. *Laym. Prap. &c. comm.* Quocunq; autem horum modorum sint subditi, licitè eos ordinat, ut habetur in *c. cum nul-*

*nullus,de temp.ordin.in 6.* & ex communi *Henriq. Leſſ.l.2.c.34.d.19* Unde reſolves.

I. Qui in una diœceſi eſt natus,in altera habet domicilium,in tertia beneficium, à quo vis trium iſtorum Epiſcoporum poteſt Ordines, vel dimiſſoriasaccipere. *Prap.q.1 a.14 Laym.l 5.t.9.c.9.Dian, p.8.t.2 R.8.& 9.*ubi cum *Averſa & aliis 3.* contra *Barboſ.*dicit,etſi ab uno eorum acceperit Ordinem unum,poſſe alterum ab alio accipere.

II. Poteſt quis ordinari ut originarius, ubi ipſe vel pater ejus eſt natus, *Barb.Zerola Averſa, & alii 9.* cum *Dian.p.8.t.2.R.12.* Non tamen poteſt ordinari ab Epiſcopo, in cujus diœceſi natus eſt fortuitò ; v.gr. quia mater ibi itineris vel negotiorum cauſa degebat : quia non contrahit ibi civilitatem originis , ſed ubi parentes domicilium habent, ibi enim natus eſſe cenſetur. *Sanch.& alii 8.*cum *Dian.p.8.t.2.R.11.* contra *Hurtad.*

III. Qui in diverſis Epiſcopatibus habet duo domicilia,in quibus æqualiter(etſi non mathematicè ) habitat,poteſt ab utriuslibet loci Epiſcopo ordinari: quia utrique eſt ſubditus ratione domicilii, *Prap.l.c.Sanc. Averſa,&c.* cum *Dian.p.8.t.2. R.14.*ejus tamen filius ab illo tantùm,in cujus diœceſi eſt natus. Quod ſi fortuitò extra utriuſq; diœceſin ſit natus,ab utrovis poteſt ordinari ; quia uterque cenſetur ejus Epiſcopus originis, cum non ſit potior ratio de uno, quam alio. *Prap.Dian.l.c.* Natus autem ex fornicatione , matris potius, quàm patris domicilium ſequitur. *Prap.Dian.l.c. R.18.*

IV.

IV. Qui plura habet in diversis diœcesibus beneficia, potest à quolibet illorum Episcoporum ordinari. *Garc. Prop. l. c. & c. Dian p. 8. t. 2. R. 25.*

V. Studiosi, qui in universitate habitant (etiam ultra decennium) animo redeundi in patriam, non contrahunt ibi domicilium, atq; adeò ab ejus loci Episcopo ordinari non possunt. Imò si ibi ducant uxorem, nec filii eorum: sicut enim is non dicitur Episcopus domicilii respectu patris; ita nec Episcopus originis respectu prolis, quæ natura fingitur in domicilio patris. *Dian. p. 8. t. 2. R. 15. & 17.*

## DUBIUM II.

### *Quæ requirantur in ordinando?*

Resp. I. Ad validam ordinationem requiritur, & sufficit, ut sit mas baptizatus. *S. Th. 3. p. q. 39. a. 2. Con. d. 20. dub. 10. Vasq. Fill. t. 9. t. 4. q. 2.* Unde resolves,

I. Incapax ordinum est, & quidem jure divino, 2. Fœmina, *Vasq Regin. Fill. l. c. 2* Hermaphroditus, in quo sexus fœmineus prævalet, *Fill. loc. c.* Quòd si autem in eo incipiat prævalere post ordinationem validam, non potest validè consecrare, vel absolvere, licèt characterem sacramentalem retineat, *C. Lugo, Resp. mor. l. 1. d. 31.* 3. Non baptizatus. *ibid.*

II. Validè ordinantur, 1. Perpetuo amentes, cœci, muti, privati manibus, etsi jure naturali sint inhabiles, 2. Irregulares, etsi jure Ecclesiastico sint in-

inhabiles,maneantq; ab eorum usu suspensi;3.Pueri in cunis, qui tamen ad castitatem non tenebuntur vi voti,nisi id ratificaverint.*Tol.Henriq.Azor.l.13 c.14 Bon.l.c.*

Resp.II. Ut Ordo licitè,& secundum jura Ecclesiæ ritè sumatur,aut non incurratur censura,requiritur in recipiente,præter statum gratiæ. 1.Ut non sit Neophyrus,vel infamis, vel Hermaphroditus,vel irregularis,suspensus,excommunicatus. 2.Animus clericandi. *Trident.sess 23.c.4.* sine quo, si primam tonsuram, vel Ordines minores accipiat,videtur peccare saltem venialiter (nisi justa causa excuset) quia fraus est levis, *v.supra l.4.tr. 2.d 1.a.3.* Similiter venialis inconstantia videtur, sine justa causa statum Clericalem deserere. 3.Ut sit confirmatus. *Trident.sess 23.a.3.* & quidem secundùm *Bon d.8.p.5.n.10.* sub mortali; secundùm *Sotum.& Côn.* sub veniali. 4. Literæ dimissoriæ (etiam pro prima tonsura) Episcopi proprii,sive originis,sive beneficii, sive domicilii. *vid.Diana p.3.t.4.Resol.194.* 5. Examen coram Episcopo de scientia necessaria ad usum cujusque Ordinis: nam *Trid.sess 23. c 4.* pro prima tonsura requirit, ut sciant fidei rudimenta: item legere & scribere: & de quibus probabilis sit conjectura, quod Clericatum elegerint, non sæcularis judicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstent.Pro Minoribus, ut linguam latinam intelligant. Pro Subdiaconatu &Diaconatu,cognitionem eorum quæ ad istos Ordines spectant. Pro Sacerdotio tantam scientiam,ut populum docere possit necessaria ad salutem, & administrare sacramenta.

6.Ti-

6. Titulus sustentationis, ut beneficii, vel patrimonii, vel paupertatis, ut in regularibus, *Trid. s. 21. c. 2. Bon.* 7. Ordo inter receptionem unius & alterius; cujus inversio, v. g suscipere Diaconatum ante Subdiaconatum, erit mortale; Episcopatus ante Sacerdotium, erit etiam invalidus. 8. Tempus, sic minores conferuntur quavis Dominica vel festo, & quidem tali, quòd ex præcepto Ecclesiæ celebratur etiam in foro, ut *Sylv. Az. Barb. &c. comm.* docent. Ac licet *Præpos. Fagund. Tann. Gavant. &c.* putent sufficere quodvis festum duplex in Ecclesia, eamque sententiam *Dian. R. 5. t. 13. R. 47.* vocet tutam in praxi: eam tamen ex decreto Urbani VIII. rejectam esse monet *C. Lugo t. 1. Resp. mor. d. 43.* Eosdem autem posse ex recepta Episcoporum consuetudine, etiam feria VI. vespere ante Sabbathum, quo omnes Ordines jure conferri possunt, notat *Dian. p. 2. t. 16. R. 28. ex Henriq. Regin. &c.* majores verò Sabbathis Quatuor temporum, & Dominicæ Passionis, ac Hebdomadæ Sanctæ. 9. Interstitia temporum. Sic majores non nisi post annum ab alterius susceptione conferri possunt, ex *Trident. sess. 23. c. 11. & 13. & 14.* in quo tamen Episcopus ob necessitatem, vel utilitatem Ecclesiæ, potest dispensare. Eodem tamen die, non nisi de licentia Papæ, duo Ordines majores possunt dari. Minores verò omnes, dispensante Episcopo, possunt dari eodem die; & si consuetudo sit, simul cum Subdiaconatu, *Navar. c. 25. Henriq. l. 10. c. 11. Vasq. Suar. Sa, V. Ordo Lay. l. 5. t. 9. s.* 8. 10. Locus, scilicet pro solenni collatione Ecclesia, pro privata, Sacellum. 11. Ætas, in

qua

qua ordinariè Episcopus non potest dispensare, & sic pro prima tonsura & minoribus, requiritur saltem septennium completum, licèt *Quintan. t. 6. s.* 21. contra *Sanch. &c.* putet sufficere inchoatum. Pro Acolytho annus 12. completus. *Fill. t. 9. c. 4. n.* 28. pro Subdiaconatu vigesimus secundus, pro Diaconatu vigesimus tertius, pro Sacerdotio vigesimus quintus, omnes incepti, pro Episcopatu trigesimus completus. *v. Bon. d. 8. q. 1. Fill. tr. 9. n.* 4. *Laym. l. 5. tr. 9. c. 6. &* 7. *Dian. p. 3. tr. 4. R.* 192. Si autem dubium sit, an quis ætatem requisitam habeat, v. g. pro Sacerdotio, an annum 25. ingressus sit, ordinari non potest. *Sanch. Laym. Bardi. d. 6. n.* 11 *p. 6. §. 2. v. supra l. 1. t. 1 c. 2. dub. 3.* Peccat autem tam ordinans, quàm ordinatus, si ordinetur, qui non habet qualitates requisitas.

*Quares* Quæ sint officia ordinatorum?

*Resp. 1.* Ostiarii est claves templi servare, aperire & claudere ejus januas; arcere eos, quibus non licet interesse sacris; campanas pulsare; quæ intra Ecclesiam sunt custodire; ei qui prædicat, aperire librum. 2. Lectoris munus est, legere in Ecclesia lectiones veteris & novi Testamenti; item docere catechumenos rudimenta fidei Christianæ. 3. Exorcistæ munus est, manus imponere supra vexatos à spiritibus immundis, ad illos adjurandos & ejiciendos, item ad exorcizandos catechumenos. 4. Acolythi munus est præparare ampullas vini & aquæ ad sacrificium Missæ, & porrigere Subdiacono, ferre cereos ad idem sacrificium, & illi ministrare, unde & ceroferarius dicitur. 5. Subdiaconi mun° est, immediatè subordinari Diacono

to ad sacrificium Missæ, calicem & patenam illi tradere, urceolum cum aqua præbere, aquam ad lavandas manus infundere, Epistolam ex officio & solemniter in Missa legere. 6. Diaconi munus est, cantare solemniter Evangelium in Missa, ministrare immediatè Sacerdoti in omnibus, quæ pertinent ad Missę sacrificium, vestire altaria, crucem ferre, & deniq; ex commissione Sacerdotis prædicare & baptizare. 7. Presbyteri munus est offerre Sacrificium Missæ, absolvere à peccatis, baptizare, benedictiones aquæ & similes facere, populum doctrina & exemplo pascere. *v. Escob. Exam. 8. c. 14.*

# TRACTATUS VI.

## *De Matrimonio.*

## CAPUT I.

## *De Sponsalibus.*

### DUBIUM I.

### *Quid sint Sponsalia?*

RESP. Sunt promissio voluntaria, deliberata, & mutua, signo sensibili expressa, futuri matrimonii, inter personas jure habiles.

Dicitur I. *promissio:* quia propositum non sufficit, cùm nō inducat obligationem. Unde qui dicet,

ret, *volote accipere, habere, aut ducere in uxorem*, non contraheret sponsalia, ut *Bon.q.*1.*p.*1. docet, ex aliis: quia hæc verba non promissionem, sed propositum promissionis tantum significant: nisi tamen ex circumstantiis aliud colligatur.

Dicitur II. *Voluntaria & deliberata*, scilicet deliberatione sufficiente ad peccatum mortale, cum sponsalia sub mortali obligent, *Dian.p.*3.*t* 4.*R.* 273. *ex Sanc. Pontio, &c.* etsi *Bon.q.*1.*p.*4.*n.*4. plus requirat. Unde regulariter non sunt valida ante septennium completum, ut docet *Con.d.*21.*a.*1. *Sanch.l.*1 *d.*16. nisi malitia & prudentia suppleat ætatem, *Dia t.*4 *p.*3.*R* 274. *Pontius, &c.* (quod tamen quidam negant sufficere, cum jus determinarit ætatem) imò nec potest septennium, si de usurationis sufficienti non constet; uti neque, si vi, dolo, errore, vel ignorantia circa substantiam, aut notabilem conditionem substantialem fiant, secundùm *dicta de Voto & Contractibus.*

Dicitur III. *Mutua.* Unde si Titius promittat nuptias Cajæ, & hæc acceptet sine repromissione, neuter obligatur, quia cum contractus sponsalium sit onerosus, & reciprocus, non potest claudicare; involvit enim conditionē, *si tu repromiseris.* Quòd si tamen Titii promissio fuisset absoluta, ac gratuita, & acceptata à Caja, solus Titius obligaretur, non vi sponsalium, sed simplicis promissionis. Ita *Sanch.lib.*3.*d.*3. contra *Pontium*, apud *Dia. part.*3. *tr.*4. *Resol.*244.

Dicitur IV. *Signo expressa*: quia contractus inter homines non fit nisi signo externo. Unde non sufficit ad sponsalia taciturnitas Cajæ, etiam cum con-

consensu interno in promissionem Matrimonii, quod Titius ei promittit. Si tamen pater, vel mater, pro filio, aut filia, aut Curator, pro eo, cujus curam habet, præsente & non contradicente (dummodo metus absit) contrahat, valida erunt; quia in hoc casu, jus accipit taciturnitatem, pro expressione consensus *Sanch. l. 1. d. 22. Dian. p. 3. tract. 4. R. 270* imò etiam si pro absente; saltem si iis resciens id, expresse vel tacitè signo aliquo sufficienti ratificet. *Sanch. Pont. Dian. p. 3. t. 4 R. 271* contra quos *Sot. & Henriq* ne hoc quidem requirunt, sed tantum ut resciens non contradicat. Quod *Cõn.* admittit, si per ipsos Tutores vel parentes iis proponatur, tunc enim si taceant, censeri consentire.

Dicitur V. *inter habiles*; id est, quæ & ætatem à jure præscriptam habent; & nullo impedimento prohibentur. *Vnde resolves.*

I. Quando verba, vel signa sunt dubia, in foro conscientiæ standum est intentione contrahentium, si de illa constet: in externo autem, communi intelligentia, & sensu verborum; ita tamen, ut potius inclinetur in favorem matrimonii, *v. Dian. p. 3. t. 4. R. 205. Bon. q. 1. p. 1.*

II. Verba de præsenti, inter impuberes, apta ad Matrimonium, (cum hoc ex jure positivo sit nullum) habent vim sponsalium. Ratio est ex interpretativa intentione contrahentium: quia actus, quando non valent eo pacto, quo fiunt, valent meliore modo, quo possunt; sponsalia autem virtute continentur in matrimonio. *Lay. l. c. n. 37.*

III.

III. Ad sponsalia non sufficit, 1. Si dicas, *non ducam aliam, quàm te*: quia sunt verba merè negativa, & potes ducere nullam. *Bonac. q.1.p.7.num.* 13. 2. Dicere, *contraham tecum, si Papa dispensaverit. Barbos. & alii* 10. cum *Dian.p.3.t.4.R.290.* contra *Sanch. Cón. & Pont.* ac proinde licitum est utrique contrahenti, ante & post impetratam à Pontifice dispensationem altero invito resilire Si tamen impensæ magnæ factæ sint causa dispensationis, eas tenebitur refundere resiliens. 3. Subarrhatio annuli, & missio munerum jocalium, nisi consuetudo patriæ aliud habeat. Ratio, quia potest fieri ex aliis causis. Quòd si tamen verba unius præcesserint, tunc immissio annuli, & verbum *recipio*, operatur sponsalia, vel etiam matrimonium, pro ratione promissionis, ut docet *Fill.* quia recipiendo sic annulum, tacitè consentit: itemque si habito inter amicos tractatu de matrimonio; sponsus misit arrhas, & munera jocalia, eaq; sponsa acceptavit, *Laym.l.5.tr.10.cap.2.* IV. Sponsalia metu gravi contracta, licet juramento firmata, sunt invalida: quia juramentum metu extortum non firmat contractum, imò probabiliter nec obligat, adeoque relaxatione non indiget. *Sanch. Barb. Dian.p.3.t.4.R.278. v. supra l. 3.t.2.c.2.*

## DUBIUM II.

### *Quæ & quanta obligatio Sponsalium?*

Resp. I. Obligant ad ineundum matrimonium, sub peccato mortali, si tamen terminus non sit præfixus, sufficiet, si promittens impleat, quando à promissario requiretur, vel pro more regionis. Ratio prioris patet ex natura contractus onerosi, in re gravi. Ratio posterioris est, quia id est commune omni debito, *Sanch. l.* 1 *d.* 18. *Con. d.* 22. *dub.* 1. apud *Dian. p.* 3. *t.* 4. *R.* 245. Pontius tamen *ibid.* vult obligari statim post contractum. *Vade resolves.*

I. Resiliens cogi potest ad matrimonium, etiam à Judice per censuras; quod tamen rarò expedit, ob periculum infelicis exitus.

II. Si Judex secundum allegata & probata cogat ad matrimonium, licèt à parte rei revera coactio sit injusta, valet matrimonium, *Sanch.* & *M. Perez* contra *Texed.* apud *Dian. p.* 9. *t.* 8. R. 26.

III. Fornicatio sponsæ, est circumstantia in confessione exprimenda, quia mutat speciem, & constituit injustitiam: quæ in sponsa gravis, ideoque mortalis habetur, ut si quis rem alteri promissam notabiliter corrumpat; quod tamen sponsus non censetur facere fornicando, cum in viro fornicatio non tantum æstimetur, nisi aliud accedat, *Sanch. l* 1. *d.* 2. *Con Fagund Fill. &c.* probabiliter contra *Laym. Azor &c. v. Lugo d.* 16 n. 176.

IV. Qui simulato animo promisit, per se loquendon, on obligatur ad nuptias, tametsi damnum creatũ debeat resarcire. Dixi *per se*: quia si facta promissione puellam induxit ad copulam, tenetur illam ducere, *Bon. l. c. cap. 2.* Ubi excipit, si puella longè inferioris conditionis, (v.g. quoad nobilitatem, vel divitias) tunc enim non tenetur ducere, (v.g. virum nobilem filiam agricolæ) præsertim si illa fuerit conscia disparis status, seu conditionis, eò quòd tum decipi potius voluerit, quàm decepta sit, unde nec teneri eo casu illam dotare. Secùs tamen, si ipsa inæqualitatem status ignoravit, aut si ipse non fictè sed ex animo Matrimonium promiserit. Ita *Bonac. q. 1. p. 3. num. 7. & seq. ex Vasq. Mol. d. 106. Sanch. lib. 1. d. 10. v. Less. l. 2. c. 10. d. 3. Laym. c. 1. num. 10. & Mart. Perez. d. 2. s. 3.*

V. Sponsalia posteriora contra priorem fidem inita, tametsi jurata sint, aut copula etiam accesserit, sunt invalida, *Sanch. & Villal.* contrarium tamen tenet *Con. & Pont.* cum *Dian p. 3. t. 4. R. 210.* matrimonium tamen post sponsalia contractum cum altera, est validum, licèt injustum; *Bon. p. 5. & 7. Laym. c. 1. n. 5.*

VI. Liberi, qui parentibus insciis contraxerunt sponsalia, etiam cum iis, qui imparis sunt conditionis, v.g. ignobilis cum nobili, licèt peccarint, tamen obligantur: nec à parentibus possunt impediri, quò minus servent fidem datam, *Laym. l. c. num. 12. ex S. Thom. &c.* nisi scandalum magnum ex matrimonio timeretur. *Dian p. 9. t. 7. R. 71. ex Molin. Sanch. &c.*

VII. Re-

VII. Resiliens culpabiliter à sponsalibus perdit suas arrhas, & tenetur ad alterius partis reddendas, ac ad restitutionem; quanti ejus intererat talem contractum impleri.

Resp. II Ubi Tridentinum non est receptum, sponsalia jure antiquo transeunt in matrimonium, per quævis signa externa, maritali affectu exhibita, v. g per copulam. Dico, *ubi Trid. &c.* quia ubi hoc receptum est, hæc signa non tegent, si sint clandestina; ideoque graviter in iis peccari potest. *Vnde sequens Casus resolvitur.*

Sponsis non licent tactus impudici, cum proximè disponant ad copulam, & pollutionem; etsi liceant amplexus & oscula, in signum amoris. *Sanch l. 9. d. 47. v. Dian. p. 2 t. 17. R. 6. & t. 1. misc. R. 31. & p. 4. R. 131.*

## DUBIUM III.

### *Quomodo dissolvantur Sponsalia?*

Resp. Dissolvuntur sequentibus casibus. 1. Per matrimonium validum cum alia initum, *Bon. p. 7.*

II. Per mutuum consensum, sicut quivis contractus. *Laym. c. 2. n. 8.*

III. Si superveniat impedimentum dirimens matrimonium. *Bon. p. 8. n. 5.*

IV. Per atrox crimen alterius sponsi, solvuntur ex parte innocentis: quale censetur 1. Fornicatio, sive spiritualis, ut hæresis, sive corporalis, tam sponsi, quàm sponsæ, post sponsalia, & sponsæ etiam ante illa, sed à sponso ignorata, licet

per vim facta. *Bon. p.* 8. Imò si sponsa permittat se tangi impudic ab alio per oscula & amplexus, potest sponsus resilire à sponsalibus; sed non vice versa: quia etsi sponsus id faciat, non est dedecus sponsæ, nec mutatio alicujus momenti. *Regin. Sanch. Dian. p.* 3. *t.* 4. R. 283. Limitat autem *Con.* & *Laym.* nisi talia oscula & tactus sint ita frequentes, ut indicent valdè propensum sponsi animum in alteram, ut meritò timeri possit, ne sponsæ non sit fidem servaturus. Si autem uterque sponsus fornicetur post sponsalia, neutrum posse resilire docet *Palaus & Bon.* contrà *Con. Regin. Sanch. Laym. Pont.* qui soli viro id eò casu permittunt, eò quod delicta sint impatria, & longè gravius damnum immineat ipsi propter incertitudinem prolis, *Dian. l. c.* R. 284. 2. Furtum grave, homicidium, &c. vel simile, quod grave damnum, vel infamiam pariat, *Bon. p.* 8. *n.* 12.

V. Si notabilis mutatio accidat, vel detegatur, quæ si à principio cognita fuisset, à sponsalibus deterruisset; qualis esset, v.g. 1. Inimicitia, vel odium grave inter sponsos. Quo refertur morum asperitas, vel sævitia, post sponsalia primum cognita: item justus timor, ne ex matrimonio scandala, & gravia odia nascantur inter parentes, vel consanguineos, *Laym. c.* 1. *n.* 78. *Bon. p.* 8. *n.* 8. *&c.* 2. Si alteruter incidat in lepram, paralysin, morbum Gallicum, &c. si graviter mutiletur, ut amissione oculi, nasi, vel aliter graviter deformetur, præsertim sponsa vel sponsus reddatur in-

pua

pus ad opificium exercendum, vel acquirendum officium, ad sustentationem familiæ necessarium, *Dian. p. 3. t. 4. R. 85. ex Sanch. l. 1. d. 57. Con. d. 23. dub. 8. Lay. & Bon. ll. cc.* Non tamen tenetur sponte aperire tales defectus, qui reddant nuptias minus quidem appetibiles, non tamen pernicioſas, præsertim si aliquam infamiam habeant adjunctam, (v.g. si sponsa vi, vel sponte fuisset corrupta) dummodo tamen contrarium positivè verbo factove non simulet, potestque interrogatus licitè dissimulare, & contrahere matrimonium. Si verò defectus sint pernicioſi, v.g. morbus contagioſus, gravis infamia, sive personalis, sive generis aut familiæ, non licet (etiamsi post sponsalia contracta in eos inciderit) contrahere cum eorum ignaro, nisi similes defectus ipse patiatur, *Con. Pont. Dian. p. 5. t. 4. R. 28.* ubi *ex Con. & San.* contra *Pont. Navar. &c.* infert sponsam post sponsalia corruptam posse sponsum defectus istius occulti ignarum cogere ad standum sponsalibus, & contrahendum matrimonium. 3. Si magna alterius debita detegantur, vel grave sit periculum fortunarum, famæ, morbi, paupertatis, &c. vel sponsa dotem promissam afferre nequeat, vel denique si sponsus incipiat vagari cum incommodo sponsæ, *Bon. l. c.* Quod si autem defectu sponsæ detecto dubitet sponsus, an, si eum ab initio cognovisset, contracturus fuisset, tum si defectus ille censeatur gravis ac notabilis, præsumetur pro sponso, cui liberum erit resilere. *Sanc. Bon Tan.*

cred, t. 2. l. 1. d. 65. secus si defectus sit levis. Bart. l. 6. c. 11 p. 7.

VI. Si alter sine alterius licentia proficiscatur in terram longinquam; quia censetur renunciare suo juri, *Laym. l. c. Bon. p. 6.*

VII. Si sint inita cum conditione, certo tempore contrahendi matrimonium, liberatur obligatione is, per quem non stetit, quò minus sit contractum *Lay. n. 16:*

VIII. Solvuntur, licet sint jurata, per susceptionem ordinis sacri, vel ingressum alterius in religionem, aut votum eam ingrediendi. *Laym. l. c. Bon. p. 5.* Nec obstat, si hic postea ad sæculum redeat, ut docet *Sanch. l. 1. d. 24.* licet *Prassow, Fill & alii* putent, talem ex parte sua prioribus sponsalibus teneri, uti etiam ad damna resarcienda sponsæ, si quæ passa esset. Unde non posset ingredi religionem, si sponsam defloraſſet, nec aliter quam per matrimonium posset resarcire damnum, *v. Dian. p. 3. t 4* R. 207. *Bon. l. c.*

IX. Probabile est, solvi etiam per votum simplex castitatis; ut docet *Suar. Azor. alique*, cum hoc sit de meliore bono; etsi contrarium doceant *Fill. Sanch. n. 8. & alii*: eò quòd Deus non acceptet promissionem rei alteri promissæ, & in alterius præjudicium. Unde etiam in foro externo talis solet compelli, ut vel fidem servet, vel intret religionem. Interim post tale votum alteri præstatur jus sponsalia solvendi, eò quod vovens recesserit, & cēseatur juri suo renunciasse, *v. Bon. p. 5. n. 13.*

X. Per matrimonium validum dissolvitur saltem quoad eum, qui non contraxit matrimonium;

tium; quoad eum verò qui contraxit, non extingui obligationem, si alter exspectet, sed suspendi, & matrimonio isto soluto teneri ad implēda sponsalia priora, docet Pont contra Sanch. qui vult omnino dissolvi, *v. Dia. p. 3. t. 4. R. 209*

XI. Si sponso nova superveniat hæreditas, ita ut illi sponsa jam sit inæqualis, non habet ideo ius resiliendi: quia non est deceptus in conditione sponsæ, in qua nulla facta est mutatio. Idē est de sponsa, si ipsi hæreditas nova superveniat, *Sanch. Con. Regin. Dian p. 3. t. 4. R. 286.*

Resp. II. In supradictis causis, quando manifestæ sunt, non requiritur authoritas Judicis ad dissolvenda sponsalia, alioqui requiritur. Quod si sponsus cognito suo jure resiliendi, nihilominus carnaliter cognovit sponsam, censetur tacitè suo juri renunciasse, & sponsalia ratificasse, *Lay. t. 2. n. 23.*

# CAPUT II.

## *De Matrimonio secundum se.*

## DUBIUM I.

### *Quid sit, quæ ejus materia, forma, & minister?*

RESP. Est Sacramentum inter baptizatos, quo vir & mulier sibi mutuo legitimè corpora sua tradunt ad perpetuam vitæ societatem, usum prolis suscipiendæ, & remedium concupiscentiæ. Materia ex qua, & proxima, est mutuus con-

sensus, externis signis expressus, quatenus habet rationem traditionis. Forma autem est idem consensus, quatenus habet rationem acceptationis, *Suar. t.3.d.2.s.1.a.1 Sanch. Vasq.* Minister, non est Sacerdos, sed ipsi contrahentes, quia hi ponunt materiam & formam. Porrò matrimonium dicitur ratum, quando contractus est factus, etsi non sit secuta copula carnalis. Consummatum verò dicitur, quando ea secuta est. *Vnde resolves.*

I. Validè & licitè contrahi potest cum pacto continentiæ, sine intentione prolis, & remedii concupiscentiæ. Ratio, quia non pugnat cum essentia Matrimonii. Et patet exemplo B. Virginis, & S. Josephi.

II. Non videtur licitum, contrahere tantùm propter voluptatem carnis, vel vanitatem, quia finis debet esse honestus. *Nav. c.22.n.79. Sanch. l.2.d.29.q.3.*

III. Licitè contrahitur in remedium concupiscentiæ, (nihil aliud intendendo) modò proles positivè non impediatur: hoc enim sub mortali non licet, *Con. d.25.d.2. num.16. Pontius l.c.21. Hurt d.4. Perez d.18 s.7.n.6 ex 1.Cor.7.* Hinc etiã conjuges possunt abstinere ab usu conjugii, & optare, ne plures accipiant liberos, quàm possint alere, dummodo, ut dixi, positivè non impediant nec aborum procurent, *Perez l.c Bon.q.4. p.1.n.12. Nav.c.16. &c.*

IV. Licitè etiam contrahitur ob fines honestos extrinsecos, fini intrinseco Sacramenti (qui est mutua animorum conjunctio, & conjugum sancti-

ſanctificatio) non contrarios, v.g. ad pacem inter regna; vel illuſtres familias componendam, vel ſplendorem familiæ conſervandum. Ita contra *Sanch.* & *Sylvium* docent *Præp. Pont. Gaſpar. Hurt. Dia. p. 3. t. 4. R. 219. Mart. Perez. d. 18. ſ. 7. n. 7.* ubi cum *Dian. l. c.* etiam permittit, ob divitias nobilitatem.

V. Validè, ſed illicitè, contrahitur cum intentione negandi debitum, vitandi prolē, vel etiam non educandi, mœchandi, &c. niſi tamen talis intentio in pactum deducatur, id eſt, niſi adjiciatur tanquam conditio obligans ad aliquid contrarium eſſentiæ matrimonii. Unde invalidè contrahit, qui vinculum matrimonii vult tantū durare per annum, vel reſervat ſibi poteſtatem adulterandi, vel non reddendi debitum debitè exigenti, *vid. Perez ſ. 6 & c. ll. cc.*

VI. Contrahentes ut non peccent, debent eſſe in gratia, etiam tunc, quando per procuratorem contrahunt; quia verum Sacramentum ſuſcipiunt, licet dormiant. Secus eſt de procuratore, per quem contrahunt, uti & de Sacerdote copulante; quia nec ſuſcipit, nec adminiſtrat Sacramentum, ſed tantùm ut teſtis aſſiſtit, *Card. de Lugo de ſacram. d. 8 ſ. 9 n. 155.*

VII. Conjux habet poteſtatem in alterius corpus, ſed non ad exercendam libidinem, generationi adverſantem.

VIII. Requiritur conſenſus de præſenti, verbo, ſcripto aut nutibus expreſſus: ſufficit tamen exprimere per alium, ut ſi parentes pro filiis contrahant, his tacentibus *vid. Dian. p. 3. t. 4. Reſol.*

272. Sufficit etiam 2. si alterius consensui præcedenti, & non revocato, alterius accedat. Unde si quis coram Parocho non verè consenserit, satisfaciat consentiendo postea, *v. Dian. l. c.* R. 192.

Quæres. An sufficiat consensus conditionatus?

Resp. I Sufficit conditionatus, sub conditione de præterito, vel præsenti, stante conditione, quia tunc contractus non suspenditur.

Resp. II. Sufficit sub conditione necessaria de futuro, dummodo contrahentes nō intendant suspendere tantisper consensum, v.g duco te, si cras sol oriatur. Item sub conditione de futuro impossibili, v. g. Si cœlum tetigeris, vel de futuro turpi, modo non repugnet substantiæ matrimonii, & consensus sit absolutus, v.g. si patrem occideris. Ratio, quia tales conditiones habētur pro non adjectis, *Sanc l. 3. d. 15. Mol. Fill Less. l. 2. c. 18 d. 15. Lay Bon.*

Resp III. Non sufficit sub conditione de futuro, quæ sit contra substantiam obligationis matrimonialis, v g. si prolis generationem impedire velis maleficio, vel victum comparare adulterio Patet ex *C. Fin de condit. v. Sanch. l. 5. d. 10. Con. d. 29. dub. 3. Fill.* &c.

Resp. IV. Consensus sub conditione honesta de futuro est contractus sponsalium tantum, & nō Matrimonii Quia hic debet esse de præsenti. Ob quam rationem non incipiet validari matrimonium sine novo consensu, postquam conditio impleta fuerit, ut docet *D. Tho. cum aliis* apud *Sanch.* etsi *Fill. Laym.* & *alii quidam* putent, contrarium esse probabile, eo quod contractus cele-

celebratus sub conditione honesta futura, hac impleta purificetur. Quod concedit *Bon. q. 2. p. 10. n. 20.* si contrahentes in eodem consensu manserint, saltem virtualiter.

## DUBIUM II.

### *De Vsu Matrimonii.*

### ARTICULUS I.

### *An usus matrimonii, sive actus conjugalis sit licitus?*

Resp. Per se est licitus & honestus. Quod est, de fide, & patet ex 1. Cor. 7. *Vxori vir debitum reddat.* Per accidens est illicitus in sequentibus casibus.

I. Si matrimonium à parte rei sit nullum: quod tamen si uterque ignorat, non peccat, nisi materialiter. Si uterq; vel alter id certò sciat, non potest, quocunque etiam periculo proposito, uti matrimonio. Unde si non potest sine periculo vitæ aut famæ, detegere impedimentum, nec sperare dispensationem, debet vel ingredi religionē (si necdum consummavit) vel fugere, vel petere divortium, ob conjugis sævitiam, v. g. vel adulterium, si tale sit, vel certè omnia incommoda patienter sustinere. *Bon. q* 8. *p.* 8. *n.* 16.

II. Si matrimonium sit dubium. Et quidem si alter tantum dubitet, is non potest petere debitum: reddere tamen tenetur, cum alter habeat jus petendi. Si uterq; dubia fide contraxit, vel dubitat de ejus valore, neutri petere aut reddere licet

ante veritatis indagationem, *Vasq. Sanch. Dian. Bardi. d.6.c.11 p.7.§.3.* Secus post eam *Bon. q.4. p.4.v supra l.1.t.1.c.2.d.3.*

III. Si fiat cum gravi periculo vitæ, aut sanitatis. Nisi tamen sit causa gravis, cui damnum corporale videatur postponendum v.g. periculum incontinentiæ in se, vel comparte. *Bon.p.6. n.8. M Perez d.50 s.4.n.5.*

IV. Si fiat pravo fine, v.g. tantum voluptatis causa. Quod tamen Doct. communiter; ut *Sanch. l.9.d.11. Bon.q.4.p.6.* censent esse tantùm veniale, contra *Pontium*, qui vult esse nullum: nullum autem erit, si delectatio non quæsita sentiatur, vel ad eam se excitent, quando copula debita redditur. *Sanch.l.9.d.11.&c.* vide etiam *Dian.p.3.t.4. R.216. Bon.p.6.M.Perez.d.49.s.2.n.6.*

V. Si exerceatur mente adultera, ut si dum accedit ad suam, imaginetur aliam, ut animum pascat, quod est mortale, *Sanch. Bon.p. 6.n.7.*

VI. Si fiat modo indebito, v.g. 1. Si non servetur vas naturale: quod multi docent esse veram Sodomiam, alii esse grave peccatum contra naturam. *v.6.præcep.* 2. Si sine justa causa situs sit innaturalis, præposterus, &c. quod aliqui nicunt esse mortale, alii secluso periculo effusionis seminis, veniale tantum, etsi grave, & graviter increpandum *Dian.p.3.t.4.Res.204.* 3. Si alter conjugum ex morositate, vel alia ratione seminationem cohibeat: quod quidam generatim dicunt esse mortale, quia finis actus conjugalis, scilicet generatio impeditur: quidam tamen, ut

*Prop.*

rap. & Sanch. dicunt in fœmina nullum esse, v. Bon. p 6. n. 15. & p. 1.

VII. Si loco indebito, v. g. sacro, qui inde violetur, vel in loco publico.

VIII. Si absque urgente causa fiat tempore indebito, 1. In magna solennitate, ut Paschæ, vel pridie communionis, v. Perez d. 49. sect. 3. 2. Quãdo uxor est gravida, saltem si sit periculum abortus, Nav. Syl v. Sanch. Con Fill. n. 337. Hoc enim si non sit, non erit saltem mortale: quod enim tunc fine suo frustretur semen, non sequitur per se ex actu. Unde Diana p. 3. tr. 4. R. 204. & Con. d. 34. dub. 9. nullum peccatum agnoscunt. 3. Quando uxor laborat fluxu menstruo. Quod tamen non esse mortale, contra Azor docet Sanch. l. 9, d. 21. num. 2. Imo aliqui apud Dia. l. c. ut Pontius l. 10. c. 11. & c. 14. n. 5. & 6. docent, nec veniale esse, si periculum urgeat, quod Sanch. l. c. docet esse probabile, additque Mart. Perez, si ob finem honestum fiat, nullum esse, & teneri reddere uxorem, si maritus exigat, v. d. 49 s. 3.

Ex dictis casibus consequenter resolvitur, licitum esse uti matrimonio 1. prolis causa, etsi hæc non necessariò debeat intendi, dum exercetur: dummodo positivè non impediatur: imò etiam aliquando simplici affectu licitè excludatur, v. g. à paupere, ne nimium prolibus gravetur. 2. ad vitandum periculum incontinentiæ in se, vel comparte, M. Perez, d. 40. s. 2. ex Con. Pont. Hurt. &c. contra Sanch. qui vult esse veniale, nisi tamen stimuli carnis aliter sedari non possint. 3. Valetudin

dinis causa, vel propter alios fines extrinsecos: quia honestum ex natura sua, & relatum ad unum finem, licitè refertur ad alium isti non repugnantem, ut docet *Sa, Con. Laym. l. 5. t. 10. c. 4. M. Perez d. 49. s. 2. n. 4. v. Dian. p. 2. t. 4. R. 218.* Solus tamen sanitatis causa uti, probabile est esse veniale, ut docet *S. Thom. Henriq. Lay. l. t.* contra *M. Perez &c. ll cc.*

Quæres. An, & quando liceant tactus, aspectus, & verba turpia inter conjuges?

*Resp.* Tales actus per se iis licent: quia sufficitus est finis, etiam licent media; & cuilibet consummatio, etiam licet inchoatio. Unde iis talibus naturam excitant ad copulam. Quod si verò seperatim, & sine ordine ad copulam, v. g. voluptatis causa tantum fiant, sunt venialia peccata cò quod ratione status, qui illos actus honestat, habeant jus ad illos. Nisi tamen, ut fere contingit, sint conjuncti cum periculo pollutionis; aut conjuges habeant votum castitatis: tunc enim sunt mortalia, ut dictum *supra l. 3 t. 4. c. dub. 4. Dian. p. 3. t. 4. Res. 204. & 216.* Unde resolves,

I. Conjux venialiter tantùm peccat, 1. Tangendo seipsum ex voluptate, & tactum nonita expresse referendo ad copulam, ut contra *Vas.* & alios probabiliter docet *Sanch. l. 9. d. 44. n.* 2. Oblectando se venereè, sine periculo pollutionis, de actu conjugali cogitato, dum abest compars, vel actu exerceri non potest *Fill. Lay. Tannerus. Mald.* cum *Dian. p. 3. t. 4. R. 224.* contra *Nav. Azor. &c.*

II Pec-

II. Peccat graviter, 1. Vidua, quæ se venereè oblectat de copula olim habita; quia est illi illicita per statum. 2. Bigamus, qui in actu conjugali cum secunda exercito, repræsentat sibi priorem, & de ea carnaliter delectatur: quia est permixtio cum aliena, *Laym, l. 1. t. 9. c. 6. v. supra l. 3. t. 4. c. 2, & l. 5. c. 1. d. 2. a. 2.*

## ARTICULUS II.

### *An actus conjugalis sit præceptus, & debitus?*

Resp. I. Etsi conjuges nulla lege obligentur ad usum matrimonii, renentur tamen per se ex justitia sibi reddere debitum, si alter ab altero expresse, vel tacitè, verecundia scilicet obstante, petat. Ratio prioris est, quia non tenentur uti suo jure. Ratio posterioris sequitur ex natura contractus mutui *S. Thom in 4. d. 32. q. 1. a. 2. &c communiter ex 1. Cor. 7. Vnde resolves.*

I. Neuter renetur, per se loquendo, ad petendū debitum, etsi per accidens aliquando teneatur, vel ex charitate, v. g. ad avertendum periculum incontinentiæ imminens conjugi. *Mart. Perez d. 50. s. 2. n. 4 & 5.* vel ex justitia legali, eò quod salus publica periclitetur, nisi proles nascatur,

II. Conjuges tenentur ad cohabitationem, nec potest alter ab altero invito diutius abesse, sine necessitate: quia hæc obligatio sequitur ex obligatione reddendi debitum, *Sanch. l. 9. d. 4. Con. d. 34. d. 2. n. 19. Perez d. 50. s. 3.*

III. Pec

III. Peccat mortaliter, qui conjugi seriò & instanter petenti debitum negat; quia est res gravis, & debetur ex justitia: intellige, nisi petens, precibus, aut alia ratione honesta, averti possit, & petitio non sit immoderata, (nã si sæpè petenti semel vel bis negetur, citra periculũm incontinentiæ, videtur esse tantum veniale, ob levitatem materiæ: & aliquando, si nimis immoderatè & justo sæpius petat, nullum secundum *Perez. d. 50. s. 4.*) nec sit alia justa causa negandi, *Bon. q. 4 p. 1. ex Sanch. Fill. &c.* Justam autem (secluso periculo incontinentiæ utriusque) esse censet *M. Perez. l. c. n. 6.* si plures nascantur filii, quàm possint alere.

IV. Peccat graviter vir, vel mulier, si se impotentem reddat, etiam mediis alias licitis v.g. jejuniis, &c. invita comparte. Imò si aliter non possit reddere debitum, licitè non observat jejunia Ecclesiæ, sicut & uxor, si notabiliter iis fiat deformior. *Bon. loc. cit Sanch. l. 9. d. 3. num. 11. Regin. Con. Fill. n. 306. &c. Perez. d. 50. s. 2.*

V. Conjux tenetur reddere debitum, quamvis illicite petenti, si redditio hic & nunc non sit illicita, v.g. petenti voluptatis causa, vel ligato castitatis voto, vel die festo, &c. *v. Sanch. l. 9. c. 6. Pont. l. 9 c. 3. Con. d. 34. dub. 6 Perez. d. 50. s. 5.* Quia malitia alterius non dat illi jus negandi quod suum est. Non tamen tenetur reddere petenti, sine gravi causa, modo innaturali, vel in loco publico, vel sacro, &c.

VI. Non tenetur reddere. 1. Si alter alteri debitum remiserit, v.g. si consensu mutuo voverint casti-

castitatem, vel auctoritate publica celebrarint divortium. 4. Si petens sit amens: quia talis non est capax usus dominii, nec petit cum ratione, & humano modo. Quod etiam valet in ebrio. Simpliciter tamen uti petere, ita & reddere licet, tam ebrio, quàm amenti, nisi esset pericum fœtus enecandi. *Nav. c.* 16. *Sylv. Laym. c.* 1. *n.* 9. 3. Si alter mœchatus sit; quia frangenti fidem, fides frangitur eidem, nisi tamen ipse quoque sit adulter, vel causa adulterii.

VII. Etsi is, qui matrimonio contracto, sciens prudens voluntariè cognovit consanguineam uxoris in primo vel secundo gradu, non possit petere debitum, tenetur tamen reddere, idem est de eo, quia inscia comparte vovit castitatem, post matrimonium consummatum. Si tamen ante voviſſet, videtur obligari ad ingressum religionis, saltem primo bimestri: (nisi tamen matrimonium consummaverit) imò etiam post, si uxor consentiat, de quo plura *v. Laym. c.* 11. *n.* 10.

Resp. II. Conjux non tenetur reddere debitum si inde grave damnum, vel periculum sibi, vel proli, merito timeat, *Perez. d* 50. *s.* 4. Unde non tenetur sequentibus casibus.

I. Si illud petat maritus morbo contagioso laborans, v. g gallico, peste, lepra, &c. (nisi tamen hæc ante matrimonium fuerit cognita, & non sit nimis gravis) *Bon. q.* 4 *p.* 1. *num.* 8. *Perez. d.* 50. *Sanch. l.* 9. *d.* 14. *Laym. l.* 5. *t.* 10 *p.* 3. *cap.* 1.

II. Si petat ab uxore laborante febri vel alio morbo, cui copula noceret. *Bon. q.* 4 *p.* 1. *n.* 6. *ex Sanch. &c.* item *Perez. l. c.* aut ut quidam volunt, tempo-

tempore menstrui, *Bon.q.4.p.3.n.11.& p.6.n.* 10. contra *Sanch. Hurt. Perez d.49.sect.3.* aut cùm uxor est gravida, & ex redditione periculum mortis (vel etiam abortus) probabile timetur proli jam conceptæ. Imò tunc nec petere, nec reddere licitum est, ut per se patet, ait *Laym. cap. 1.num.7.* & esse mortale dicit *Perez d.49.s.3.* (addens ex *Sanch. Con. & Hurt.* cessante periculo prolis, usum matrimonii licitum esse) aut si non possit uxor edere fœtum, nisi mortuum. *Bon.q.4.p.1.& 2.num.14.* (*Laym.* tamē *c.7.n.7.* dicit eo casu licere reddere, imò & petere: quod *Bon. loc. cit.* concedit, si fiat ob periculum incontinentiæ) aut non possit edere nisi cum præsenti periculo vitę, *Bon.l.c.n.7. Laym.l.c.n.6.* Quod tamen ad vitandam incontinentiam, aut alia gravi ex causa, eam posse permittere, & debitum reddere, insinuat, *Laym.l.c. ex Sanch.l.7.d.101.n.* 11. Denique propter grave periculum morbi (non tamen propter ordinarios dolores partus) potest conjux negare debitum, etiamsi in altero esset periculum incontinentiæ, *Sanch. Præp. Palaus, Dian.p.6.t.7.R 64.& p.9.t.7.R 4.*

III. Si alter debitum exigat in naturali modo, nisi tamen ex negatione timeantur graviora mala, v.g rixæ, odium, incontinentia.

*Quares*, An aliquando liceat impedire prolis generationem?

*Resp.* Possunt quidem conjuges ex gravi causa aliquid facere, ex quo per accidens sequatur effusio seminis: peccant tamen, si in usu matrimonii, vel post usum, faciant aliquid, quo impedia-

tur

tur conceptio, aut semen conceptum rejiciatur. Ratio prioris est, quia non impeditur generatio, ne quidem indirecte, sed tantùm permittitur, ut non fiat, quod licet ex causa rationabili. Ratio posterioris, quia agunt contra fidem, & finem principalem matrimonii. Unde tales non excusat paupertas imminens, aut periculum ex partu. *Vnde resolves.*

I. Licitè interrumpitur actus conjugalis, etsi ex naturæ concitatione secutura sit pollutio, dummodo sit justa causa interrumpendi: v.g. si ex continuatione immineat periculum morbi, vel mortis ab hoste, vel aliquis alius interveniat. *v. Perez d 49. s. 6.*

II. Peccat probabiliter fœmina, quæ in usu matrimonii animum alio distrahit, ne natura excitetur, venialiter tamen, ut *Perez l. c. n. 7.* docet *ex Sanch.*

## DUBIUM III.

### *An, & quibus ex causis possit fieri divortium?*

Resp. I. Etsi matrimonium consummatum, inter Christianos nullo casu solvi possit, quoad vinculum vivente utroque conjuge (*v. Sanch. & Perez. d. 20. s. 9. & d. 55. s. 4.*) divortium tamen, seu potius separatio quoad thorum, fit sequentibus casibus.

I. Si alter conjux moriatur. De quo si est certum, rursus nubere potest, quod si interim alter mortuus non sit, fama tamē & indicia sufficien-

tia

tia habeantur, excusatur nubens, neque ex dubio superveniente an prior vivat, debent separari, cum forte non vivat, ideoque matrimonium sit validum.

**V.** Si ex conjugibus infidelibus altero ad fidem converso, alter maneat infidelis (saltem nisi pacifice cohabitare velit, sine contumelia creatoris; )idque ex dispensatione divina, in favorem fidei, ut patet ex 1. *Cor. 7. c. 5. Perez. d. 26. s. 4. &c. communiter.*

III. Si ante Matrimonii consummationem [ad quam intra primum bimestre, quod ad deliberationem datur non tenentur, nec cogi possunt sine injuria] alter intret religionem, in eaque profiteatur. *Perez. l. c. &c. communiter.*

IV. Si Papa ex alia justa causa dispenset ante consummationem, sicuti eum posse probabilior sententia affirmat. *Navar. Bell. Perez. d. 26. s. 7.*

Resp. II. Manente vinculo matrimonii, licitè fit divortium, & separatio quoad thorum, & cohabitationem, ad tempus, vel in perpetuum, ob gravem & justam causam, qualis est

I. Alterius conjugis culpabile adulterium: (per quod hic etiam intelligitur omnis species luxuriæ, in qua caro cum alia dividitur, qualis est bestialitas, sodomia, etiam intra eundem sexum. *Bon. q. 4 p. 5. n. 2* contra *Fill. Sanch. Perez d. 56. s. 1. & 2 ex Matth. 5 & ex cap. Gaudemus, c. Ex literis*, non tamen mollities, vel pollutio, oscula, tactus, vel amplexus impudici, *Bon. Sanch. Perez ll. cc.* licet propter similia ad tempus possit ali-

aliquando fieri separatio, ut nocens emendetur) tunc enim innocens religionem ingredi, aut sacros etiam Ordines suscipere potest, nocens verò non nisi cum innocentis consensu. Excipitur tamen ab hoc casu, 1. Si uterque conjux particeps sit ejusdem criminis, vel æqualis, *Sanch. l. 10. d. 6. Bon. l. c.* 2. Nisi innocens alteri condonarit. Quod aliqui eum fecisse censent, si eam post adulterium intellectum rursus cognoverit. *Bon. ex Con. Henriq. Fill. Perez s. 3.* ubi vide plures casus exceptos.

II. Sævitia mariti, vel uxoris. Ex qua si grave periculum comparti immineat, potest separatio peti à judice; imò si mortem minetur, vel venenum paret, potest divertere ante judicis consensum, *v. Bon. l. c. Lay. Perez s. 5,*

III. Si conjux compartem trahat in peccatum, v.g. sollicitet ad hæresin, veneficium, &c, tunc enim innocens potest se separare: imo tenetur, si periculum sit grave. *Lay. l. 5. t. 10. p. 3. t. 7. n. 16.*

IV. Morbus contagiosus, v.g. lepra. Quod tamen sine gravi detrimento possit cohabitare, adid tenetur, aut saltem adhibitare, & ministrare, nisi alter remittat.

V. Hæresis, vel apostasia, superveniens matrimonio. Quo casu si separatio facta sit judicio Ecclesiæ, non tenetur conjugem conversum recipere, saltem ex justitia: nam ex charitate aliquando tenetur, ut si sit periculum incontinentiæ, *Bon. Laym. l. c. Perez n. 57. s. 1.*

VI. Mutuus consensus. Ex quo licitè se separant

rant vel thoro, sive ad tempus, sive in perpetuum, ob finem spiritualem, vel etiam habitatione. Quod tamen non solet permitti, nisi uterque ingrediatur religionem, vel uxore ad religionem transeunte (aut si vetula sit, id est sexagenaria, *Azor. &c.* vel saltem quinquagenaria; *Sanc. Bon. Barbos. Dian. p. 3. t. 4. R. 73.* manente in seculo, in voto continentiæ) maritus suscipiat sacros ordines. Porro apud quem, & cujus expensis, facto divortio liberi sint educandi, *v. Laym. hic. l. c. & Sanch. vid. Perez d. 58. & 59. Bonac. q. 3 p. s. num. 11.*

*Quæres.* An uxor teneatur sequi virum ad cohabitationem?

*Resp.* Teneri, quia vir est caput familiæ, & uxoris. *Excipiuntur tamen sequentes Casus.*

I Si ex sequela timeatur grave onus, vel periculum v. g. vitæ, pudicitiæ, vel salutis; vel uxor à viro peregrè non alatur.

II. Si vir post matrimonium factus sit vagus, nec facilè sit sequi, secus tamen, si ante fuit vagus, idque ipsa scivit.

III. Si in contractu matrimonii additum fuit pactum, de non mutando domicilio, & nulla gravis necessitas urgeat.

## CAPUT III.

### *De impedimentis Matrimonii.*

DUplicis generis sunt impedimenta: quædam illicitum tantùm, alia insuper irritum matri-

matrimonium reddunt. Priora dicuntur impedientia, posteriora dirimentia.

## DUBIUM I.

### *Quæ sint impedimenta impedientiæ tantùm?*

Resp. Præter peccatum mortale, & excommunicationem, sex potissimum reddunt matrimonium mortaliter illicitum, scilicet:

*Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriarum,*
*Atque catechismus, crimẽ, sponsalia, votum,*
*Impediunt fieri, permittunt facta teneri.*

Dicitur I. *Vetitum*, id est, prohibitio Ecclesiæ, quæ fit ab Episcopo, vel Parocho, ob dubium impedimenti alicujus, vel inhabilitatis inter copulandos, *v. Bon. q. 1. p. 14. num. 1.*

Dicitur II. *Tempus feriarum*: quod secundum *Trid. sess 24 c. 10. de reform.* incipit nunc ab Adventu Domini, usque ad Epiphaniam inclusivè; & à die Cinerum usque ad octavam Paschæ inclusivè. Quo tempore non prohibetur ipse contractus, aut ejus consummatio, sed tantùm nuptiarum solemnitates, ut est benedictio nuptiarum, solemnis sponsæ in domum sponsi traductio, solemniora convivia, & tripudia, &c Neque *Trid. sess 24 c. 1.* prohibet matrimonium consummari ante benedictionem, sed tantum hortatur ne fiat, *v. Bon. l. c. Sanch. l. 7 d. 7. Con. d. 30. Fill. t. 10. p 2. c. 9. M. Perez d. 43. s 10. n. 7.*

Dicitur III. *Catechismus.* Quod impedimen-

tum

tum contrahitur ab eo, qui respondet pro infante, quando supplentur cæremoniæ post baptismum collatum in necessitate, sed videtur sublatum per *Trid.* secundum *Sanch. Fagund. Con. Fill &c.* qui ideo monent Parochos, ut in libro distinguant patrinos Catechismi, à patrinis Baptismi, *v. Bon. l. c.*

Dicitur IV. *Crimen*, ut 1. Incestus cum consanguinea conjugis in primo vel secundo gradu, scienter admissus; (qui impedit matrimonium cum quacunque alia persona *v. Perez. d. 23. s. 15.*) vel cum propria matre vel filia. 2. Raptus alienæ sponsæ 3. Uxoricidium. 4. Presbytericidium. 5. Susceptio propriæ prolis ex baptismo, ad impediendam redditionem debiti. 6. Publica pœnitentia, quamdiu durat. 7. Matrimonium cum Moniali. Verùm hæc per non usum sunt sublata, ut *Laym. hic c. 15. ex Navar. Sanch. l. 7. d. 17. Con. d. 30. dub. 3.*

Dicitur V *Sponsalia*, scilicet cum una contracta & non dissoluta, *Con. d. 30. dub. 3. Sanch Fill. Bon. l. c. n. 5.*

Dicitur VI *Votum*, scilicet simplex, sive castitatis, sive religionis, sive non nubendi. *v. Sanch. l. 7. d. 13 Regin. l. 38. c. 24. n. 148. Bon. l. c. n 7.*

Dixi in Responsione, *potissimum*: quia præter supra dicta, alia tria impedimenta numerantur.

Primum, est clandestinitas: etsi enim valeat matrimonium clandestinè contractum, ubi Tridentinum non est receptum, non licet tamen sub mortali. Ubi autem Tridentinum est receptum, saltem

saltem quoad punctum matrimonii, est irritum. de quo sequenti dubio.

Secundum, omissio benedictionis, quia sine hac etsi validè, illicitè tamen contrahitur matrimonium, saltem primum, ut ex *C. Nostrates*, & *C. Sponsus q. 5* docet *Bon. q. 4 p. 6. n. 2. Sanch. l. 7. d. 82. Sa, Henriq. Fill &c.* qui tamen concedunt non esse mortale, intellige, per se loquendo; nam per accidens, ratione præcepti particularis, scandali, vel contemptus (ut si omittant nihili faciendo, ac si esset res vana, vel vile ac puerile haberent ei se subjicere) docet *Perez d 43 s. 10. n. 4.* posse esse mortale. Dixi, *primum*: nam secundæ nuptiæ non benedicuntur, nisi primæ non fuissent benedictæ. Quod si autem alter conjugum sit viduus, alter verò primas nuptias celebret, aut saltem nunquam fuerit benedictus, etsi jure antiquo non licuerit, nunc tamen quibusdam locis consuetudo habet, ut benedicantur, ut *v. Bon. l. c.* Et patet ex Agenda. Debet autem fieri in templo à proprio Parocho, sine cujus licentia si quis faciat, manet ipso facto suspensus, donec absolvatur ab ordinario Parochi, à quo benedictio erat accipienda.

Tertium, si contrahatur matrimonium sine prævijs proclamationib⁹, sine quibus etsi valeat, non licet tamen sub mortali, ut habet communis, (quanquam *Sanch. l. 3. d. 5. num. 7. & Gasp. Hurt. d 5. n. 59.* putent non esse mortale unam omittere, quando certum est moraliter, nullū subesse impedimentum. Sed contrarium docet *Perez. d. 42. s. 1. n. 7. ex Con. & Pontio.*) nisi Episco-

pus,vel ejus Vicarius dispenset,ut patet ex *Trid. s.24 c.1.* quod circa eas præcipit sequentia, 1.Ut fiant in Ecclesia,inter Missarum solemnia. Possunt tamen etiam fieri in oratorio, vel juxta Ecclesiam : alibve loco, confluente magno populo.2.Ut fiant à proprio Parocho,vel alio Sacerdote de ejus licentia 3.Ut fiant in Parochia propria,& quidem utriusque contrahentis , ut declaravit Congregatio. 4. Ut fiant tribus diebus festivis,non immediatis,continuis tamen,id est, qui feriatis quidem diebus,nullo tamen festo,interpolentur,*vid Bon q.2 p.6.* Unde resolves.

I. Licet statim post ultimam proclamationem contrahere, etiam eadem die : non licet autem differre ultra 4.menses,intra quos si non contrahant,repetendas esse denunciationes, declaravit Congregatio in *sess.24.cap.1.de reform.* Imò *Rituale Romanum* duos tantum menses permittit, intra quos si non contrahatur,jubet repetere denunciationes,nisi videatur aliud Episcopo.

II. Post proclamationes, tenetur sub mortali, qui novit impedimentum, illico denunciare, quantumvis secretum esset, ad impedienda gravia mala,v.g incestum,sacrilegium,&c Si tamen inde alteri periculum infamiæ nasceretur, is ex charitate prius esset monendus,ut à matrimonio desisteret, *Sanch.l.3.d.13. Fagund.p.2.l.6.cap.5. Henriq Laym.lib.3.tr.3.p.2 cap.4 n.8. &c. commun.* contra *Pontium d.5 q.6.* qui negat teneri denunciare,si sit occultum Idemque tenet *Mart. Perez d.43.s.6.n.1. & seq.* sed cum hac limitatione,si tantùm audivit,& nescit à quo,vel si pro

foro

foro interno sit dispensatum, vel si metuat magnum scandalum aut periculum, vel si sciat contrahentes esse in bona fide.

III. Contrahens ipse, legitimè interrogatus de impedimento occulto, tenetur illud fateri, vel à matrimonio abstinere, nisi dispensationem pro foro conscientiæ acceperit: tunc enim fateri non tenetur, nisi Judex aliunde habeat sufficientem probationem, *Sanch. Sylv. Laym. l. c. n.* 10. *v. Bon l. c. Perez d.* 43. *s.* 7. *n.* 2.

IV Parochus cognito impedimento, tenetur prohibere matrimonium, & remittere ad Episcopum, vel ejus Officialem, neque potest assistere, *Sanc. l.* 3. *d.* 15. *Mart. Perez d.* 43. *s.* 7. *n.* 6. *&c.* contra *Pontium*. Nisi tamen ex sola confessione nosset: tunc enim nullo modo posset negare matrimonium, sive publicè, sive privatim petenti, neque illum admonere officii extra confessionem licet in confessione posset, ac deberet. Et tunc, si quidem sine magno scandalo à matrimonio nō possent desistere, nec vellent, suadere, ut contrahant communi consensu, sub conditione, si Papa dispenset, animo tantisper cohabitandi, ut fratres (non autem quoad thorum) donec accedat dispensatio, & iterum contrahant. Ita ex *Beja & Pontio l.* 5. *c.* 3 *Mart. Perez l. c.* qui addit, si id omninò nolint, persistantque petere, debere Parochum adsistere.

V Potest Episcopus, vel ejus Vicarius, non autē Decanus Ruralis dispensare, vel ut unà tantùm fiat proclamatio, vel ut fiant post contractum subitò factum coram Parocho & testibus, ante

consummationem, vel etiam ut planè omittantur, si justa causa subsit, v.g. timor, ne alioqui malitiosè impediatur matrimonium, pudor contrahentium, senium, inconstantia, status disparitas, metus scandali, infamiæ, incontinentiæ, &c. *Bon. l.c.*

VI. Etsi, quando per dispensationem contractum est matrimonium ante proclamationes postea faciendas, conjux non teneatur, nec debeat alteri reddere debitum, priusquam factæ fuerint: quando tamen certi sunt nullum subesse impedimentum, non peccare mortaliter consummando: tenet *Sot. Led. Texed.* contra *Sanch.* apud *Dia. p. 9. t. 8. R. 19.*

VII. Etsi Parochus dispensare non possit, potest tamē in casu necessitatis per Epikiam declarare, præceptum hoc hic & nunc non obligare, v.g. si moriturus concubinam velit ducere, ob prolis legitimationem, *Bonac. l.c. ex Sylv. Sanch. &c.*

## DUBIUM II.

*Quæ impedimenta dirimentia matrimonium?*

Resp. Præter defectum consensus, de quo supra *c. 2. d. 1.* sunt, quæ sequentibus versibus comprehenduntur.

*Error conditio, votum, cognatio, crimen,*
*Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas*
*Ætas, affines, si clandestinus, & impos,*
*Raptave sit mulier, nec parti reddita tutæ,*

*Hæc*

*Hæc ſocianda vetant connubia, facta retractant:*

Dicitur I. *Error*, ſcilicet perſonæ: qui dirimit jure naturæ, v.g. ſi Cajo volenti ducere Annam offerat ſe Maria, cum qua, putans eſſe Annam, contrahat: quia error aufert libertatem, & conſenſum requiſitum jure naturæ ad contractum.

Dixi, *Perſonæ*: quia error qualitatis, ſeu conditionis perſonæ, (excipio ſervitutem) non irritat matrimonium, ut v.g. ſi putetur eſſe nobilis, virgo, dives, &c. quam quis vult ducere, nec ſit talis: quia hic error non tollit conſenſum in perſonam, & materiam contractus. Aliud tamen eſſet, ſi abſolutè nollet conſentire in perſonam, niſi tali conditione affectam, aut ſi ipſa conditio, juxta intentionem contrahentis, tranſiret in conditionem perſonæ: ut ſi quis vellet ducere primogenitam Regis nec aliam, & tamen alia ſubſtitueretur, non ſubſiſteret contractus. *Bon. q. 3. p. 2. ex Sanch. l. 7. d. 18 Con. d. 31. Fill. &c.*

Dicitur II. *Conditio*, ſcilicet ſervilis, ut ſi homo liber ignoranter contrahat cum ſerva, vel ſervus cum ſerva, nullum eſt matrimonium. Idquè ſecundum ſententiam communiorem, jure tantum Eccleſiaſtico, fundato tamen in jure naturali, cui eſt valdè conforme. Ratio, quia talis contractus adverſatur. 1 Bono Sacramenti, cùm ſervus invito domino nequeat cohabitare conjugi. 2. Bono fidei conjugalis, cum non poſſit ſolvere debitum ad libitum alterius. 3. Bono prolis, cum ſervus omnia acquirat domino. Ubi tamen *Notandum*, non eſſe propriè ſervos, qui ſunt co-

loni originarii, vel ascititii, vulgò dicti Leibeigene *v. Laym. l. 5. t. 10. p 4. c 2.*

Dicitur III. *Votum* scilicet solemne Castitatis, per susceptionem ordinis sacri, vel per solemnem professionem in religione approbatam, sponte emissam.

Dico I. *Sponte*: quia metus gravis irritat professionem ut v. supra *l. 5. c. 1 d. 2.*

Dico II. *Solemne*: quia votum simplex tantùm impedit, non dirimit (excipe tamen vota simplicia Societatis.) *v. Laym. l. c. c. 3.*

Dicitur IV. *Cognatio*, quæ triplex est.

Prima dicitur Legalis, quæ est propinquitas personarum proveniens ex adoptione perfecta, (qua scilicet persona extranea assumitur in filium vel nepotem, ita ut transeat in potestatem adoptantis; eique succedat, vel tanquam hæres necessarius ex testamento, in quarta parte, vel tanquam filius ab intestato in totum) ea enim dirimit matrimonium usque ad quartum gradum, inter adoptantem & adoptatum, ejusque descendentes. *Cap. Per adoptionem. 30. q. 3. Cap. Diligite. 30 q 3. v. Bon. q. 3. p. 5. §. 3. n. 4. & 5.* Vide tamen *Laym. cap. 7 & Dian. p. 9. t. 6. R. 54* ubi contra communem sententiam notat ex *Henriq. Less. &c* probabile esse, quod post *Trident.* tantùm dirimat usque ad gradum secundum inclusivè, sicut cognatio spiritualis.

Secunda est cognatio spiritualis, quæ jure Ecclesiastico oritur inter personas aliquas ratione Baptismi & Confirmationis, dirimitque matrimonium, (uthabetur *c. 1. de cognatione spiritualis,*

tuali, in 6. cap. Veniens, & constat ex Trid. s. 24. c. 2. v. Bon. q 3. p. 5. Sanch. l. 7. d. 34. Suar. 3 p. q. 67) inter baptizantem & baptizatum, & hujus patrem & matrem; item inter susceptorem & susceptum & hujus patrem & matrem.

Tertia est cognatio consanguinitatis carnalis, quæ est vinculum personarum ab eodem stipite proximo descendentium, dirimitque matrimonium usque ad quartum gradum lineæ transversæ inclusivè. Et quidem quoad primum fortassis jure naturæ: quoad reliquos tres, solo jure Ecclesiastico. Unde etiam Pontifex in his, ex justa causa, dispensare potest. Gradus verò lineæ rectæ, probabile est, omnes jure naturæ esse prohibitos. Porrò pro gradibus consanguinitatis dignoscendis statuuntur sequentes regulæ.

*Prima.* In linea recta tàm ascendentium, quàm descendentium, quot sunt personæ, tot sunt gradus, una dempta, scilicet stipite: v.g. pater & filius sunt consanguinei in primo gradu; nepos & avus in secundo, &c.

*Secunda.* In linea transversa æquali, (quæ est inter personas à communi stipite æqualiter distantes) quot gradibus personæ singulæ à communi stipite distant, totidem distant inter se. Unde frater & soror sunt in primo gradu lineæ transversæ; patrueles & consobrini in secundo, filii eorundem in tertio.

*Tertia.* In linea transversa inæquali, inter personas inæqualiter distantes à communi stipite, quot gradibus remotior persona distat à stipite, tot gradib⁹ distant inter se. Unde patru⁹ & nepos


filius & soror patris, sunt consanguinei in secundo gradu, quæ omnia patent in adjuncto schemate. (NB)


Dicitur V. *Crimen*: idque triplex. Primum est homicidium conjugis ab altero conjuge, & alio certio, sive physicè, v.g. gladio vel veneno; sive moraliter, ut imperio, perfectum, eo consilio, ut postea inter se matrimonium contrahant. Quod si cædes tentata sit, sed non perfecta, vel perfecta, sed absque intentione matrimonii ineundi; vel cum intentione quidem ea, sed non significata exterius; vel non communi consilio, sed altero tantùm, non dirimit matrimonium, nisi etiam adulterium præcesserit: tunc enim etsi unus tantùm cædem perfecerit, altero ignaro, dummodo id fecerit intentione matrimonii, verè dirimit. Ita *Con. Ledes. Sa, Sanch. l. 7. d. 78 n. 13. & d. 79.*

Secundum est adulterium, quando nimirum duo carnaliter se cognoscunt, vivente alterius conjuge, & vel matrimonium ineunt de præsenti, vel saltem dant fidem de ineundo post mortem conjugis. Sed in hoc casu requiritur, ut promissio sit acceptata, & uterque sciat alterum esse conjugatum: si enim vel alteruter ignoret, non irritatur matrimonium, si quod postea ineatur conjuge mortuâ. *Perez. Con. d. 31. n. 57. & 61. Sanch. l. 7. d. 9. n. 12. Fill. n. 256. v. etiam Bon. q. 3. p. 6. n. 8. Dian. p. 3. t. 4. R. 198.* excusatque ignorantia quævis, etiam facti. *Sanch. M. Leo in praxi p. 2. f. 284.* Sufficit autem si adulter dubitet, utrum tempore adulterii & promissionis de matrimonio cum adultera, vixerit alter conjux: quia præ-

Pagina 872. Signo NB.

Schema Consanguinitatis





præsumitur vixisse, nisi mors probetur. *Nav. Sanc.l.7.de matr.d.79. Bard.d.c.11.§.8.*

Tertium est raptus, per quem persona cum violentia abducitur, libidinis exercendæ, vel matrimonii ineundi causa, *S.Tho. Moli.t.3.d.105.* Durat autem hoc impedimentum, secundum *Trid.* quamdiu rapta est in potestate raptoris, etiamsi liberè consentiat. Unde libertati restituta ducere potest. Probabile tamen est, Tridentini decreto tantùm comprehendi raptum, qui sit causa matrimonii, *Sanch.d.13.v.Laym.*

Dicitur VI. *Disparitas*, cultus, sive religionis: qui dirimit matrimonium inter baptizatum, & non baptizatum, etiam catechumenum. Idque jure tantùm Ecclesiastico non scripto, *Bon. q.3. p.7.* ex *Con. &c.* Inter baptizatos verò non dirimit, etsi impediat. Matrimonia verò cum hæreticis etsi illicita, sunt tamen valida. *v. suprà l.2 t. 1.cap.4.dub.3.*

Dicitur VII *Vis*, sivè violentia, & gravis metus injustè incussus, ad matrimonium extorquendum; irritatque in utroque foro. Et quidem jure naturæ, si à contrahente; positivo autem, si à tertio sit incussus.

Addo *gravis*, qualis scilicet cadit in virum constantem v.g. mortis, perpetui carceris, amissionis bonorum, injustæ excommunicationis, enormis indignationis patris valdè austeri. Quando verò metus est levis, contractus censetur spontaneus; idque ad cavendas lites, etiam in matrimonialibus, ut Sacramento consulatur. *Rebel. Sanc. Pont. &c. communiter* cum *Dian.p.3.t.4.R.230. & t.5.*

& t. 5. R. 117. quamvis *Nav. Gabr. & Cov.* id negent, si metus extorserit consensum, ut absque eo non fuisset Addidi. 2. *injuste*; quia si justè sit incussus, valet matrimonium: talis enim non tam infertur ab alio, quam ab ipsomet, qui causam dedit; ut si v. g. deprehenso in crimine cum filia mineris accusationem, nisi illam ducat. Addidi 3. *ad extorquendum*: quia matrimonium ex metu etiam gravissimo, undecunque & quandocunque incusso, dummodò non ad matrimonii extorquendi, valet: tunc enim non tam contrahitur metu, quàm eligitur medium evadendi periculum: & matrimonium est simpliciter voluntarium. Unde resolvitur valere matrimonium in sequentibus casibus. *v. Bon. q. 3 p. 8.*

I. Si concubinarius metu gehennæ vel mortis, in morbo, vel naufragio contrahat cum concubina. *Bon. l. c.*

II. Si quis à medico persuasus, non diu se victurum, nisi ducta uxore, eam ducat, *Bon. l. c. num. 19.*

III. Si in carcerem conjectus, spe evadendi, contrahat cum filia lictoris, *Sanch. l. 4. d. 12. n. 10. Con. d. 28. dub. 1 cap. 1.*

IV. Si ad mortem damnatus, ut evadat, ducat meretricem aut aliam. *Con. n. 10. Fill. c. 4. q. 1.*

V. Si Princeps obsessus offerat filiam in matrimonium obsidenti, ut liberetur obsidione *Ibid.*

VI. Si raptor vel deflorator virginis metu mortis offerat se judici ad eam ducendam, *Bon. num. 22. ex Regin. Henriq &c.*

VII. Si ad mortem decumbens contrahat cum filia

filia medici, aliàs illi mederi nolentis. *Reb. Sanch. d. 12. Con. Fill. num. 103. &c.* etsi alii quidam negent.

VIII. Etsi metus gravis incussus fuerit tantùm ad contrahendum matrimonium in genere, contractum tamen nullum esse, docet *Sanch. Salas Palaus, Pontius &c.* cum *Dia. p. 4. t. 4. R. 33.* contra *Azor. & alios 4.*

IX. Quando matrimoniũ ex gravi metu contractũ fuit, non teneri (in foro conscientiæ) per se loquendo, illud perficere, posseque altero invito resilire, etiam cum, qui liber à metu fuit, etiamsi ab ipso, seu ejus culpa illatus fuerit, docet, *Sanch. Villal. Hurt. & Ochag.* cum *Dia. p. 3. t. 4. R. 229. & p. 9. t. 8. R. 27.* contra *Con. & Pont.*

Dicitur VIII. *Ordo*, scilicet sacer, sive Major, quem, qui non coactus suscepit, invalidè matrimonium contrahet, ut v. supra *de Sacramento Ordinis*, & hic *impedimento tertio.*

Dicitur IX. *Ligamen*, propter quod, quamdiu quis ligatus est conjugi adhuc viventi, invalidè contrahit cum alio: quanquam licitè, & sine peccato; si moraliter sit certus de morte conjugis: qui si postea compareat, tenetur ad eundem redire, dimisso posteriore, *v. Bon. p. 10.*

Dicitur X. *Honestas*, hoc est, justitia publicæ honestatis, ob quam nemo potest contrahere cũ consanguineis illius, cum qua contraxit sponsalia, vel matrimonium ratum. Et quidem ante Tridentinum jure antiquo, hoc impedimentum dirimit matrimonium inter sponsum & consanguineos sponsæ, usque ad 4. gradum, oritur-

que ex sponsalibus quibuscunque etiam invalidis, (præterquam ex defectu consensus) jure verò novo Tridentini, non oritur, si sponsalia sint invalida; & irritat tantum usq; ad primum gradum, si ex sponsalibus; ad quartum verò, si ex matrimonio rato sequatur, *v. Bon. p.11. Sanc. l.7. d.68. Fill. t.10. p.2. cap.6.* Notat etiam *Dian.* non oriri ex sponsalibus mutuo consensu dissolutis, *p.3. t.2. R.232. ex Pont & aliis* 3. contra *Sanch.* uti neque ex conditionatis, donec conditio sit impleta *p.9. t.6. R.25. ex Opdton.* Oriri tamen ex matrimonio invalido, nisi sit tale ob defectum consensus, *p.9. t.6. R.50* ex declaratione Pii V. atque etiam ex clandestino. *Ibid. R.53. ex Pontio, Palao, Hurt. Perez &c.* contra *Sanch. & Prep.*

Dicitur XI. *Ætas*: quia ad valorem matrimonii, jure Ecclesiastico requiritur annus 14. viri & 12. fœminæ, completus: nisi tamen malitia ætatem suppleat, hoc est, adsit & doli capacitas, & potentia ad copulam, de quibus judicare prudentum est, *Laym. c.12. n.1. Cap. De illis &c. ult. eodem tit.*

Dicitur XII. *Affines*. Est autem affinitas, propinquitas personarum, nata ex copula carnali, sive licita sive illicita. Utraque, jure saltem Ecclesiastico, dirimit matrimonium: illa usque ad 4. gradum inclusivè; hæc verò jure novo, usque ad secundum tantum. Et quidem si antecedat matrimonium: nam si superveniat, v.g. si Titius cognoscat uxoris suæ cognatam in secundo gradu, non dirimit, licet is, qui peccavit, non possit petere debitum, sed tantum reddere. Porrò gradus

videsis & amplius probable.

dus & lineæ affinitatis accipiuntur, sicut in consanguinitate, ita ut qui est uxoris consanguineus in primo gradu, sive rectæ, sivè transversæ lineæ, is fit affinis marito in eodem gradu lineæ rectæ vel transversæ. Denique omnis affinitas, quæ oritur ex affinitate, sublata est per *Concilium Lateranense. v. Laym. & Bon. p.* 12. Unde resolves.

I. Is, qui fornicatus est cum sorore sponsæ suæ, cum neutra potest validè contrahere citra dispensationem; imo nec cum earum consobrina, vel matertera.

II. Potest quis ducere affinem fratris sui, etiam in primo gradu v.g. duo fratres possunt ducere duas sorores; imò pater & filius possunt ducere matrem & filiam. *Laym. Bon. l. c.*

III. Titius potest successivè ducere Titiam & Bertam, quæ fuerunt uxores Caii & Sempronii fratrum.

IV. Titius, qui duxerat sororem Caii, potest post mortem Caii, ejusque sororis, ducere Bertam uxorem Caii.

Dicitur XIII. *Si clandestinus*: quia *Trid.* irritat matrimonia eorum, qui contrahunt aliter, quàm coram Parocho, vel alio sacerdote, de ipsius vel ordinarii licentia, & duobus minimum testibus: vultque graviter puniri eos, qui contra hoc contraxerint, vel etiam interfuerint. *Vnde resolves.*

I. Per Parochum intelligitur is, qui habet ordinariam jurisdictionem in contrahentes, utpotè qui domicilium & habitationem habeant in ejus Parochia; item Episcopus, vel ejus Vicarius in

sua diœcesi, uti & Papa: item Capitulum sede vacante; Cardinales in Ecclesi s sui tituli; legatin sua provincia. Sufficit etiam excommunicatus, aut non Sacerdos. Nec requiritur, ut à parte rei verè sit Parochus, sed sufficit, si habeat titulum saltem coloratum, ita ut communi errore habeatur Parochus nec sit intrusus absque omni titulo, *v. Bon. q. 2. p. 8.*

II. Parochus, vel quivis habens jurisdictionem ordinariam, potest alium sibi substituere; non tamen nisi Sacerdotem.

III. Cùm ad testes requisitos non addatur, debere esse omni exceptione majores, sufficiunt etiam infames, fœminę, pueri habentes usum sufficientem rationis, parentes, domestici, ac servi.

IV. Si duo sint Parochi ejusdem Parochiæ, potest utervis assumi. Similiter qui habet duo domicilia quæ æqualiter inhabitat, vel domum, quæ partim pertinet ad unam Parochiam, partim ad alteram, potest alterutrum accersere: quia uterque est proprius Parochus. *Lay. Bon. l. c.*

V. Etsi ex præcepto adhibendus sit Parochus contrahentis illius, in cujus Parochia matrimonium celebratur: sufficit tamen ad valorem, si alterius Pastor assistat, ut declaravit *Congregatio Cardinalium*, apud *Rebel & Bon. q. 2. p. 8.* etiam extra suam Parochiam, vel diœcesin; quia hic actus non est jurisdictionis contentiosæ. Non tamen licebit tunc nuptiis benedicere, sine alterius licentia. *Sanch. l. 3. d. 19.*

VI. Is, qui substituitur, debet habere expressam, vel saltem tacitam licentiam, ex ratihabitione

ne de præsenti: quia non sufficit ratihabitio de futuro, quâ quis putet alterum postea ratum habiturum. *Sanch. d. 35. Regin. Con.* apud *Bon. l. c. n.* 31. licet ipse neget tacitam sufficere.

VII. Vagabundi possunt contrahere coram quolibet Parocho, (idque, ut *Lay. c. 4. n. 3.* docet ex *Sanch.* etsi alteruter tantùm sit vagus.) Hic autem tenetur de illorum conditione diligenter inquirere, ut monet *Trid.* an scilicet alibi sint conjuncti, &c. & deinde petere licentiam ab Episcopo assistendi; sine qua licet validè assistat, graviter tamen peccat. Ita *Lay. t. 4. l. 3.* ex *Sanch. d. 19 & d. 25. n. 14.*

VIII. Peregrini, qui ex causa exiguo tempore domo absunt, non possunt contrahere peregrè coram Parocho loci: quia non est illorum verus. Aliud est de iis, qui alicubi habitationem figunt, pro majore parte anni, aut eò venerunt animo manendi, saltem majore anni parte, licèt postea contingat casu subitò recedere; v. g. famuli ancillæ, studiosi, *Bon. q. 1 p. 8. n. 1. Sanch. l. 3. d. 23. n. 11.* Ratio, quia contrahunt ibi domicilium Parochiale; & Pastor illius loci est proprius illorum.

IX. Parochus & testes sic debent esse præsentes, ut advertere possint quid agatur, & de eo testari. Et quidem non est necesse, ut ipsi videant contrahentes, dummodò audiant verba contractus, si voces contrahentium noverint. *Sanch. Fill Pont. & alii.* cum *Dia. p. 8. t. 7. R. 68.* contra *Barbos.* Nec refert, etiamsi per metum, vim, dolum, aut injuriam nolentes detineantur, vel etiam

iam contradicant, ac resistant: aut licèt prohibiti sint ab Ordinario, ne interfint. *Bon. l. c. ex decla. Card. Con. Fill. Sanc. ll. cc. &c.*

X. Parochus tenetur utrumque contrahentem interrogare, non quidem de impedimento, *Gutier. Sanch. Dian. p. 3. t. 4. R. 294.* sed de mutuo consensu. *Trid. sess. 24. c. 1.* Ejus tamen omissio, quando de utriusq; libero consensu constat, venialis tantum est *Sanch. Con. Dia. l. c.* Similiter mortale non esse, etsi intellecto consensu non dicat: *Ego vos conjungo in nomine Patru & Filii & Spir.* S. docet *Sanch. Con. Fill. Gutier. Dia. p. 3. t. 4. R. 256.* contra *Rebell. &c.*

Dicitur XIV. *Et impos,* quod impedimentum vocatur frigiditas, vel impotentia. Quæ si perpetua sit, & matrimonium antecedat, irritat illud jure naturæ; vel omne, & respectu cujuscunque, si sit absoluta; vel certum tantum, si sit restricta seu respectiva. Idque sive orta sit ab intrinseco, & vitio naturæ, sive ab extrinseco, opera hominis vel diaboli; sive cognita alteri fuerit, sive non; sive sit ex parte utriusque contrahentis, sive alterius tantùm. Ratio, quia matrimonium consistit in mutua traditione corporum, physicè aptorum ad generationem, sive in traditione potestatis corporis ad copulam conjugalem: hanc autem potestatem impotens non potest tradere, cùm eam non habeat.

Porrò impotentia in viro esse censetur, quando est Eunuchus, vel saltem non potest seminare intra naturale vas fœminæ: in fœmina verò, quando vel seminare non potest, (si verum est, semen

semen fœminarum requiri ad generationem) vel propter arctitudinem non potest virum pati, aut ejus semen recipere.

Dixi I. *Si sit perpetua*: qualis est, quæ nulla arte potest tolli. In dubio autem perpetuitatis, conceditur à jure triennium, & experiendum bona fide.

Dixi II. *Si antecedat*: nam si subsequatur matrimonium, non irritat illud, etsi usum ita impediat, ut soli contactus, & oscula liceant, citra periculum pollutionis. Idque quando impotentia est certa: nam si dubia sit, tam diu licet conari ad copulam, quamdiu probabilis est spes seminandi intra vas. *Laym. l. 5. t. 10 p. 4. ca. 12. ex Sanch. Navar. Henriq* Unde resolves.

I. Invalidè contrahunt evirati, seu Eunuchi, quando carent utroqua teste: quia non emittunt verum semen aptum generationi. Nec refert, quòd instar senum sterilium satisfaciant concupiscentiæ fœminæ; quia id non faciunt per copulam natura sua aptam generationi, ob defectum seminis, quod senes tamen emittunt, etsi semen senum per accidens non sit prolificum. *Lay. l. c. Bon. q. 3. p. 13. &c.*

II. Validè contrahunt, 1. Steriles, quia etsi sint impotentes ad generationem, non tamen ad copulam, atque adeò sunt capaces omnis juris & obligationis matrimonii; & susceptio prolis licèt sit præcipuus, non tamen unicus, nec immediatus finis matrimonii. *Bon q. 3 p. 13. ex Henriq. Con. Fill. &c.* Eadem est ratio de iis, quæ non edunt fœtum, nisi mortuum, vel non nisi cum

periculo vitæ. *Bon. &c. ll cc.* 2. Hermaphroditi: quia verè sunt potentes ad usum matrimonii. Et quidem si alter sexus emineat, secundùm illud tantùm valebit: si uterque sit par, optio illis datur, ut utrolibet utantur, ita tamen ut quem semel elegerint, semper retineant. *Sanc. l.* 10. *d* 106. *Bon. l. c. ex Henriq. Sanch. Con. Fill. &c.* 3. Is qui paulò post est moriturus; quia in eo manet potentia ad coitũ, etsi per accidens vi morbi impediatur. Patet ex praxi Ecclesiæ, quæ illis interdum suadet, ut concubinas ducant. *Lay. l. c. ex Sanch d.* 105. *n.* 3. *Covar &c.*

III. Impuberes, si utantur ratione, non jure naturæ, sed Ecclesiastico tantùm, invalidè contrahunt; quia impotentia illorum est tantùm temporalis, v. supra *hoc dub. imped.* 3.

*Quæres.* Quid censendum de matrimoniis, quæ contrahuntur in partibus hæreticis?

*Resp.* Circa ea *Congregatio Cardinalium* resolvit sequentia. 1. Ubi hoc decretum Concilii nondum publicatum est in Parochia, v g. in Saxonia & Anglia, valere matrimonium contractum absque forma præscripta. Publicatio autem decreti facta præsumitur, si id aliquo tempore in Parochia tanquam decretum Concilii fuit observatum. 2. Hæreticos, in quorum Parochia dictum decretum fuit publicatum, v. g. in Hollandia, Frisia, &c. teneri formam præscriptam servare. Unde consequenter ipsorum matrimonia absque forma Concilii, quamvis coram Ministro hæretico, vel Magistratu contracta, videntur esse nulla. *Laym.* tamen *l.* 5, *t.* 10. *p.* 2. *ca.* 4. putat eam non

non esse mentem summorum Pontificum, propter gravissima incommoda inde subsecutura. 3. Si Parochia, in qua aliquando decretum fuit observatum, proprio Parocho, & Episcopo careat, nullusque istic sit, qui vices Episcopi vel Parochi suppleat, matrimonium valere absque præsentia Parochi; servatâ tamen, sin quibus potest, formâ Concilii, nempe adhibitis saltem duobus testibus. Idem est, si Parochus & Episcopus metu hæreticorum lateat, ita ut verè ignoretur ubi sit, vel eorum metu absit à diœcesi, & ad neutrum sit tutus accessus.

Dicitur XV. *Raptave sit*, de quo v. suprà *in impedimento criminis*.

## DUBIUM III.

### *Quomodo matrimonium invalidum sit revalidandum?*

Resp. 1. Si fuit invalidum propter consensum fictum, vel metu extortum, sive ex una, sive ex utraque parte, potest revalidari per quodcunq; signum veri & novi consensus: quia si altera tantùm pars fictè contraxit, consensus unius partis habitualiter permansit; ergò accedente alterius consensus validatur, *Sanch. l. 2. d. 32. n. 9. Con. d. 24. dub. 10. n. 89. Navar. Fill. Bon. &c.* Unde resolves.

1. Si metus, vel defectus consensus fuerit alterius tantùm partis, curandum est, ut ea saltem novũ & liberum consensum eliciat, & externis signis prodat: alteri autẽ parti non opus est declarari,

rari, præstari novũ consensum ad valorem matrimonii *Sanch. l. c. n. 10. Con. Bon. p. 9. v. Matrimonium d. 7. s. 15. n. 4.*

II. Si uterque fictè, vel coactè consenserit, necesse est, ut uterque consensum renovet, & verbis exprimat. Quia cum utriusque consensus planè nullus fuerit, æque necesse est renovare, & declarare, ac si factum nunquam fuisset *Mart. l. c. n. 3.*

Resp. II. Si invalidũ fuit propter impedimentum consanguinitatis, v. g. vel aliud simile occultum dirimens, tunc eo per dispensationem, vel aliter sublato, atque ita personis ad contrahendum habilitatis, requiritur novus utriusque consensus, signo externo expressus: & quidem, ut probabilius docet *Sanch. l. 2. d. 36.* absolutus, & independens ab antiquo. Ratio, quia neutrius consensus antiquus fuit legitimus, cum non caderet in legitimam materiam. *Unde resolves.*

I. Si in tali casu altera pars sit ignara impedimenti vel dubitetur an sciat, illa suaviter inducenda est ad novum consensum absolutè præstandum, dicendo v. g. *Si mihi non nupsisses, nonne modo nuberes?* vel: *Angor scrupulis de matrimonii nostri valore, ideoque renovemus consensum.* Quod si fiat, sufficere (præsertim si sequatur affectu maritali copula) docet *Quintan. in append. t. 7. d. ult.* Quòd si autem periculum sit, ne pars illa impedimentum ignorans detrectet, & scandala, gravesque molestiæ timeantur, licebit uti sententia contraria, quæ docet sufficere, ut sola pars impedimenti conscia consensum renovet,

ret,& alteri declaret *Sanch. lib.2. d.26.& lib.8. d.34.n.61. Les. lib.2. ca.17. Con.d.24. du.10. & Fill.n.29.&c. Di.p.4.t.4.R.49.*

Resp.III. Ut matrimonium invalidum, quod coram testibus & Parocho est celebratum, revalidetur, non opus est denuò coram Parocho & testibus iniri, si impedimentum sit occultum: secus si sit notum: quia prius matrimonium præsumptione Ecclesiæ censetur validum, non autem posterius. *Nav. Sanch. lib.2. d.37. Con.d.24. dub.4. Regin. lib.31.n.183. Fill.n.93.*

## DUBIUM IV.

### *A quo, & ob quam causam, possit dispensari in impedimentis matrimonii?*

Resp.I. Papa non potest dispensare in impedimentis jure naturæ, vel divino dirimentibus, nisi ex speciali concessione: in iis verò, quæ jure Ecclesiastico dirimunt, potest. Ratio prioris, quia inferior non dispensat in lege superioris: nec homo in lege naturæ. Addidi, *nisi ex speciali*: quia sic Pontifex (non tamen Episcopus) potest matrimonium ratum dissolvere, ex justa causa. *Sanc. Less. Prap.q.5.d.8. Dia.p.8.t.1.R.62.& 93.* Ratio posterioris, quia Pontifex talia impedimenta induxit; ergo etiam potest tollere, & quidem solus. *Unde resolves.*

I. Episcopus impedimentis dirimentibus matrimonium jam contractum, non potest ordinario jure dispensare, nisi ex tacita concessione in casu necessitatis, quando sequentia concurrunt.

1. Ut

Ut defect° sit dispensabilis. 2. Ut sit occult°, id est, non sit notorius, seu divulgatus. 3. Ut ex altera parte saltem, matrimonium bona fide sit contractum. 4 Ut non sit facilis accessus ad Papam. Ita comm *Sanch. Con. Mart. Perez. d. 4. s. 7.* Quando autem contractum est ex dispensatione subreptitia non potest Episcopus sua dispensatione priorem confirmare. *Dian. p. 9. t. 7. R 40. ex. Prap. Perez. &c* In impedimentis verò dirimentibus matrimonii nondū contracti, videtur nunquam posse: imò nec legatus à latere, nisi ex speciali facultate. *Laym. lib. 5. tr. 10 p. 4. cap 6 lib. 1, tr 4 c. 22. Bon. q. 3. p. 15. &c.* contra quos *Dia. p. 8. t. 3. R. 80.* cum *Prap. Villa'. & Escob. de leg ex 14. c. 4.* putat Episcopum id posse aliquando in casu raro, ex causa maximè urgente, si omnibus tentatis judicetur necessarium esse ad vitandam gravem infamiam, vel grave scandalum, cui aliter occurri non posset; idque tacita Papæ licentia.

Resp. II. In Impedimentis non dirimentibus, possunt Episcopi dispensare universaliter. Quod addo, quia excipiunt illa, quæ jure naturali & divino impediunt, ut votum castitatis absolutum, & perfectum. (*Bon. q. 3. p. 15. ex Nav. Sant. &c.*) & sponsalia priora, ut habet *Tann. d. 8. q. 4. dub. 2. n. 30. ex Sanch. l. 7. d. 17. n. 8* Idem habet *Fill. t. 10. p. 2. cap. 40. n 306. Laym. l. 5. c 10. p. 2. cap. 15. num. 2.* sub finem. Similiter Episcopus potest dispensare in impedimentis, quæ matrimonio superveniunt, & impediunt petitionem debiti, v. g. cognationis spiritualis, vel affinitatis. *Bon. l.*

*ex*

ex Sanch. l. 8. d. 12. n. 16. Fill. l. c. ubi excipit incestum commissum (matrimonio consummato,) cum consanguineis uxoris, in iis, qui non sunt juvenes,

Resp. III, Possunt etiam confessarii regulariter approbati, de licentia tamen suorum Provincialiū, dispensare ad petendum debitum conjugale, propter cognitionem consanguinei conjugis in secundo gradu, ut Rodrig. regularium to. 1. q. 63 a. 1. nullo modo tamen in impedimento ipso. vid. Mart. Perez. d 44 s. 7. n. 13. Dixi, Provincialium: quia quod Molfes. Leon &c. volunt, Confessarios Societatis JESU habere omnes hanc facultatem immediatè à P. Generali, id refutat Dian. p 3 t. 2. R 14.

Resp. IV. Ut licitè dispensetur in impedimentis dirimentibus, requiritur justa causa: qualis secundùm Fill. cap. 8. est v. g Extinctio magnæ litis, vel odii inter agnatos. 2. Ablatio scandali. 3. Inæqualitas matrimonii, nisi consanguineis vel affinibus nubatur. 4 Defectus dotis competentis. 5. Conservatio facultatum in eadem cognatione. 6 Merita petentis dispensationem. Plures vid. apud Sanc. d 19. Con. d. 33. Hurt. d. 26. Mart. Perez. d. 44. s. 5. ubi notat. 1. Quantò gradus consanguinitatis vel affinitatis est propinquior, tantò requirì causam graviorem. 2. Sæpè plures aggregatas causas sufficere, quarum singulæ non sufficerent. vid. etiam Dia p. 8. t 3. R. 93.

Resp. V. Si quis dubitet an habeat impedimētum dirimens, v.g. contrahendi matrimonium cum certa persona, & adhibita dilegentia sufficiena

ficienti non possit intelligere veritatem, probabile est posse cum ea contrahere sine dispensatione, (nisi tamen præsumptio aliqua stet pro impedimento) quia possessio stat pro libertate contrahendi, *Sanch. Sancius, Franc. Lugo. Bardi. d. 6. c. 11. p. 7. §. 11.* contra *Laym. & Palaum.*

# LIBER VII.

## *De Censuris Ecclesiasticis, & Irregularitatibus.*

### CAPUT I.

### *De Censuris in genere.*

### DUBIUM I.

### *Quid Censura Ecclesiastica?*

RESP. Est pœna spiritualis & medicinalis, per quam homini baptizato deliquenti, ac contumaci, per potentiam Ecclesiasticam auferetur usus quorundam bonorum spiritualium, *Laym. l. 1. t. 5. p. 1. c. 1.* Unde resolves.

I. Per censuram non privatur homo bonis merè internis, v.g. charactere, potestate ordinis: nec bonis propriis, ac privatis, v.g. fide, charitate, gratia, &c, sed quibusdam externis & publicis, sive actionibus, quæ habent spiritualem aliquem effectum, vel commodum, ut sunt sacrificium, officium divinum, beneficium administratio & su-

& susceptio sacramentorum, indulgentia, publica Ecclesiæ suffragia: quia hæc, & non illa subsunt dispositioni Ecclesiæ Unde si interdum privetur bono aliquo temporali, v.g. convictu humano per excommunicationem, id tantùm fit secundariò.

II. Exilium, carcer, servitus, privatio beneficii, nisi adjunctam habeant suspensionem aliquam spiritualium actionum, non sunt censuræ, quia sunt pœnæ temporales,

III. Nec degradatio, vel depositio est censura, quia etsi sit pœna spiritualis, non tamen medicinalis, sed perpetua, & ob peccatum præteritum, etiam emendatum potest infligi.

IV. Nec cessatio à divinis: quia non imponitur per modum medicinæ, ad tollendam contumaciam, sed ad propulsandam injuriam Ecclesiæ factam.

V. Nec irregularitas, sive sit ex defectu, quia hæc non est pœnalis, sed tantùm impedimentum Canonicum, sive sit ex delicto, quia hæc non infligatur per modũ pœnæ medicinalis, sed punitivæ, & ex se perpetuæ. Unde nec tollitur per absolutionem, sicut censura, sed per dispensationem. *Bon. d. 1. q. 1. p. 1.*

VI. Quando in Jubilæis, vel privilegiis, datur potestas absolvendi à censuris, non comprehenditur irregularitas, nisi expressè addatur.

## DUBIUM II.

### *Quotuplex Censura?*

Resp. Dividitur 1. Essentialiter in Excommunicationem, Suspensionem, & Interdictum. 2. Accidentaliter in eam, quæ est à jure, & fertur per Canones, constitutiones, vel statuta Ecclesiastica, stabili ac permanent lege: & eam, quæ est ab homine, quæ scilicet fertur à judice, vel Prælato, per modum mandati, vel sententiæ judiciariæ. Estque vel particularis, circa factum aliquod particulare, aut certas personas; vel generalis, quæ nulla singularis facti aut personæ determinatione fertur. 3. In eam, quæ est sententiæ latæ, quam scilicet jus, aut Judex statuit ipso facto, (quo quis v.g. contra legem facit) sine alia sententia incurrendam: & eam, quæ est ferendæ, quam jus, aut Judex non vult ipso facto incurri, sed per sententiam infligi. Pro quibus dignoscendis, consideranda sunt verba, quibus censura fertur: quæ si includant alteriùs actionem, seu ministerium, significant censuram esse sententiæ ferendæ: latæ verò, si non includant. Si verò ambigua sint, teneri potest *regula 49. juris in 6.* quod in dubio circa pœnas, benignior interpretatio sit facienda. *Unde resolves.*

I. Est censura latæ sententiæ. 1. Si verba sint præteriti, aut præsentis temporis, v.g. excommunicavimus, excommunicatus est vel fuit, excommunico, suspenduntur, interdicuntur, volumus aut jubemus esse excommunicatum, sus-

pen-

spensum, &c. 2. Si addatur patricula, *ipso jure*, *ipso facto*, vel, *sine alia sententia*. 3. Si verba sint imperativi modi, v.g. incidat in excommunicationem, maneat interdictus, &c. Ratio, quia hæc omnia nullius actionem interponunt.

II. Sententiæ ferendæ est saltem ut plurimum. 1. Si verba sint futuri temporis, v.g. excommunicabitur, suspendetur. 2. Si dicatur, excommunicetur, suspendatur, volumus excommunicari. 3. Si verba sint minatoria, v.g. sub pœna excommunicationis, sub interminatione anathematis, &c. nisi tamen ex adjunctis aliud colligatur.

## DUBIUM III.

### *Qui possint ferre censuram, & in quos?*

Resp. I. Censuram ferre potest omnis, ac solus superior Ecclesiasticus habens in foro externo, seu contentioso jurisdictionem, sive ordinariam sive delegatam.

Porrò ordinariam, quæ est ratione officii, vel alterius juris, potestque delegari Clerico, Clericatûs privilegiis gaudenti (ut *Bon. d. 1. q. 1. p. 2. Laym. l. 1. t. 5. p. 1. ca. 3 num. 1.* ex *C. Cum Ecclesiarum*, *S. Thom. &c.* docent) habet. 1. Papa respectu totius Ecclesiæ. 2. Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, eorumque Vicarii Generales. 3. Generales Provinciales, & Superiores locales religionum respectu suorũ subditorum. 4. Congregationes religionũ, Concilia provincialia Episcoporum

porum. Capitula provincialia quorundam religiosorum, & denique. 5. Quidam alii ex concessione, ut multi Archidiaconi, Archipresbyteri, & Decani.

Delegatam habent, quibus ea committitur ab ordinariam habente: cujus morte exspirat: nec delegatus potest alteri delegare, nisi habeat specialem hujus commissionem, ut si sit delegatus Papæ. *Vnde resolves.*

I. Non possunt potestate ordinaria ferre censuram, 1. Parochi. 2. Laici: quia non sunt capaces jurisdictionis Ecclesiasticæ; uti & religiosi professi non habentes primam tonsuram. 3. Fœminæ, licet sint Priorissæ, vel Abbatissæ: quia non sunt capaces jurisdictionis seu potestatis clavium. Quando verò in jure dicuntur posse subjectos sibi Clericos suspendere ab officio, vel beneficio, suspensio non accipitur propriè pro censura, cujº violator irregularitatē incurrit, sed latè & impropriè, pro præcepto, quo Abbatissa Clerico sibi quodammodo subjecto prohibet celebrationem, donec satisfecerit, subtrahens ei reditus interea. *v. Bon. l. c. Laym l. 1. t. 5. p. 1. c. 3. n. 3.*

Resp. II. In omnes, & solos subditos alicui superiori Ecclesiastico, potest ferri censura; quia subjectio & jùrisdictio sunt correlativa. *Laym. l. 6. ca. 3.* Vnde resolves.

I. Non baptizati non incurrunt censuras, licèt sint catechumeni: nec mortui: quia non subsunt jurisdictioni Ecclesiæ. Nec refert, quod quandoque mortui dicantur excommunicati; nō enim de novo ligantur, sed excommunicatio prior

prior tantùm declaratur, ac vivis prohibetur, ne cum iis agant, orando pro illis, sepeliendo, &c. Similiter dicuntur absolvi ab excommunicatione, quando sepultura & orationes publicæ pro illis permittuntur. *Laym. l. c.*

II. Advenæ & peregrini brevi tempore alicubi commorantes, non ligantur censuris locorum generali sententia aut statuto decretis: quia non sunt subditi. *Laym l. c n. 5.*

III. Etsi subditi extra suam diœcesin, (vel in loco diœcesis exempto) delinquentes contra legem sui Episcopi, non incurrant censuram; superior tamen saltem regularis, potest suos subditos, ubicunque existant, per particularem sententiam censuris innodare. *v. Laym. l. c.*

IV. Hæretici, Apostatæ, & Schismatici, possunt affici censuris: quia per baptismum sunt subjecti Ecclesiæ. *v. Laym. l. c.*

V. Solus Papa non potest incurrere censuram, quia nulli est subjectus. *Bon. l. c.*

## DUBIUM IV.

### *Ob quam causam possit ferri censura?*

Resp. Ob solum peccatum externum, censuræ proportionatum, & conjunctum cum contumacia. Et quidem in interdicto locali potest esse alienum, v. g. Prælati, vel communitatis, (non tamen hominis privati) alias requiritur proprium. *Bon p. 3.* Unde resolves.

I. Non possunt censurari infantes, vel amentes,

tes, quia non peccant. *Bon. d. 1. q 1. p. 4. Laym. c. 4. n. 3. ex S. Thom. Suar. &c.*

II. Etsi ob peccatum veniale interdum fieri possit levis suspensio, vel leve interdictum, excommunicatio tamen major, suspensio gravis & interdictum, personale speciale, (quicquid sit de generali) non potest ferri, nisi ob culpam mortalem, quia alioqui pœna non esset proportionata culpæ. Imò cum sint pœnæ medicinales, non debent infligi pro quovis mortali, sed quibusdam tantum, ne censuræ contemnantur, ut monet *Trid.*

III. Actus peccati, ob quem censura fertur, debet esse mortalis, non tantùm quoad actum internum, sed etiam quoad substantiam operis externi. Hinc non excommunicatur leviter percutiens Clericum, etsi intentionem mortalem habuisset, uti nec, qui interius tantùm est lapsus in hæresin, quam exterius non significavit; quia Ecclesia tantùm judicat de externis. *Benac. l. c.*

IV. Actus peccati in suo genere debet esse perfectus, & consummatus, nisi expresè aliud sonent verba legis: quia pœnæ & odia sunt restringenda. Hinc excommunicationem homicidæ non incurrit: favens, mandans, consulens, juvans, nec vulnerans lethaliter, nisi mors sequatur. Item quando excommunicatur mandans, consulens, &c. vel ferens suffragium pro indigno, subintellige efficaciter, seu effectu secuto: quia sine eo mandatum, consilium & suffragium, non est completum, & perfectum in genere homici-

dii,

dii, furti, &c. Alii tamen attendendum esse putant, utrum in mandantes, consulentes, &c. principaliter, & per se feratur excommunicatio, an verò accessoriè tantum: & dicunt priore casu esse excommunicatos, etsi non sequatur effectus, non item in posteriore. Quæ sententia in praxi est tutior. *Bon. l. c.*

V. Quicquid excusat à peccato mortali, excusat etiam à gravi censura, v.g. materiæ parvitas, impotentia legem implendi, defectus advertentiæ & deliberationis, ignorantia invincibilis, sive ea sit facti, ut v.g. si nescias, quem percutis esse Clericum; sive juris, ut si scias esse Clericum, teque mortaliter peccare percutiendo, nescias tamen percussionem illam sub excommunicatione prohibitam esse. Ratio, quia non es contumax.

Dixi, *invincibilis*: quia ignorantia culpabilis & crassa non excusat, nisi addatur in lege certus modus, v.g. qui hoc fecerit scienter, consultò, qui præsumpserit ausu temerario violare, (quæ verba, utpote in re odiosa, accipienda sunt strictè) talis autem non potest dici temerariè præsumere, nisi ignorantia esset affectata, formalem dolum includens. *Escob. t. 4. c. 6. n. 37. Sanch. de matr. t. 3 l. 9 d. 32. n. 31.*

VI. Non incurritur censura ob peccatum soli naturali, vel divino juri repugnans, sed requiritur præceptum Ecclesiæ, quod contumaciter violetur. Item, nec ob peccatum merè præteritum potest censura infligi ab homine, nisi aliquo modo pendeat in futurum, ratione

scandali, vel restitutionis non factæ, vel perseverantiæ in peccato post monitionem, quia abest contumacia. Nec refert, quod quis ob peccatum præteritum, vel etiam sine peccato, (modo justa causa subsit) possit ad tempus arceri ab aliorum consortio, altari, communione, &c. ut subinde fit in religionibus, & in jure etiam vocatur excommunicatio, vel suspensio, sed latè, quia non est censura proprie dicta, cujus violatio inducat irregularitatem sed simplex tantum pœna. *Fill. t. 11. c. 6. n. 186.*

VII. Non incurrit censuram, qui legem transgreditur ex gravi metu, licet quandoque non excusetur à gravi culpa, quia non censetur contumax, *Lay. l. 1. t. 5. p. 1. ca. 5. n. 9. Bon. d. 1. q. 2. p. 3. n. 2 ex Suar. Con. &c.*

VIII. Censura invalida est ex triplici capite.

*Primò* ob defectum ferentis, si scilicet careat jurisdictione, vel eam habeat impeditam per censuram, vel suspensam per legitimam appellationem, de qua *v. Lay.*

*Secundò*, si substantialis ordo judicii præteatur, ut si reus non citetur, nec moneatur sub comminatione censuræ. Ratio, quia non est contumax, qui ante non fuit monitus de præcepto & pœna annexa. Quod tamen intellige de censura ab homine lata, per sententiam particularem: quia, quæ fertur à jure, vel per sententiam generalem, vel etiam specialem, respectu tamen actus futuri, non eget alia monitione, cum lex aut sententia seipsa satis moneat. Idem est de sententia non illativa censuræ, sed declaratoria tantum:

quia

quia absque alia monitione declarari potest censura incursa, quando crimen, cui est annexa, commissum esse evidenter constat. Porrò ut censura sit licita, requiritur 1. ut dicta monitio sit Canonica, id est, trina, juxta Canones: etsi aliquando ex justa causa sufficiat una tribus æquivalens, v.g. moneo te semel pro tribus vicibus. 2. Ut ex scripto recitetur. 3. Ut causa censuræ exprimatur. 4. Ut reo petenti exemplum scripturæ intra mensem tradatur: alioqui Judex ipse suspenditur à divinis officiis, *Fill. t. 11. c. 4.*

Tertiò, ob defectum justæ causæ. Hæc autem deficere potest tripliciter. 1. Si nec à parte rei, nec secundum allegationes fori externi, subsistat. 2. Si à parte rei crimen subsistat quidem, non tamen in ordine ad judicium: quia reus de eo non confitetur, nec legitimè de eo convincitur. 3. Si à parte rei non subsistat crimen, etsi juridicè probetur, ideoque titulum seu causam præsumptam habeat Judex. In quo casu etsi sententia à parte rei sit injusta, ideoque probabilius censura non liget in foro conscientiæ; in foro tamen externo servari debet, propter scandalum. *v. Laym. p. 1. c. 6.*

## DUBIUM V.

### *Qui possint absolvere à censuris?*

Resp. 1. A censura lata per sententiam particularem, ordinariè is tantum potest absolvere, qui eam tulit, vel ejus superior, vel successor, vel dele-

delegatus. Ab ea quæ lata est à jure communi, vel ab homine per sententiam generalē, si non sit reservata, potest absolvere quivis, qui censuratum potest absolvere à mortalibus: si verò sit reservata, ordinariè, & per se, potest tantùm relaxari ab auctore legis, vel ejus successore, vel delegato.

Dixi I. *Ordinariè*: quia in articulo mortis quivis Sacerdos absolvere potest à quavis censura.

Dixi II. *Per se*: quia per accidens, & exprivilegio, possunt etiam alii. *Lay. l 2 t. 5. p. 1. ca. 7.*

Resp. II. Episcopi, secundum *Trid. sess. 24. ca.* 6. possunt 1. absolvere in foro conscientiæ, per se, vel Vicarium ab omnibus censuris occultis, etiam in Bulla Cœnæ Papæ reservatis, excepta hæresi, à qua per se ipsos tantùm absolvere possunt, (quantum est ex vi hujus decreti,) Dicitur autem censura occulta, quæ contracta est ob delictum non publicum, nec ad forum contentiosum deductum; aut si deductum fuit, à quo reus ob defectum probationis fuit absolutus. *Bon. d. 1. q. 3. p. 1. n. 15 & p. 2. n. 1. ex declar. Card. &c.* 2. Possunt etiam sæpè absolvere à censura Papæ reservata, propter impedimentum ejus qui incurrit, vel quando propter senium, morbum, sexum, paupertem, Pontifex non potest adiri. *Bon. l. c. ex Navar. Sanch. Avila. Con. &c.*

Resp. III. Multi religiosi, præsertim Mendicantes, possunt ex suis privilegiis, (in foro tamen interno tantum) à variis censuris absolvere. *v. Dia. p. 9. t. 4. R. 63.* Quare à superioribus suis illa privilegia petant, cum ad confessiones audien-

das

das exponentur, & circa ea sequentes regulas sequantur.

Prima. Qui habet potestatem absolvendi à censuris reservatis Episcopo, non potest vi illius absolvere à reservatis Papæ.

Secunda. Qui habet potestatem absolvendi à reservatis Papæ, non censetur posse absolvere à censuris Bullæ Cœnæ: eò quòd hæ censeantur majores, nec comprehendi in concessione generali. *Dia. p. 5. t. 12. R. 34. ex Suar. &c.* contra *Bossium.*

Tertia. Qui habet potestatem absolvendi à censuris Bullæ Cœnæ, habet etiam à quibusvis Papalibus & Episcopalibus à jure latis, etsi aliqui negent de excommunicatione contracta propter hæresin, de qua alii probabilius affirmant, præsertim pro regionibus Septentrionalibus; pro quibus alioqui concessio magnam partem esset inutilis.

Quarta. Possunt Regulares per sua privilegia, sicut ab aliis censuris Papæ reservatis, ita etiam absolvere duello certantes (idem dic de similibus casibus) post constitutionem *Clementis VIII.* sicuti poterant ante eam, præterquam in Italia extra urbem: idque ex declaratione ipsiusmet *Clementis* apud *Comitolum l. 6. mor. Regin. l. 21. n. 83. Fill. tom. 1. t. 15. ca. 5. Lay l. 3. t. 3. p. 3 c. 5.*

Resp. IV. Ampla etiam solet dari potestas à censuris absolvendi in Jubilæis: in quib⁹ diligenter considerandum, quid, quantum, & quomodo concedatur. Si enim detur potestas absolvendi à casibus reservatis Papæ, etiam conceditur

potestas absolvendi à censuris Papæ reservatis: quia is non solet reservare casus, nisi ratione censuræ adjunctæ. Porrò absolutio data confitenti bona fide in Jubilæo, cum intentione lucrandi illud, etsi postea vel sua negligentia, vel propter aliud impedimentum non lucretur, est valida, tollitque censuram. Secus si ab initio indulgentias lucrari noluerit: eo enim casu probabilius est absolutionem non valere, & tam peccata reservata, quam censuram de novo debere tolli ab eo, qui potest extra Jubilæum.

## DUBIUM VI.

### *Quomodo danda sit absolutio à censura?*

Resp. Id statuendum esse ex natura tum censuræ, tum cujusvis absolutionis. Ex qua circa absolvendi modum *resolves.*

I. Ex natura rei non requiruntur certa verba, sed sufficiunt ea signa, quibus apertè significetur absolutio impendi. In foro tamen externo communiter servanda est forma cujusque Episcopatus. In foro autem conscientiæ hæc ferè est in usu: *Ego te absolvo à vinculo*, v. g. *excommunicationis, suspensionis &c. quam incurristi propter N. N. (talem causam)* & (si sit excommunicatus) *restituo te Sacramentis Ecclesiæ, & communioni fidelium, aut* (si sit suspensus) *executioni tuorum ordinum vel officiorum, vel beneficiorum, In nomine Patris &c.* In publica autem ac solemni absolutione præmittitur Psalmus *Miserere*, & ad sin-

singulos versus pœnitentis humeri denudati leviter percutiuntur (nisi ex justa causa talis cæremonia videatur omittenda, præsertim in fœminis) tum adjectis precibus absolvitur & in Ecclesiam introducitur. Idem modus ferè servatur in absolutione mortuorum, nisi quod sepulchrum virgâ percutiatur. *v. Rituale Romanum.*

II. Absolvi à censura potest absens, imò & invitus, etsi hoc communiter non liceat, ne censura contemnatur. Ratio, quia sicut pœna in absentem & invitum potest statui, sic & auferri. *Turr. Dian. p. 5. t. 9. Resolut. 10.*

III. Is, qui pluribus censuris est astrictus, potest absolvi ab una, relictis aliis: quia inter eas non est necessaria connexio. Unde si dicatur, *absolvo te ab omni vinculo*, &c. valet pro omnibus; ideoque si sic absolutus in Jubilæo forte omisisset invincibiliter peccatū habens annexam censuram, id est, excommunicationem, posset is postea ab eo peccato per quemvis approbatum absolvi, cum non sit amplius reservatum, eò quod censura, ratione cujus tantum erat reservatum, sit sublata.

IV. Absolutio, vi aut metu gravi, injustè incusso extorta, non valet; imò novam excommunicationem incurrit, qui metum incutit.

V. Absolutio data ab ordinario, non præstita satisfactione, etsi sit illicita, valida tamen est; imò etiam data à delegato, modo non delegetur cum conditione satisfactionis: quæ si impossibilis sit, sufficit præstare cautionem, aut juramentum de satisfaciendo cum poterit.

VI. Dari potest absolutio sub conditione de futuro contingenti ; cum sit actus jurisdictionis externæ, qui conditionatus esse potest. Communiter tamen non expedit sic absolvi: si enim reus absolutionem meretur, non debet apponi conditio, si non meretur, non debet absolvi.

VII. Potest etiam dari absolutio ad reincidentiam, id est, pro certo actu & tempore, quo transacto reincidat : item sub certo onere, quo non impleto, censura reviviscat.

VIII. Probabilius est, eum qui habet potestatem absolvendi in foro conscientiæ à censura, posse id facere etiam extra confessionem, ut contra *Navar. Suar. & alios* docet *Sanch. l. 8. de matr. d. 16. Con. Dian. &c.*

## CAPUT II.

### *De Excommunicatione.*

### DUBIUM I.

### *Quid sit, & quotuplex?*

RESP. Excommunicatio est censura, per quam quis privatur communione Ecclesiæ. Estque duplex : Minor, quæ tantum privat usu passivo, seu receptione Sacramentorum, & Major, quæ etiam dicitur Anathema, ac in jure fere semper nomine excommunicationis intelligitur, privatque omni communione Ecclesiastica, secundum dicenda. Per hanc Majorem excommunicatus, rursus est duplex : Toleratus, quem fideles

deles non tenentur vitare: Non toleratus, quem tenentur vitare. Et quidem post *Concilium Constantiense*, non tolerati sunt hi tantum. 1. Notorius Clerici percussor, de quo *infra* 2. Quivis nominatim excommunicatus, & specialiter ac publicè denunciatus. *Vnde resolves.*

I. In Germania Catholici securè communicant cum iis, qui notoriè sunt Hæretici, & consequenter excommunicati, quia non sunt nominatim excommunicati, ac publicè denunciati.

II. Non teneris vitare eum, quem scis peccasse contra legem, per quam illi etiam in particulari, sub pœna excommunicationis aliquid est vetitum, vel præceptum: quia requiritur, ut per sententiam expressam & specialem contra personam in particulari, post peccatum commissum, censura sit publicata, v.g. ut Joannes sit denunciatus excommunicatus; vel saltem ita exprimatur persona, ut non liceat de ea dubitare, v.g. excommunicamus talis loci Decanum, Prætorem.

III. Licet dicatur, Excommunicamus Petrum, v.g. incendiarium, & ejus complices, solus Petrus vitandus est, non verò alii, etsi sint notorii: quia sententia quoad illos, est tantum generalis, & non specialis contra certam personam.

IV. Non teneris vitare eum, qui privatim in conclavi est denunciatus: quia id non est factum publicè: ad hoc enim requiritur, ut sententia legatur, vel affigatur aliquo loco celebri, v.g. in templo tempore concionis, vel aliter pro more regionis.

DU-

## DUBIUM II.

### *Ob quam causam incurratur, & quem effectum habeat excommunicatio Minor?*

Resp. Incurritur ob unicam tantum causam; si quis nimirum cum excommunicato majore excommunicatione communicet iis casibus, quibus non licet. Effectus ejus est, privatio sacramentorum perceptionis. *v. Laym. l. 1. t. 5. p. 2. cap. 5.* Unde resolves.

I. Cum jura dicunt, communicantem cum excommunicato incurrere similem excommunicationem, sensus est, quod similiter, id est, verè excommunicetur, licet minore.

II. Propter communicationem cum excommunicato Minore excommunicatione, etiam nominatim denunciato, nulla incurritur censura.

III. Etsi excommunicatus minore excommunicatione, recipiendo aliquod Sacramentum non incurrat irregularitatem, graviter tamen peccat: administrando verò, probabile est, nec venialiter peccare.

IV. Incurritur hæc censura, etsi quis propter levitatem materiæ tantum venialiter peccet, v. g. confabulando nominatim excommunicato, quando non licet: secus, si sit veniale propter imperfectum usum rationis: quia pœna infligitur propter actum, qui quantum est ex se, sufficit ad mortale.

V. Etsi

V. Etsi peccatum veniale possit omitti in confessione, non tamen illud, cui hæc censura est annexa, ne Sacramentum in ea recipiatur. Unde etiam Confessarii ordinariè prius absolvunt fideles ab omni vinculo excommunicationis, etiam minoris, deinde à peccatis.

VI. Ab hac excommunicatione lata à jure, absolvere potest Parochus, & quisquis potest à mortalibus; cum non sit reservata. An verò qui potest absolvere à veniali, habente annexam hanc excommunicationem, possit etiam ab ipsa, quidam affirmant, ut *Navar.* & *Tol.* alii probabilius negant, ut *Suar. Con.* quia sicut hæc absolutio est distincta à sacramentali, ita etiam ad eam requiritur distincta jurisdictio, quæ nusquam conceditur omnibus Sacerdotibus, *v. Laym. l. 1. t. 2. p. 2. ca. 3.*

## DUBIUM III.

### *Quos effectus habeat excommunicatio Major?*

Resp. Habet duplices; Mediatos, & Immediatos.

Mediati, sive remoti sunt hi:

I. Irregularitas, quam excommunicatus incurrit, exercendo actum alicujus ordinis.

II. Si excommunicatus toto anno in excommunicatione contumaciter persistat, & ut jura loquuntur, insordescat, sit suspectus de hæresi, & contra eum ut talem procedi potest, ex *Trid. sess. 25. cap. 3.* ideoque (si crimen grave, & beneficii privatione dignum commisit) privandus est beneficio

ficio: imò etsi crimen non sit adeo grave, sitamen ad hæresis suspicionem purgandam citetur, tanquam hæreticus privari debet. *Bonac. d. 2, q. 2. p. ultim. ex Rebuff. Diaz. Navar. &c.*

Immediati effectus sunt sequentes.

I. Privat susceptione & usu passivo sacramentorū: unde nullus excommunicatus sive tolerarus, sive non, potest ea licitè recipere sub mortali, nisi excusetignorantia invincibilis, metus mortis, infamiæ, jacturæ bonorum, quia censura non obligat cum tanto rigore. *Lay. l. 1. t. 5. p. 2. c. 2.*

Dixi, *licitè*: quia validè suscipit omnia, saltem quoad substantiam, præter Pœnitentiæ; imò etiam hoc, si adsit ignorantia inculpabilis; dummodo cætera ad essentiam Sacramenti requisita non desint: quia per censuram non fit incapax absolutionis, etsi prohibeatur eam recipere, priusquam absolvatur à censura *Bon. d. 2. q. 2. p. 1. ex Fill. Suar. Con. &c.* Nec obstare, etiamsi excōmunicatio sit reservata, vel Confessarius sciens peccata habere annexam excommunicationem, tamen ex malitia absolvat, docet *Dian p. 3. t. 4. R. 78. ex Con. Suar. &c. & p. 5. t. 9. R. 53.*

II. Privat (saltem non toleratos) communibus Ecclesiæ suffragiis, orationibus, & fructu indulgentiarum non tamen privatis. Unde non tantùm quivis privatus, sed etiam sacerdos potest, tanquam persona privata, pro excommunicatis orare, etiam in publicis precibus, & sacro; imò actionem sacrificandi, prout pendet à merito

privato

privato operantis, offerre, vel ejus in Momento in particulari meminisse.

Dixi, *tanquam privata*: quia ut minister Ecclesiæ non potest. Hinc irritæ sunt ac nullæ omnes preces, quas pro excommunicato in persona Ecclesiæ, intercedentis pro ipso, Deo offert, adeoque privatur omnibus bonis, quæ in gratiã Ecclesiæ Deus concessurus fuisset.

III. Privat usu activo Sacramentorum & administratione. Quæ tamen excommunicato tolerato, & ad id requisito, & se non ingerenti quandoque est licita, v. g. si sit pastor, cujus subditi teneantur audire sacrum, nec sit alius qui celebret: imò si etiam non Parochus fortè rogetur, & invitetur ad celebrandum. Ac licet communis doctrina sit apud *Laym. hic ca.* 4. peccare fideles, si sine causa necessitatis, vel magnæ utilitatis, talem inducant ad Sacramentorum administrationem, quando alius minister haberi potest: contrarium tamen est probabile, ob facultatem concessam à *Concil. Constant.* cum talibus communicandi: & hinc nec illum, qui petit à tali Sacramentum, nec ipsummet excommunicatum, si conferat, præcisè ob censuram peccare. *Laym. l. c. n. 5. ex Soto. & Sanch. l. 7. de matr. d. 9. n.* 8 Idē docet *Bon. d. 2. q. 2. p. 2. §. 2. ex Vasq. Suar. &c.* Non tolerato autem illicita est Sacramenti administratio, præterquam in casu extremæ necessitatis: extra quam validè illud administrat, præterquam Pœnitentiam, quia hæc requirit jurisdictionem, quâ ipse caret *v. Laym. hic c. 2. Bon. l. c.*

IV. Pri-

IV. Privatio usus divinorum officiorum: ita ut non tantùm careat eorum fructu, sed etiam sub mortali iis nequeat interesse parte notabili, ita ut moraliter censeatur cum aliis communicare; nisi excuset ignorantia, vel necessitas vitandi scandali, aliave justa causa, *Bon. l. c. p. 3. §. 1. ex Suar. Fill. &c.* Similiter peccant etiam alii, qui cum excommunicato vitando eidem Missæ intersunt, ut ex communi docet *Bon. l. c. n. 9.* contra *Durand.* quia participant cum illo in divinis. Aliud tamen esset, si transiens per Ecclesiam aliud tractaret, vel breviter privatim aut omninò separatim oraret, aut si aliis unum sacrum audientibus, ipse aliud audiret: quia sic moraliter non censeretur communicare cum aliis, nec conjungi ad unam orationem fundendam. *Bo. l. c, n. 16 ex Suar. Henriq. Fill. Con. &c.* Ac licet peccatum hoc ex genere suo sit mortale, ex parvitate tamen materiæ subinde tantum est veniale, ut si exigua pars Missæ, v. g. usque ad Evangelium tantùm, cum illo audiatur. *Avila Dian. p. 5. t. 5. R 21.* vel si horæ privatim cum eo reciten-tur. *Dian p. 5. t. 9. R. 89 ex Suar. & alii 9.* Porrò per divina officia intelliguntur sacrificium Missæ, publica oratio, processio, cantus horarum, benedictio olei, aquæ, candelarum, & cætera annexa ordini Clericali, quæ solenniter fiunt, (excepta concione) in quibus licet alii fideles non teneantur vitare toleratum, tenentur tamen non toleratum sub mortali vitare, nisi vel levitas materiæ, ignorantia, aut simile quid excuset. Unde si talis præsens sit, moneri debet ut recedat: si no-

lit,

lit, debet extrudi, vel exportari, licet sit Sacerdos: nisi tamen gravius inde timeatur incommodum ob quod, si expelli non possit, omittendum est officium, etiam die festo, & celebrans nondum inchoato Canone debet abrumpere Missam; si inchoavit, potest cæteris abeuntibus sacrum prosequi, vel abrumpere, ob sententiæ utriusque probabilitatem: si consecravit, debet, solo ministro manente, pergere usque ad communionem inclusivè, & reliqua perficere in sacristia, vel alio decenti loco. Quid si excommunicatus negligat procurare absolutiouem eo fine, ut non audiat sacrum die festo, peccat mortaliter omissione sacri; secus si alia de causa negligat. Quod si etiam obligatus est ad Horas, non excusatur ab illis, (etsi non debeat dicere, *Dominus vobiscum*, sed *Domine exaudi*, *&c.*) quas si cum alio privatim legat, venialiter tantum videtur peccare.

V. Collatio Beneficii facta excommunicato nulla est, uti & præsentatio, vel electio, institutio, & confirmatio. Ratio, quia excommunicatus, etiam toleratus, non potest communicare in officio, proindeque incapax est beneficii, quod datur propter officium. Idque licèt ignoretur excommunicatio; quia ignorantia invincibilis etsi excuset à culpa, non tamen supplet defectum conditionis requisitæ ad valorem actus. *v. Less. l.* 2. *c.* 34. *d* 22. Imo probabile est, excommunicatũ, quamvis beneficio ante obtento non privetur, fructus tamen & distributiones non facere suas, ideoq; eas teneri restituere; etiam ante sententiam

tiam judicis: quia est privatus officio; fructus autem dantur propter officium, velut merces propter opus. Ita *Suar. & alij* contra *Sanch. & Con.* qui probabiliter putant, ex consuetudine non teneri ante sententiam, modò per se, vel alium, inserviat beneficio.

VI. Privat communicatione forensi. Unde excommunicatus nequit esse Judex, Advocatus, Procurator, (licèt pro semet ipso respõdere possit ipse. *Con. Prap. Dian. p. 5. t. 9. R.* III.) actor, tabellio, testis, &c. ita ut contra excommunicatum, etiam toleratum, semper possit reus excipere. Quod si non faciat nec judex eum repellat, valida ejus acta erunt, si sit toleratus: secus est, de judice non tolerato, cum sit privatus jurisdictione, *v. Lay. ca. 2. Dia. p. 5. t. 9. R.* 112. 113. Non potest etiam esse tutor aut Curator, *Dia p. 5. t. 9. R.* 115. *ex Sylv.* Neq; testamenti executor, *Dian. p. 8. t. 9. R. 2. ex. Carp. &c* contra *Sanch. Lugo. &c.* Si tamen non fiat oppositio, validè exequitur *Ib.* Nec potest ipse testari licitè, etsi faciat validè, etiam cum excommunicatum instituit hæredem, *Suar. Vill. Merc. &c.* cum *Dian. l. c.* 119. Denique contractus omnes ab eo facti (etsi sint illiciti, & ratione eorum non detur actio in foro externo durante executione) valent nisi fiant ab eo ut persona publica, vel Ministro ratione muneris vel beneficij: quia tunc spectant ad jurisdictionem, quæ suspensa est. *Dian. p. 5. t. 9. R.* 128. *ex Con. Fill. Mercer, &c.*

VII. Excommunicatus non toleratus privatur

tur usu jurisdictionis. Unde non potest valide eligere, conferre, præsentare, ferre leges vel sententiam: & qui sic beneficium à non tolerato accipit, dicendus est intrusus, ac proinde tenetur, sine alia juris declaratione, beneficium unà cum fructibus relinquere.

Dixi, *non toleratus*: quia acta tolerati probabile est, esse valida, ob bonum commune: graviter tamen peccat, si absque necessitate talia exerceat.

VIII. Non toleratus privatur Ecclesiasticâ sepulturâ, ut non possit in loco sacro, seu benedicto sepeliri: & si contrarium fiat, ac corpora discerni possint, debet exhumari, nec in eo loco divina peragi ante reconciliationem.

Dixi, *non toleratus*: quia Ecclesia non polluitur, etsi hæreticus, non speciatim denunciatus, in ea sepeliatur, ut docet *Suar. Laym.* & alij. Jure nihilominus id prohibent Episcopi in Germania, eò quòd inter cæteras pœnas non communicantium in Paschate, etiam statuatur privatio sepulturæ Ecclesiasticæ.

IX. Excommunicatus privatur omni alia civili communicatione fidelium, ita ut ipse non possit cum aliis, & si non toleratus, etiam alii cum ipso non possint communicare: idque in casibus hoc versu comprehensis:

*Os, orare, vale, communio, mensa, negatur:*

Dicitur I. Os, per quod intelligitur osculum, & omne colloquium, etiam privatum, item per nutus, literas, internuncium, & quodvis signum benevolentiæ,

Dicitur

Dicitur II. *Orare*, id est omnis communicatio in divinis, de qua suprà.

Dicitur III. *Vale*, quod comprehendit omnem salutationem, (saltem honorificam) verbo, vel signo, vel amplexu; & secundum quosdam, etiam resalutationem, eò quòd sit actus observantiæ. Sed contrarium videtur verius, quia est solutio debiti. Imò *Satyr. &c.* cum *Dian. p. 5. t. 9. R. 16.* putant probabile, quod sola verbalis salutatio sit prohibita, non autem alia signa, v.g. aperiendo caput, &c. quæ urbanitatis causa fieri solent.

Dicitur IV. *Communio*, quæ comprehendit omnem contractum (qui tamen validus est, si fiat) item cohabitationem, cooperationem, societatem, v.g. in contractibus, ita ut mortaliter censeatur communicare; quod prudens æstimabit: unde nec iter cum eo tanquam cum socio facere licet.

Dicitur V. *Mensa*, per quam intelligitur omnis convictus, & connubia, per modum societatis & commercii; qualis non est, si casu incidas in idem hospitium, iter, mensam, imò lectum, *v. Bon. d. 2. q. 2. p. 6. §. 1. & 2.*

*Quares* I. Quale peccatum sit communicare cum excommunicato non tolerato?

*Resp.* Communicatio in divinis censetur mortale, propter gravitatem materiæ, in civilibus autem, (etsi inducat minorem excommunicationem) secluso tamē contemptu, tantùm est veniale regulariter, *Suar. Bauny. &c. Dia p. 7. t. 11. R. 47.* Quod addo, quia aliquando est mortale, ut si

ut si quis cum excommunicato communicet in eodē crimine, v. g. si quis concubinam excommunicatam cognoscat.

*Quæres II.* An aliquando liceat cum non tolerato communicare?

*Resp.* Quod sic, extra divina, in his quinque casibus. 1. In casu utilitatis, sive spiritualis ipsius excommunicati, v. g. ut convertatur, sive alterius, ut ab excommunicato consilium petat, quod ab alio habere non potest; sive etiam utilitas temporalis, v. g. ut ab eo restitutio, vel debitum ex contractu petatur. Contractus tamen novos cum ipso inire non licet, etsi si ineantur; sint validi, cùm nulla sit lex irritans. 2. Si in casu legis matrimonialis: quomodo uxori licet communicare cum marito, & contrà, nisi factum sit divortium *Dian. p. 5. t. 9. R.* 122, non tamen sponso de futuro cum sponsa, *l. t. R.* 136, ex *Sayr. Sanch. & Fill.* 3. In casu subjectionis: quomodo possunt filii etiam emancipati, (addit *Dian. p. 5 t. 9. R.* 118. 119 ex *Corn. Fill. Hurt. &c.* etiam adoptivi, vel illegitimi, imò etiam nepotes, pronepotes, & in eodem genere affines,) communicare parenti; servi, & ancillæ Domino: si ante excommunicationem fuerint in servitio. Similiter religiosi Prælato: non tamen nisi quod eam communicationem, quæ ab habitantibus in eadem familia evitari non potest. *Dian. l. c. R* 127. contra *Sotum. v. Fill. tr.* 12. *ca.* 8. *n.* 205. *Lay. & Bon. l. c.* 4. In casu ignorantiæ, iuris, vel facti. 5. In casu necessitatis, sive animæ, sive corporis, sive bonorum temporalium: qui casus hoc versu comprehenduntur.

*Vtile, lex, humilis, res ignorata, necesse.*

## DUBIUM IV.

### *Ob quas causas incurratur excommunicatio Major.*

Cùm hæ multæ sint, variæ sunt etiam excommunicationes, quæ in 4. potissimum classes dividuntur: nam aliæ nulli, aliæ Episcopo, aliæ Pontifici per Bullam Cœnæ, aliæ eidem extra illam reservantur.

## ARTICULUS I.

### *Quæ sint excommunicationes non reservatæ?*

Resp. I. Ex jure antiquo usitatiores sunt sequentes.

*Contra Omnes.* 1. In vexantes Ecclesiasticos, quod non elegerint eum, pro quo rogati fuerant. 2. In directores Monialium, si foveant discordias in electione. 3. In extorquentes absolutionem à censura per vim, aut metum. 4. In compellentes Ecclesiasticos, ut laicis submittant jura Ecclesiæ. 5. In docentes leges, vel medicinam religiosos, qui dimiserunt habitum, vel eos retinentes in suis scholis. 6. In sepelientes tempore interdicti, vel interdictos, vel excommunicatos non toleratos, vel manifestos usurarios. 7. In impedientes visitatores Monialium. 8. In Contrahentes matrimonium in gradibus prohibitis, vel cum Monialibus.

9. In

9. In edentes Gloſſas in Tridentinum. 10. In imprimentes libros ſine ſuperiorum licentia. 11. In præcipientes ſuis ſubditis, ne officia communia reipublicæ exhibeant Eccleſiaſticis, v. g. ne iis vendant, coquant panes, &c. 12. In Doctores & Profeſſores non facientes profeſſionem fidei, ubi recepta eſt Bulla *Pii IV.* 13. In negligentes adminiſtrare juſtitiam Eccleſiaſticis. 14. In poteſtates foventes uſuras.

*Contra Clericos.* 1. In Clericos in dignitate conſtitutos, aut Sacerdotes, audientes publicè jus, aut medicinam. 2. In Sacerdotes recipientes præfecturas ſeculares. 3. In Clericos minores Epiſcopis, locantes domos uſurariis. 4. In alienantes bona Eccleſiæ; vel locantes ultra triennium. 5. In impugnantes in concionibus montes pietatis. 6. In contrahentes matrimonium, ſi ſint in ſacris. 7. In fictè reſignantes, vel permutantes beneficia. 8. In præſumentes abſolvere à caſibus Bullæ Cœnæ.

*Contra Religioſos* 1. In audientes Leges vel medicinam extra clauſtra. 2. In habitum temerè dimittentes, vel matrimonium contrahentes. 3. In inſtituentes novum ordinem. 4 Adeuntes curias Principum, ad nocendum ſuis monaſteriis, vel Prælatis. 5. Tenentes arma ſine licentia intra clauſtra. 6. Non ſervantes interdictum, quando ſervatur à Cathedrali. *v Fill. tom. 1. t. 14. 15. ca. 84. Bon. d. 3. p 5. §. 1 n. 36.*

Reſp. II. Supradictis adjectæ ſunt à *Tridentino* ſequentes, quæ valent, ubi illud eſt receptum. 1. In imprimentes, imprimi mandantes, vendētes, apud ſe retinētes, vulgantes libros de rebus ſacris,

sine nomine authoris, & approbatione ab Ordinario obtenta. 2. In docentes, non esse necessariam confessionem ante sumptionem Eucharistiæ. 3. In raptores mulierum, juvantes, faventes, 4. In cogentes contrahere matrimonia cum præscriptis. 5. In magistratus, qui requisiti non juvant Episcopos, ad restituendam, vel conservandam clausuram monialium. 6. In ingredientes (cuiusqi conditionis, vel sexus fuerint) monasteria Monialium, sine licentia inscripto obtenta. 7. In cogentes mulierem ingredi monasterium, & profiteri. 8. In impedientes sine iusta causa, sanctam voluntatem mulierum emittendi votum 9. In dominos temporales, concedentes in terris suis locum pro duello.

## ARTICULUS II.

### *Quæ sint excommunicationes reservatæ Episcopis?*

Resp. Sunt hæ. 1. Quæ contrahitur ex levi percussione Clerici, vel gravi, si sit mulier. 2. In eos, qui absoluti in articulo mortis (à censura, vel peccato habente censuram annexam) ab eo, qui aliàs non poterat, non præsentant superiori se, postquam convaluerunt. v. *Fill. t. 15. ca. 10. n. 241. & 242.* 3. In Fratres Minores, si admittant in suis Ecclesiis, ad officia divina, Fratres tertii ordinis. 4. In procurantes abortum fœtus animati, effectu secuto. 5. In eos, qui communicant in eodem crimine cum excommunicatis ab Episcopo. 6. Et omnes,

omnes, quas ferunt Episcopi per propria statuta, & sibi reservant: quas Confessarii videāt in Agēdis.

## ARTICULUS III.

### *Quæ sint Papæ reservatæ extra Bullam Cœnæ?*

Resp. I. *Contra omnes* magis obviæ sunt sequētes. 1. In incēdiarios. 2. In habentes literas Apostolicas falsas, & non destruentes: item in falsarios literarum Apostolicarum. 3. In effringentes & spoliantes Ecclesias. 4. In communicantes eodē crimine cum excommunicatis à Papa 5 In vexantes eos, qui censurā in alios tulerunt. 6. In absolutos ab excommunicatione, sub conditione, & non implentes. 7. In violantes interdictum Papale. 8. In dantes & recipientes aliquid ex pacto, ob admissionē ad religionem. 9. In Simoniacos reales, circa ordinem vel beneficium. 10. In committentes simoniam confidentialem. 11. In Impedientes executionem literarum sacræ pœnitentiariæ. 12. In dantes recipientes aliquid, pro gratia, aut justitia, apud Sedem Apostolicam. 13. In committentes duellum, & ad id operantes, suadendo, &c. 14. In mulieres ingredientes Monasteria Regularium. 15. In impugnantes institutum Societatis JESU. 16. In facientes jurare illicita & contraria libertati Ecclesiasticæ. 17. In rapientes bona Ecclesiastica, item exigentes tributa ab Ecclesiasticis. 18. Violantes libertatem Ecclesiasticam, quoad fugiētes ad Ecclesiam. 19. Docentes posse fieri confessionē

in absentia. 20. In eos, qui alterutram opinionem de Conceptione B. Virginis, damnant peccati mortalis, vel hæreseos; item in eos, qui in concionibus, aliisque publicis actibus, ut lectionibus, conclusionibus, asserunt B. Virginem conceptam in originali. 21. In Percussores Clericorum. Quæ cum celebris sit, & multa scitu necessaria habeat, agetur de ea peculiariter infrà.

Resp. II. *Contra Clericos & Religiosos* sunt hæ. 1. Participantes in sacris cum excommunicatis à Papa. 2. Procurantes alienationem Ecclesiarum. 3 In Concionatores, qui scripturæ sensum à Doctorum interpretatione alienum, circa tempus Anti Christi, & extremi judicii, aliaque similia revelata prædicant. 4 In Parochos non implentes juramentum de residentia factum. 5. In Mendicantes transeuntes ad alium ordinem, præter Carthusiam. 6. In moniales exeuntes claustra sine licentia. 7. In religiosos, qui sine privilegio, vel speciali licentia Parochi, Clericis aut Laicis Sacramentum Eucharistiæ, vel unctionis ministrare, vel matrimonia solemnizare præsumunt.

)o(

ARTI-

## ARTICULUS IV.

### *Quomodo intelligenda excommunicatio percussoris Clericorum?*

Resp. Ea sic habet: *Si quis suadente diabolo in Clericum vel Monachum violentas manus iniecerit: anathematis vinculo subjaceat, & nullus Episcoporum præsumat illum absolvere.*

Dicitur I. *Si quis*: intellige cuiuscunque sexus aut status, etiam impubes, dummodo rationis compos & doli capax. Extenditur autem ad efficaciter mandantes, consulentes, consentientes, suo nomine factam rati habentes, non impedientes, saltem si ex officio aut iustitia teneantur, ut Reges, judices, & cæteri superiores. Item patres, tutores, heri, pædagogi, Parochi, &c. quibus aliorum cura demandata est. Ita *Laym. l. 1. t 5. p. 2. c. 5. n. 6. Bon. d. 2 q. 4. p. 1. n. 9. ex Molin. & commun.*

Dixi, *saltem, &c.* quia si ex charitate tantùm teneantur, etiam excommunicati, docet *Suar. Caiet. Fill. Medin. Sayr. &c.* Verùm id probabilius negat. *Bon. l. c. ex Navar. Con. Regin. Henriq Molin. &c:*

Dicitur II. *Clericum*: quo nomine intelligitur omnis prima saltem tonsura initiatus, (etiam si conjugatus, dummodo cum unica virgine,) & deferat habitum, serviatque alicui Ecclesiæ: item etiam excommunicatus, suspensus, interdictus, degradatus verbaliter tantùm.

Dicitur III. *Monachum*: intellig- quemvis religiosum, etiam laicum, conversum, novitium, utriusque sexus: itē tertiarias S. Dominici, S. Franciſci, ſi geſtent habitum, & vivant in communitate: itē eremitas ſubjectos alicui regulæ, vel ſuperiori.

Dicitur IV. *Manus injecerit*: per quod intelligitur quævis contumelioſa actio exterior mortalis, circa Clerici perſonam, ut res ei adhærentes, ſive fiat manu, ſive baculo, gladio, &c. *Bon. d. 2. q. 4. p. 1.* Ex dictis reſolvuntur ſequentes Caſus.

I. Hanc excommunicationem incurrit. 1. Qui talem conſpuit, conſpergit aqua, pulvere, conſpurcat luto, evellit crimen, lacerat veſtem, eripit aliquid per vim & iniuriam de eius corpore, v.g. pileum, pallium, &c. ita ut actio ſit graviter iniurioſa. *Bon. l. c. Lay. c. 5. n. 5.* 2 Qui concludit, aut violenter detinet carcere, vel loco, unde ſine dedecore non poteſt exire, *Ibid.* 3. Qui perſequitur, ut in flumen, vel foſſam incidat, equo decidat, &c. *Ibid.* 4. Qui manus violentas iniicit in equum, cui is inſidet, occidendo, vulnerando, cædendo, ſiſtendo per frenum, quæ actio licet ſit levis reſpectu corporis, non tamen reſpectu honoris, *Ibid.* 5. Qui aliquid ſupradictorum facit, etiam Clerico conſentiente, dummodò ſit injurioſum ordini Clericali, *Lay. l. c.* 6. Clericus, ſi ſe ipſum ex malitia vel paſſione (ſecus ſi ex devotione) percutiat iniuriosè *Lay. l. c. ex Nav.* 7. Qui percutit Clericum etiam meritum, ſi fiat, vel per quem non debet, ut ſi morte dignus puniatur à Judice ſeculari, vel modo illicito, ut ſi à Prælato puniatur per laicum. *Bon. l. c. ex Navar. Sayr. Suar. Fill. con. &c. vid. Lay. ca. 5.*

II. Non

II. Non incurrit. 1. Fur, qui clam abscindit crumenam, vel vestem tollit Clerico: quia non est actio violenta, sed fraudulenta. *Bon. l. c.* 2. Si percussio sit jocosa, vel casualis, v. g. si janitor, vel apparitor turbam arcens percutiat Clericum: item si pueri habentes primam tonsuram se pugnis percuriant. *Bon. l. ex Moll. Fill. Con. &c.* item si percussio sit ad defendendum se, vel vitam suam, vel uxoris, parentum, filiorum, vel res suas, cum moderamine tamen inculpatæ tutelæ. *Lay. infrà.* Et denique quandocunque percussio ob levitatem, vel imperfectionem actus, non esset mortalis, illata laico, ut docet *Caj. & Sa:* quod tamen *Suar.* universaliter non admittit, *v. Bon. l c.* 4. Si fiat in tenebris, vel Clericum non agnoscas, quòd habitum non gestet; quia ignorantiâ excusat. 5. Si Prælatus, præceptor, pater, subditum in minoribus constitutum, correctionis causa (licet ita accedat) percutiat moderatè, habita ratione culpæ: imò Prælatus & Præceptor Ecclesiasticus potest etiam in maioribus constitutum castigare. An idem possit pater, controvertitur in utramque partem probabiliter *v. Lay. loco mox citando* 6. Si percutiatur realiter degradatus, vel bigamus; vel exerceat publicè officium cauponis, vel macellarii, vel scurram, & ter monitus non cessat; vel inventus turpiter agens cum uxore, matre, sorore, vel filia; vel denique mulierem ipso facto sollicitans ad turpitudinem: quia perdit privilegium. *v. Lay. l. 1. t 5. p. 2. c 5. Fill. l 15. ca. 1.*

Resp. II. Etsi hæc excommunicatio sit reservata Papæ potest tamen Episcopus ab ea absolvere

his casibus: 1. Quando percussio, etsi sit mortalis, est tamen prudentum iudicio levis, comparata cum enormi, v.g si fiat palma, pugno, aut lapide, non relinquente vestigium: & secundum *Anton. & Dian. p. 9. t. 4. R. 19.* nisi notabilem injuriam, & magnum scandalum pariat, qualem negat esse, si quis Sacerdotem pugno percutiat in faciem, licet guttæ sanguinis effluant. Enormis verò erit si membrum præscindatur, copiosus sanguis fundatur; vel etiam ratione dignitatis personæ, ut si percutiatur Episcopus, vel Abbas, etiam alapa. 2 Si percussor sit impubes, pauper, æger, senex, mulier, cœcus, claudus, servus, filiusfamilias vel non sui juris: uti & regulares ac moniales invicem verberantes; item si sint homines delicati, & quotquot habent legitimum impedimentum, ut non possint ire ad Papam, aut eius legatum; vel si dubium sit de excommunicatione, *Fill. l. 15. c. 1. n. 35. & sequent.* Denique si sit occulta, *v. suprà hic c. 1. d. 5. & Dian. p. 9. t. 4. R. 63* In quibus omnibus casibus pro foro conscientiæ potest etiam facultas absolvendi impetrari (gratis quidem) ex Pœnitentiaria Romana à Maiore Pœnitentiario, ut *v. supra his l. 1. t. 2. c. 4. in appendi.*

)o(

ARTI-

## ARTICULUS V.

### *Quæ sint excommunicationes Papæ reservatæ per Bullam Cœnæ?*

Resp. Præcipua est in hæreticos: quæ extenditur non tantùm ad fautores, receptatores, & defensores hæreticorum ut sic, sed etiam in scienter retinentes, legentes, imprimentes, & defendentes libros hæreticorum, de religione tractantes, vel hæresin continentes. Ad quam excomunicationem incurrendam requiruntur 4. conditiones. 1. Ut author libri sit hæreticus. 2. Ut liber hæresin expresse contineat, vel de religione agat. 3. Ut legatur materia notabilis, & sufficiens ad mortale. 4 Ut scienter legatur, imprimatur, vel retineatur, *Laym. l. 2. t. 1. c. 15. n. 1.* Unde resolves.

I. Non excommunicari, 1. Si legas libros Catholicorum, referentes verba hæreticorum, etiamsi animo hæresin discendi legas, *Laym. l. c. ex Navar. Sanch. &c.* 2. Si in Catholici scriptoris libro, vel alio, hac Bulla non contento, legas adiecta scholia, vel notas authoris hæretici: quod tamen *Suar. tom. 5. d. 21. s. 2.* limitat, nisi scholia essent tam copiosa, ut ex iis potius, quam ex textu liber constare videretur. *Laym. l. c.* contra *Suar. & Sanch. &c.*

II. Non prohibentur hæreticorum libri philosophici, & alii hæresin non continentes, *Lay. l. c. n.* 3. Imo probabiliter nec ii, qui incidenter tantũ continent hæresin non agentes ex professo de fi-

de, *Sayr. Graff.* apud *Lay. l. c.* contra *Suar.* & *Sanch.* qui id confirmat pro Germania, ubi Bulla cum tanto rigore non est recepta, *v. Beca. 2. nu. 2. c. 15. q* 8. Legens tamen tales, incurrit excommunicationem non reservatam Indicis librorum prohibitorum, ubi is receptus est: quod non videtur esse factum in Germania, saltem cum isto rigore, ut habet *Lay. l c. n.* 8.

III. Excommunicatur 1. Qui in sufficiente quantitate solum proœmium; vel epistolam ad lectorem, vel indicem libri, vel partem libri, in qua nulla est hæresis, legit, ut habet *Laym. l. c.* & *Bon. 2.* Probabiliter etiam is, qui alterum jussu suo legentem audit per alium, *Lay. l. c. Azor.* &c. contra *Sanch.*

IV. Probabiliter non excommunicatur, qui hæreticam concionem, aut epistolam seorsim editam legit; quia non est liber, *Laym. l. c. n. 3. ex Sanch.*

V. Non sufficit una alterave linea; imò secundùm *San. Rodriq.* & *Sa.* nec integra pagina, etiam magni voluminis: quod tamen *Bon.* & *Lay. l. c.* non concedunt, licèt hic fateatur, Confessario id posse ad hoc servire, ut non continuo damnet peccati mortalis, & excommunicationis eum, qui bono fine, vel etiam ex curiositate unam paginam legit.

VI. Non incurritur, si retinentur libri parvo tempore, v. g uno alterove die: quia sicut materiæ, ita & temporis parvitas excusat, *Lay. n. 7. ex Graff Sayr. Sanc.* &c.

VII. Excusat ignorantia, etiam crassa, si vel nescias

nescias esse hæreticum, vel tractare de religione, *Laym. n. 4. v. Sanch. l. 2. mor. c. 10. & l. 9. de mat. d. 32.*

VIII. Non excusatur is, qui librum vel in aliena domo vel alieno nomine, vel animo non legendi habet. Item nec is, qui affirmat non esse pravum, non esse exurendum. Item qui impedit ne comburatur, qui disputationis causâ defendit. Ita *Bon.* qui tamen excusat eum, qui laudat stylum, vel ingenium authoris, vel bonam doctrinam, quæ in eo est, sed non quatenus in eo est: v. g. si dicas, hic liber esset bonus, si non haberet hæresin; quia talis non defendit. *v. Lay. l. c. Bon. d. 2. q. 5. p. 4.*

## Caput III.

### *De Suspensione & Degradatione?*

### DUBIUM I.

### *Quid sit Suspensio, & quotuplex, & unde dignoscendum, qualis, & quanta sit?*

Resp. I. Suspensio est censura, qua Clericus functiones aliquas Ecclesiasticas exercere prohibetur, *vid. Bon. d. 3. pag. 2. Laym. l. 1. tr. 5. p. 3. c. 1.* Unde resolves.

I. Solus Clericus potest suspendi.

II. Suspendere possunt, qui possunt ferre censuras.

III. Ex

III. Ex genere suo, & nisi parvitas materiæ excuset, est peccatum grave, exercere actum post suspensionem prohibitum: unde & irregularitatem inducit. Si tamen suspensus toleratus se non ingerat in tales functiones, sed ab aliis propter utilitatem requiratur, probabiliter non peccat, cùm alii licitè requirant. Imò etsi nominatim sit denunciatus & non toleratus, alii tamē non tenētur sub mortali eum vitare, nisi censeantur cooperari actui, à quo suspensus est: unde audire eius Missam, non erit peccatum, (saltem mortale) si non inservias. Ita probabiliter *Avila. Henriq. Suar. Sayr.* apud *Bon. d. 3. p. 4. n. 4.* etiam *Lay. l. c, c. 1. n. 7.*

IV. Suspensus non toleratus invalidè absolvit; quia non habet jurisdictionem.

Resp. II. Suspensio 1. alia fertur ad certum tempus, quo elapso exspirat, alia fertur absolutè, seu indefinitè, manetq;, donec per absolutionem tollatur. 2. Alia est ab officio, sive id sit ordinis, sive iurisdictionis: alia à beneficio: alia ab utroque. 3. Suspensio ab officio, vel est à toto vel à parte tantum, scilicet à functione ordinis, vel jurisdictionis. Item suspensio beneficii, vel est à beneficio absolutè, vel a quibus tantùm functionibus, eius ratione competentibus, *Laym. Bon. ll. cc.*

Resp. III. Quantitas & qualitas suspensionis, colligi debet ex verbis, quibus fertur. Quæ utpote in re odiosa, non ampliùs sunt extendenda, quàm proprie accepta significent. Unde resolves,

I. Suspensio absolutè, & in toto, prohibetur omne exercitium ratione officii proveniens, tam ordinis, quàm jurisdictionis, & consequenter non

potest

potest celebrare, nec validè excommunicare, beneficia conferre; &c. Suspensus verò à parte beneficii determinata, v.g. ab ordine tantùm, vel juris dictione, privatur tantum illius officii functionibus. Unde Episcopus v.g. à jurisdictione suspensus, etsi non possit excommunicare, absolvere, delegare, &c. potest tamen exercere actus ordinis, ut consecrare templa, ordinare, &c. *Bon. l. c.*

II. Suspensus à certa functione Ordinis, v. g. à Sacramentorum administratione, non est suspensus à sacrificio. Similer suspensus ab ordine, potest nihilominus conferre primam tonsuram; quia non comprehenditur sub ordine *Bon. p. 2. n. 6.*

III. Suspensus ab officio simpliciter, non intelligitur suspensus à beneficio, seu fructibus eius. Debet tamen per alium supplere, qui per se nequit, ut fructus percipiat, *Bon. n. 10. ex Nav. Suar. Henriq Fill. &c.*

IV. Suspensus ab ordine non videtur suspensus à beneficio; quia beneficium non fundatur in ordine. *Bonac.* tamen dicit, indirectè suspendi à fructibus eius; quia dum non potest facere officium, non potest percipere fructus, *v. n. 5.*

V. Suspensus à beneficio, etsi hoc ipso intelligatur suspensus à recipiendis fructibus eius, non tamen ab officio, sive jurisdictionis, sive ordinis, etiam quod illi ratione ipsius beneficii competit. Unde tenetur legere Horas, & cætera onera beneficii præstare, licet fructibus non fruatur: hoc enim debet sibi imputare. Non tamen privatur commodo, quod provenit ex anniversariis stipendiis

pendiis Missarum, nec eo, quod datur propter onus personale Clerici: quia non sunt fructus beneficii. Secus est de distributionibus quotidianis; licet ex his vel aliis beneficii fructibus possit ali, si aliunde sustentari nequeat, *Bon. l. c. n. 12. Sayr. Guar. Fill. &c.*

VI. Suspensus à beneficio potest nihilominus eligere, præsentare, conferre beneficium: quia etsi hæc jura competant illi ratione beneficii, illi tamen actus non sunt beneficii præcisè ut sic, sed potius officii & jurisdictionis, *ibid.*

VII. Suspensus à beneficio, vel ordine absolutè, & sine addito, intelligitur suspensus ab omni beneficio, vel ordine, nisi aliunde aliud constet. *Ibid. n. 8.*

VIII. Suspensus absolutè, intelligitur ab officio & beneficio, *Lay. c. 1. n. 2.*

IX. Suspenso Capitulo, vel Conventu, non censentur suspensi singuli, nisi sint in culpa, ait *Sa. V. Suspensio & Lay. l. c. c. 2. n. 3.*

X. Si Prælatus solo verbo dicat Sacerdoti, suspendo te, v. g. à celebratione, videtur esse simplex tantum prohibitio, non censura: quia hæc licitè non fertur, nisi scripto. Prælatus autem non debet præsumi velle peccare, nisi aliud constet de eius intentione, aut nisi religio habeat privilegium, absque scripto ferendi censuras,

*v. bon. de censuris in communi, d. 1. q. 1. p. 7.*

DUBI-

## DUBIUM II.

### *Quæ sint suspensiones in particulari, & quis ab eis possit absolvere?*

Resp. I. Suspensiones Juris communiores sunt sequentes.

I. Clerici ipso jure suspensi sunt. 1. Recipientes ordines sacros ab alieno, vel à proprio, in aliena diœcesi, vel sine ætate legitima, aut dimissoriis, aut titulo, vel extra tempora, aut non servatis interstitiis, vel per saltum, vel in censura, vel denique post matrimonium ratum: qui omnes suspensi sunt ab executione ordinum, nisi fecerint absque dolo: & si Ordine utantur, fiunt irregulares. 2. Excommunicans, suspendens, aut interdicens sine scriptura, & causæ expressione, est suspensus per mensem ab ingressu Ecclesiæ, nisi sit Prælatus regularis. 3. Clerici scienter eligentes Episcopum, vel Parochum indignum, suspenduntur à beneficiis biennio. 4. Ordinans & ordinatus simoniacè, est suspensus ab ordinibus. 5. Parochi jungentes sponsos alterius Parochiæ sine licentia. 6. Gravantes alienis debitis Ecclesias sibi commissas. 7. Occupantes bona vel census Ecclesiæ, beneficii, vel alterius pii loci. 8. Sodomiam exercentes, simoniaci, provocantes ad duellum, vel acceptantes, raptores vel præbentes auxilium. 9. Disputantes in alterutram partem in cœtu virorum ac mulierum, de immaculata Conceptione B. Virginis. 10. Visitantes, si accipiant pecuniam vel munera: qui

qui si sint Episcopi, suspensi sunt ab ingressu Ecclesiæ, si inferiores Episcopo, ab officio & beneficio usque dum restituant duplum, 11. Judex Ecclesiasticus (non Episcopus) qui facit iniuriam contra justitiam, & conscientiam parti litiganti, *v. Bon. d. 3. p. 5.*

II. Religiosi. 1. Apostatæ recipientes ordines in apostasia. 2. Admittentes ad professionem, ante annum probationis peractum. 3. Non utentes habitu, & vestitu, modo sibi præscripto. 4. Introducentes mulieres in Monasteria.

III. Episcopus, 1. Ordinans non subditum, suspensus est à Pontificalibus per annum: ordinans verò invitum suspensus est per annum à celebratione. 2. Admittens resignationes, contra formam præscriptam. 3. Intrans monasteria Monialium sine necessitate, *v. Fill. t. 17. c. 5.*

Resp. II. Præter has suspensiones aliæ sunt ab homine. quæ sint graves, requirunt culpam mortalem, v. g ut quis suspendatur ab omnibus actibus sui officii, vel fructibus unius anni. Potest tamen aliquis ob peccatum veniale privari uno actu, v. g. eligendi.

Resp. III. Habens Episcopalem auctoritatem potest absolvere à suspensione non reservata; & communiter religiosi ex privilegiis possunt absolvere ab omni suspensione in foro conscientiæ: & Episcopus potest absolvere ab omni suspensione juris, si Sedi Apostolicæ specialiter reservata non sit, *Lay. c. 4. n. 2. ex Nav. Suar. &c.* Imò etiam ab hac, si proveniat ex delicto occulto, & non deducto ad forum contentiosum, *Bon. d. 3. p. ult. ex Trident. sess. 24. c. 6.* DUBI-

## DUBIUM III.

### *Quid sit depositio & degradatio, à quo, & ob quam causam fieri possit?*

Subjici solent Suspensioni Depositio & Degradatio (etsi censuræ non sint, ut dictum est cap. 1.) ob similitudinem, quam habent cum suspensione, cum utraque sit ab Ecclesiastico ordine, aut beneficio. Differunt autem à suspensione, quod illæ auferant ipsum jus radicale, & titulum beneficii, idque in perpetuum: suspensio non item: Porrò depositio genericè accepta, alia est verbalis, quæ absolutè depositio dicitur: alia Realis, quæ dici solet degradatio.

Resp. I. Degradatio est privatio executionis officiorum, & beneficiorum simpliciter & in toto, & absque spe restitutionis, facta cum certa solemnitate, & privatione privilegii Clericalis, tam Canonis, quàm fori, ita ut sæculari curiæ subdatur.

Dixi, *Executionis:* quia ordo ipse non potest tolli. Interim degradatus tenetur ad votum castitatis, si fuit in sacris, & ad Horas, nisi has fortè pœna, ad quam damnatur, v.g. triremes, vel aliud impediat.

Resp. II. Depositio verbalis est similis privatio, sed sine solemnitate dicta, & relicto utroque privilegio, Canonis & fori.

Resp. III.

Resp. III. Clerici possunt degradari à suo Episcopo, sed non ab inferioribus illo: deponi tamen possunt ab eodem per Vicarium.

Resp IV. Depositio fieri potest in casibus jure expressis, & delictis: non tamen nisi gravioribus, arbitrio judicis. Ubi notat *Laym.* crimen debere esse enorme, id est, unum ex maximis. Degradatio similiter fieri potest in casibus tantùm gravissimis, quales sunt v.g. crimen hæresis manifestum, falsatio literarum Apostolicarum. Sodomia frequentata, gravis calumnia proprio Episcopo irrogata, *v. Laym. hic c. 5. & Fill. t. 18, c. 8.*

## CAPUT IV.

### *De Interdicto?*

### DUBIUM I.

### *Quid sit & Quotuplex?*

RResp. Est censura Ecclesiastica, prohibens divinorum officiorum, sacramentorum aliquorum, & Ecclesiasticæ sepulturæ usum, quatenus talis est. Quod addo, quia excommunicatio eodē privat, quatenus est communicatio cum fidelibus: suspensio verò propriè non illum usum, sed exercitium potestatis Ecclesiasticæ impedit. *vid. Laym. l. 1, t. 5. p. 4. c. 1. Bon. d. 5. p. 1.*

Resp. II. Interdictum dividitur: In locale, quod immediatè locum afficit; & in Personale, quòd immediatè afficit personas; & Mixtum, quod immediatè

mediatè afficit locum & eius incolas. Differt autem Locale à Personali, quòd in illo participatio sacrorum officiorum tum indigenis, tum alienigenis, non absolutè, sed in loco tantùm interdicto; in hoc vero certis personis aut communitati prohibeatur absolutè; & in omni loco. 2. Interdictum tam locale, quam personale, subdividitur in Generale, & Particulare. Generale est, quo locus generalis, v. g. civitas, provincia, vel quo communitas v. g. collegium, &c. interdicitur. Particulare, quo locus aut persona particularis, aut particulares interdicuntur. Unde resolves.

I. Interdicta civitate interdicuntur etiam suburbia, & interdicta parochia, etiam sacellum, vel cœmeterium contiguum: quia accessorium sequitur naturam principalis.

II. Interdicto populo non interdicuntur ii, qui non sunt pars populi, ut studiosi, Clerici, peregrini, &c. Nec interdicto Clero, interdicuntur religiosi, quia in favorabilibus tantùm nomine Clerici comprehenduntur.

III. Si dicatur cives, v. g. Colonienses, sunt interdicti, ii nusquam possunt interesse divinis, (nisi tamen desinant esse istic cives, nec causam dederint interdicto) contra verò, si civitas interdicto subjiciatur; licet civibus aut incolis, qui causam interdicto non dederunt, alio ire, & istic divinis interesse.

DUBI-

## DUBIUM II.

### *Qui sint effectus Interdicti?*

Resp. Sunt sequentes. 1. Prohibitio divinorum officiorum. Unde etiam interdicti, ob alienam culpam non possunt interesse sacro. Clerici tamen & religiosi, quando ipsi interdicti non sunt, possunt ac debent ut ante Missas, divinaque officia celebrare; sed januis clausis, non pulsatis campanis, (nisi ad concionem, salutationem Angelicam, vel obitum alicuius) submissa voce, & exclusis interdictis. Permittitur tamen, ut in festis Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, Assumptionis, & per octavam Corporis Christi, divina officia cantentur solemniter, admissis etiam interdictis, modò qui causam interdicto dederunt, altari nec appropinquent, nec veniant ad offertorium, vel communionem. 2. Prohibitio administrationis sacramentorum, excepto Baptismo, Confirmatione, & pœnitentia: quæ omnibus permittuntur, iis exceptis, qui interdicto causam dederunt, etiam auxilio, consilio vel favore. Eucharistia tamen potest dari morituris, & deferri cum lumine & campana. Nec improbabile est interdictis licere contrahere Matrimonium, ut *Sanc. Con. & Lay.* docent contra *Suar.* quia hoc Sacramentum secundum substantiam non ab Ecclesia, sed ipsis contrahentibus ministratur. 3. Prohibitio sepulturæ Ecclesiasticæ, etiam respectu infantium & amentium. Excipe tamē Clericos, qui in interdicto

locali,

locali, si nominatim interdicti non sunt, nec interdictum violarunt, possunt cum silentio sepeliri. *Laym. c. 2. nu 3. 4.* Clerici violantes interdictum, peccant mortaliter; sicut etiam religiosi utriusque sexus: qui insuper excommunicantur de facto. Laici verò peccant quidem graviter, si contra interdictum personale recipiant sacramenta: si verò tantum violent locale, v.g. audiendo divina officia, probabilius est, tantum esse veniale, dummodo ipsi personaliter interdicti non sint, *Laym. c. 3. ex Sylv. Soto, Avila, &c.*

## DUBIUM III.

### *Quis censuram interdicti ferre, & quis tollere possit?*

Resp I. Interdicere possunt iidem, qui excommunicare & suspendere. Et quidem ut determinata persona interdicatur, videtur requiri culpa mortalis; ut autem feratur Interdictum locale, vel generale in communitatem, requiritur peccatum valde grave, cum contumacia commissum à capite, vel præcipuis membris, licet reliqui culpa vacent.

Resp. II. Interdicta localia, & personalia generalia, quæ jure communi sunt imposita, nec reservata tolli ab Episcopo, vel alio habente jurisdictionem in communitatem interdictam; non tamen à Religiosis privilegiatis: quia locus & communitas foro pœnitentiæ non subjiciuntur.

Resp.

Resp. III. Ab interdicto juris personali particulari, si reservatum non est; quivis approbatus potest absolvere. Denique per privilegium absolvendi ab omnibus censuris, non intelligitur potestas tollendi interdictum locale, aut personale communitatis.

## Cap. V.

### *De Irregularitate.*

Etsi Irregularitas non sit censura, propter similitudinem tamen quam cum ea habet, communiter eidem annectitur: quapropter & hic subiungo.

### DUBIUM I.

### *Quid & quotuplex sit irregularitas?*

Resp. I. Est impedimentum Canonicum, susceptionem ordinum sacrorum, & susceptorum usum impediens. Unde sequitur, non esse censuram, sed quasi inhabilitatem: etsi enim interdum imponatur per modum pœnæ, propriè tamen pœna non est, *Laym. l. 1. t. 5. p. 5. c. 1. Bon. d. 7. q. 1. p. 1.*

Resp. II. Dividitur 1. in eam, quæ est ex delicto, & quę est ex defectu. 2. in Totalem, seu propriè dictam, quæ omni ordine suscipiendo, & suscepti exercitio privat, v. g. homicidium, bigamia: Et in Partialem, quæ aliquo tantum ordinis ministerio

sterio privat, vel solo ascensu ad ordinem superiorem; v.g. oculis vel palma Sacerdos carens inhabilis est ad Missam, non tamen ad confessiones audiendas; & Diaconus siniſtro oculo carens, inhabilis est ad Sacerdotium, in suo tamen Ordine ministrare potest.

## DUBIUM II.

### *Quinam effectus irregularitatis?*

Resp. Sunt sequentes. 1. Inhabilitate ad ordines suscipiendos, etiam primam tonsuram, & impedire exercitium ordinem susceptorum. Unde Sacerdos irregularis, etsi validè, illicitè tamen absolvit. *Bon. l. c. num. 4. & p. 4.* 2. Quod collatio beneficii, ad cujus functiones inhabilis est facta Irregulari, invalida sit, secundum sententiam communiorem & tutiorem; etsi non improbabiliter quidam dicant, eam non ipso facto irritam esse, sed meritò irritandam. *Laym. l. c. c. 1. n. 2. & 3. Sylv. &c. Bon. p. 4.* Secundum quam sententiam probabilem resolves.

I. Is, qui beneficium impetravit in irregularitate, potest, obtenta hujus dispensatione, illud in foro conscientiæ licitè retinere, sine nova collatione, etiamsi in dispensationis impetratione non sit facta mentio beneficii. Item si postea beneficio privetur, non tenetur fructus restituere.

II. Graviter peccat, qui in irregularitate exercet actum ordinis, aut suscipit, licet ordines ei collati sint validi.

## DUBIUM III.

### *Quomodo incurratur & tollatur Irregularitas?*

Resp.I. Cum ab homine non feratur, nulla incurritur, nisi in jure expressè habeatur, (*Cap Is qui de sent.excom.in 6.*) Unde in dubio sive facti, sive juris, tenere potes, quod non sis irregularis: quia melior est conditio possidentis, *Bon. q. 1. p. 5. ex Suar. Fill. &c.* Excipe tamen si dubites de homicidio saltem injusto à te commisso, ut patet ex *Cap. Significasti, & ex C. ad audientiam. 2. de homicidio v. Bon. l. c.*

Resp.II. Ut incurratur Irregularitas ex delicto, requiritur actus externus consummatus & moralis; ut habet communis contra *Cajet.* Ratio, quia est gravis pœna, & difficulter relaxatur.

Resp.III. Irregularitas non tollitur per absolutionem, sed per dispensationem, hac vel simili forma. *Dispenso tecum in irregularitate, quam, vel quas, ob hanc vel illam causam incurristi.* Et si quidem dispensans intendat tollere omnes, idque possit, omnes tollit, sin minus, eam tantum tollit, quam potest, & vult. Etsi verò hæc dispensatio ad Pontificem spectet, ex jure tamen novo *Tridentini*, ubi illud est receptum, potest Episcopus dispensare in irregularitatibus, provenientibus ex delicto, & non deducto ad forum contentiosum; nisi tamen sit homicidium, directè & in se volitum, *Bon. q. 5. p. 1. n. 3. ex Trid. sess. 24. c. 6. Suar. Sanch. Fill. &c. Laym. cap. 9. n. 4.*

Piz-

Præterea irregularitas ex defectu natalium, tolli etiam potest per professionem in religione approbata, sed quoad ordines tantum, non quoad Prælaturas, *cap. 1. de filiis Presbyterorum. Bon part. 2. Laym. c. 9 n 6. Suar. Sanch. Less.* contra *Villalob.* qui apud *Dian. p. 4. t. 2. R. 65.* dicit, tolli quoad omnia solita gubernari per Fratres illius Ordinis, ut Prioratus, Præposituras, Rectoratus, & cætera munia. Circa quæ Prælatos saltem posse cum iis dispensare, in Capitulo tamen generali vel Provinciali, notat *Dian. l. c. ex Barbos. Vnde resolves.*

I. Solus Papa, & qui ab eo accepit Privilegium, potest dispensare in irregularitatibus ex defectu.

II. Confessarius in nullis irregularitatibus potest dispensare, nisi habeat speciale Privilegium à Papa.

## DUBIUM IV.

### *Quæ sint Irregularitates ex delicto?*

Resp. Prima est, ob iteratum Baptismum seriò & scienter, estque irregularis tam rebaptizans, quam rebaptizatus: etsi in rebaptizante irregularitas tantum sit partialis, ne Clericus ad altiorem ordinem possit ascendere, neque incurratur si rebaptizatio sit occulta. *Cov. Tolet. M. Leo. p. 3. f. 358. v. Bon. d. 7. q. 3 p. 3. Laym. l. 1 t. 5. p. 5 c. 2.*

Secunda, ex violatione censuræ, v. g. si ea innodatus actum aliquem ordinis solemniter exerceat, nisi invincibilis ignorantia excuset. *Laym. c. 3.*

Tertia, ob peccatum, quo Clericus seriò & scienter actum ordinis sacri, quem non habet, solemniter exercet, *Bon. l. c. p. 6. Laym. l. c. cap. 3.*

Quarta, ob delictum, quo quis malè suscepit ordines v.g. in excommunicatione, suspensione, vel ab Episcopo non habente jurisdictionem, vel per saltum, (licet hunc suspensum tantùm esse, quamdiu non ministrat in ordine per saltum suscepto; satis probabiliter doceat *Avilla, Nav. Bon.*) Vel ante legitimam ætatem, vel sine dimissoriis, vel furtivè (Episcopo nesciente, nec approbante) & non examinatus, *v. Bon. d. 7. q. 3. p. 4.*

Quinta, propter enormia crimina, si sint notoria & publica, v.g. quæ à jure habent annexam infamiam, ut adulterium, raptus, incestus, perjurium in judicio.

Sexta oritur ex injusta mutilatione vel homicidio, etiam indirectè tantum voluntario, extenditurque ad omnes qui ad adulterium, sive in bello injusto, sive extra illud injustè concurrunt, consulendo, mandando. Mutilatio autem hic intelligitur, quando à corpore separatur membrum aliquod principale, id est, pars corporis, quæ officium per se distinctum habet, v. g. pes, manus, oculus, auris, &c. *M. Leo in praxi p. 3. f. 347. ex Cov. Nav. de Cens. n, 206. v. Bon p. 8.* Unde resolves.

I. Non fit irregularis, qui in rixa præscindit alteri digitum, pollicem, ungues, dentes, barbam, capillos, labia, nasum, auriculã, (id est, cartilaginem, quæ tantum deservit ad ornatum & tutelam auris:) quia non sunt propriè membra: v.g. digitus est pars tantum & officium membri, *Avila & alii 8.*

cum

cum *Dian. p. 4. t. 4. R. 26.* Item *M. Leo l. c. ex Gloss. c. ult. de hom. in 6. & L. quaritur herm. 10. l. Non sunt 14. §. Partus, ff. de statu hom.*

II. Nec fit irregularis, qui excœcavit hominem solo usu privando, non autem oculum extrahendo: nec qui debilitat tantum membrum, & non abscindit; quia non est mutilatio, *Dian. p 4. t. 4. R 26 ex Megal. &c.*

III. Quando plures (non ex consilio, sed in rixa) unum percutiunt, & unus lethale vulnus infligit, ex quo moritur; si constet quis hoc fecerit, hunc solum fieri irregularem docet *Sayr. & alii 5.* cum *Dian p. 2. t. 15. R. 18.* contra *Avilam, Suar. &c.*

IV. Qui infirmo bona fide dat aliquid, v. g. cibum vel potum, vel eum movet, vel de lecto in lectum transfert, aut aliquid circa eum operatur, ex quo mors vel ejus acceleratio præter intentionem sequatur, non fit irregularis, nisi intervenerit lata culpa, *Avila Fill. & alii 4.* cum *Dian. p. 5. t. 3. R. 117.* ubi ex *Bon. &c.* notat, Sacerdotibus & Religiosis circa moribundos licere eadem quæ laicis.

V. Qui amicum bono animo comitatur, ne pericliteur in rixa, non fit irregularis, etsi amicus occidat alium. *Avila, Henriq. &c.* cum *Dian. p. 4. t. 2. R. 17.* Limitat autem *Præpos.* nisi sua præsentia animaverit ad occidendum.

VI. In bello injusto si vel unus occidatur, totus exercitus fit irregularis, saltem si aliqua ratione sit cooperatus, *Bon. q. 4. part. 4. n. 3.*

VII. Irregularis fit, qui procurat abortum fœtus animati anima rationali, secus, si animatus non sit C. *Majores, 32. q. 2. Bon. l. a. p 8. n. 27. Côn. &c.*

VIII. Qui dans operam rei licitæ (imò secundum multos, etiam illicitæ) sufficientem diligentiam adhibuit, ne ex ea homicidium sequeretur, & tamen secutum est, non fit irregularis, ob defectum voluntarii: secus tamen, si dictam diligentiam omisit, omissione mortali, *Bonac. q. 4 p. 7. Less. l. 2. c. 9. dub. 15 &c.* Alii tamen dicunt, quod dans operam rei illicitæ, ex quavis culpa etiam levissima, incurrat hanc irregularitatem. *Panorm. Cov. M. Leo p. 3. f. 354.*

IX. Qui alterum mutilat vel occidit ad necessariam sui defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ, non incurrit hanc irregularitatem: quia hic nulla est culpa, ergo nec pœna, *M. Leo p. 3. f. 349.*

## DUBIUM V.

### *Quæ irregularitates ex defectu?*

Resp. *Prima* est ex defectu animæ. Ex quo irregulares sunt. 1. Amentes, phrenetici, arreptitii & epileptici: qui tamen si ordinati sunt, & intra annum eo morbo non laborarunt; præsumuntur liberati; & permittuntur ad Ordinum exercitium. Si verò laborent rarò, & quidem sine clamore & spuma, permittuntur celebrare cum coadjutore, qui deficientibus ipsis suppleat sacrificium, *M. Leo p. 372. ex C. Illud 7. q. 1. & Glossa ibid.* 2. Illiterati, qui non habent doctrinam necessariam pro Ordinibus. 3. Neophyti, seu recenter conversi, usque dum judicio Episcopi sufficienter instructi sunt.

*Secun-*

*Secunda* ex defectu corporis. 1. Si propter eum ineptus est ad exercitium ordinis, ut si sit cœcus, surdus, claudus, ita ut sine baculo nequeat ire ad altare. Item si careat manu, pollice, indice, oculo, (non tamen si ungula pollicis, vel indicis, vel oculo dextro tantùm) si verò sinistro seu Canonico, aut ejus vi visiva careat, indiget dispensatione: quod tamen negat *Valentia*, *Henr. Satyrus*, si quidem dextero, possit absque deformitate legere Canonem. 2. Si ordinem nequit exercere sine horrore; offensione, aut scandalo aliorum, ut si careat auribus, naso, si notabiliter sit gibbosus, leprosus, paralyticus, si membra habeat superflua cum magna deformitate: in dubio vero, an deformitas sit sufficiens, Episcopi est judicare: saltem in Clericis: nam in Regularibus id spectare ad eorum Prælatum contra *Barbos. &c.* docet *Suar. & alii*, cum *Dian p. 4. t. 1. R 73.* licet concedant Episcopum posse rejicere arbitrium Prælati: hunc autem, si gaudeat authoritate quasi Episcopali, posse in illa irregularitate dispensare, nisi deformitas sit tanta, ut scandalum generet. *Ibid. ex Rodrig. & aliis 4. v. Bon. Laym. M. Leo p. 3 f. 370.* Unde resolves.

I. Non videtur irregularis, 1. Qui habet 6. digitos; vel aliquos conjunctos, si non sit magna deformitas, & ordinem exercere possit. 2. Qui habet in oculo maculam, visum non auferentem, nec notabiliter deformantem. 3. Qui caret ungulâ pollicis, si possit hostiam elevare & frangere. 4. Qui per vim aut infirmitatem factus est Eunuchus.

II. Irregularis est hermaphroditus, quia est monstrosus. 2. Gigas, pigmæus, æthiops: non tamen inter suos, sed alienos, ubi disparitas ludibrio est.

*Tertia* ex defectu natalium. Ex quo irregulares sunt omnes illegitimi, eo quòd ratione originis reputentur viles. Tales communi jure legitimantur, 1. Per subsequens matrimonium inter eorum parentes, modo hi tempore conceptionis potuerint valide contrahere. 2. Per professionem religiosam, quamvis ad dignitates etiam in religione, v. g. Abbatiam, Prioratum, &c. promoveri non possint, sine dispensatione. *v. supra d* 3. 3. Per dispensationem Pontificiam. Principes verò sæculares non possunt legitimare, nisi tantum in ordine ad officia sæcularia, hæreditates. Porrò cum dubium est an quis sit legitimus, non censeri irregularem contra *Vasq. & alios* 5. vult. *Dian p.* 4. *t.* 2. *R.* 59. *ex Avila*: eo quòd quilibet præsumatur legitimus, donec contrarium probetur: neque teneri hac in re credere ipsimet matri, etiam in fine vitæ, nisi rationib. convincat, vel pater etiam asserat. *Ib. ex communi.*

*Quarta* est ex defectu ætatis, de quo v. in Sacramento Ordinis.

*Quinta* ex defectu Sacramenti, sive significationis matrimonii, ratione bigamiæ, eò quod bigamus non perfectè repræsentet unionem Christi cum Ecclesia, quippe qui carnem suam divisit in plures uxores. Non sufficiunt autem ad hanc bigamiam sponsalia cum pluribus, etiam secuta copula, nec fornicatio, vel adulterium, vel matrimoni-

um

um ratum cum pluribus, sed matrimonium verum, vel præsumptum, cum duabus, & consummatum. Dixi, *vel præsumptum:* quia licet quandoq; secundum matrimonium sit nullum, juris tamen fictione & interpretatione, præsumitur bigamia, licet impropriè dicta. Unde sequitur, irregulares fieri sequentibus casibus.

I. Qui vivente, vel mortua prima uxore cognita, secundam cognoscit, etsi matrimonium sit invalidum.

II. Qui viduam non virginem ducit, & cognoscit.

III. Qui ducit uxorem prius ab alia corruptam, etiam per fornicationem, & cognoscit, non tamen si ipse eam ante corripuit: quia tunc non est divisio carnis in plures.

IV. Qui propriam uxorem cognoscit, postquam ab adulterio per adulterium cognita fuit; quia ipsa jam divisit carnem in plures. Nec refert, etsi per vim vitiata fuit, vel vir corruptam, aut viduam esse ignoraverit: quia hæc irregularitas non oritur ex culpa, sed ex defectu significationis Sacramenti.

V. Qui post solemne votum castitatis de facto matrimonium contrahit, & consummat, etiam cum virgine: quia interpretatione juris censetur duo matrimonia contraxisse, unum spirituale cum Christo, alterum carnale cum muliere. Nec refert, quòd invalidè contrahat, quia quantum est in ipso, effectus à parte rei ponitur.

*Sexta* oritur ex infamia, sive juris (quę vel ex delicto proprio, vel parentũ, vel vili conditione per

sonæ nascitur) sive facti, modò crimen publicum sit: ex occulto enim non oritur, si homicidium, & censuræ violationem excipias, ut docet *Nav. Con. Laym.* contra *Sylv. & Suar.* qui ex occulto etiam oriri putant, modò infamiam ipso jure connexam habeat. Porrò infamia ob crimen notorium, vel per sententiam judicis contracta, non tollitur, nisi per dispensationem Principis, cujus authoritate contracta fuit. Infamia facti, etiam orta ex enormi crimine & digno depositione, tollitur per publicam & constantem vitæ emendationem.

*Septima* oritur ex defectu libertatis. Unde irregulares sunt 1. Omnes servi propriè dicti (& secundum *Laym. l. 2. t. 1. cap* 8. etiam originarii, donec consequantur plenam libertatem. 2. Conjugati, nisi uxores consentiant, & castitatem voveant. 3. Curiales, id est, curiæ sæculari obligati, facto juramento vel stipendio, ut judices, advocati, &c. quamdiu talia officia habeant. Excipe tamen nisi habeant specialem dispensationem Papæ pro illis officiis, ut quidam Clerici in aulis Principum, in causis civilibus, non tamen criminalibus, occupati; vel nisi consuetudo, sciente Papa, id permittat. 4. Milites saltem quamdiu juramento tenentur; item thesaurarii, & depositarii publici, & qui rem pub. administrant. Item apparitores, & similes, qui sæva, turpia exercuerunt, vel in causa sanguinis ministrarunt. *M. Leo p* 3. *s* 369.

*Octava* ex defectu lenitatis, scilicet ex licita mutilatione, vel homicidio in bello justo, vel judicio. Quod ideo statuit Ecclesia, quia Sacerdos gerit personam Christi, qui utpote lenissimus, nemi-

nem

nem unquam læsit. Ad hanc autem requiritur, ut occisio aut mutilatio de facto sequatur. Unde non sufficit voluntas, nec vulneratio gravis, *Bon. d. 7 q. 4. Tan. d. 6. q 10. dub.* 11. Unde resolves.

I. Non fit irregularis, qui mutilat, vel occidit in defensionem inculpatam honoris, vitæ, castitatis, &c. vel etiam proximi: quia jure non statuitur irregularitas, nisi ob homicidium in bello justo, vel judicio. *Tan. l. c.*

II. Irregularis fit in bello, qui mutilat, vel occidit propria manu; non autem Clericus exhortans ad pugnandum in bello justo, (secus tamen, si ad occidendum hunc vel illum in particulari.) Idem est de Duce exercitus, tubicine, &c. *Bonac. p. 4.*

III. In judicio justo irregulares fiunt, qui ad mortem, vel mutilationem cooperantur activè, & efficaciter, & proximè per actionem ex natura sua ad id ordinatam. Dicitur I. *Cooperantur*, ut Judex ferens sententiam, Notarius eam scribens, ministri exequentes, testes, &c. Dicitur II. *Activè*, id est ex parte occidentium: quia non fit irregularis, qui se tantùm habet passivè, & ex parte ejus, qui occiditur, ut Confessarius hortans ad fatendam veritatem, vel acquiescendum sententiæ justæ, quam non potest differre nisi appellatione injusta, *Cornel. & Dian. p. 4. t. 3. R. 99.* Dicitur III. *Efficaciter*, quia adjuvans, v. g. ferens ligna, ut comburatur ante jam suffocatus, non fit irregularis; nec assistens supplicio, si sua præsentia in illud non influat. Dicitur IV. *Proximè*, quia, qui remotè tantum cooperantur, non fiunt irregulares, ut

qui gladios faciunt aut vendunt; item legislator leges capitales condens, concionator in genere dicens, puniendos esse malefactores, Confessarius interrogatus de reo, an mortem mereatur, si respondeat, judicem sine acceptione personarum fungi debere suo munere: quia hi omnes sunt tantùm causa remota. Essent autem proxima, ideoq; irregulares, si quid facerent, aut dicerent in particulari, ex quo mors alicujus sequeretur, aut etiam acceleraretur; v.g. si quis efficaciter urgeret reum, ut scalam ascenderet, vel ad hoc illum juvaret, vel si judici in particulari responderet, hunc esse plectendum. Possunt tamen subinde etiam proximè cooperantes excusari ab irregularitate, v.g. 1. Si fiat ex indeliberatione; aut cum semiplena tantum advertentia, v.g. si dicat Confessarius, properemus, aut instiget jumentum, quo reus vehitur. 2. Si cooperatio sit valdè exigua, ut si jubeat reum adhuc unum gradum ascendere: quia minimum reputatur pro nihilo, *Avila & Henriq.* apud *Bon. q. 4. p. 1. n. 9.* Item *Suar. Regin. May. &c.* contra *Vasq. Turr. Hurt. Baumy, &c.* qui censent ex homicidio neminem fieri irregularem, nisi concurrat ut Publicus minister justitiæ, sive ad causæ probationem sive executionem; vel ut privatus injustè & cum peccato. Quam sententiam probabilem censet *Dian. p. 3. t. 4. R 79. & in addit. R 15. & p. 8. t. 7. R. 61.* Hinc negant fieri irregularem. 1. Confessarium vel alium quemcunque, qui furem hortatur, ut scalam ascendat, caput supponat ad ictum excipiendum. 2. Eum qui carnifici dicit, ut aliquid appetet quo citius extinguatur reus. 3. Qui dum reus

ad

ad ſupplicium ducitur, ſuggerit viam breviorem. 4. Qui vendit vel commodat ſcalam, funes, enſes, & cætera inſtrumenta; etiam qui furcam fecit. 5. Qui interrogatus à Judice, an teneatur reum condemnare, reſpondit, teneri. 6. Eum, qui carnifici putanti ſuſpenſum jam eſſe mortuum, ſignificavit adhuc vivere, ex quo calcans iterum pede occidit.

Dicitur V. *Per actionem ſuæ naturæ, &c.* id eſt, quæ per ſe ſit cauſa talis effectus: quia affectus per accidens, non imputatur danti operam rei licitæ. Hinc non fit irregularis; dicens carnifici, nemo te impedit facere tuum officium, ego meum feci; nec Judices Eccleſiaſtici, degradatum tradentes brachio ſæculari: nec Clerici accuſantes aliquem in cauſa criminali, modo expreſsè proteſtentur, ſe non intendere, ut puniatur pœna ſanguinis, ſed tantùm ut ſibi vel ſuis ſatisfiat, vel impediantur mala ſibi aut aliis imminentia, *v. Bon. q. 4. Tan. l. c. &c.*

SOLI DEO GLORIA.

# INDEX RERUM AC verborum, quæ hoc libro continentur.

A


Abbas v. Prælatus, Pastor.
Abbreviatio vitæ. 205. & seq. v. occisio.
Abortum procurare an liceat. 213
Absolutio 646. qui sint absolvendi v. jurisdictio.
v. Moribundi. Censura. Confessarius.
Thom. Hurtad. resolut moral. tom. 1. tract. 1.
Abstinentia v. jejunium.
Accusator 469
Acedia 528
Actus humani 12. & seq.
Ovied. in 1. 2. tract. 2. Sfort. Pallav. assert.
Theol. l. 1. & in 1 2. Arriag. tom. 3. Less. Opus
Posth. Ios. Roccaful. t. 1.
Adulterium. 228. quid restituendum. 268. 309
Advocatus 461. & seq.
Pellicion. quæst. 39. Pet. Paul. Guazz. intr.
moral. ad defensam animarum Advocat. Io.
Paul. Xãmar. de off. advocat.
Ægyptios consulere. vide Superstitio.
Anton. Ricciull. de Ægyptis, alias Zingari.
Æquivocatio. v. Iuramentum.
Affinitas v. Matrimonium.
Aggressorem occidere 208
Alchimia. v. superstitio.
Altare. v. Missa.
Ambitio 509

*Amplexus* 223
*Antichriſis.* 327. *v. pignus.*
*Apoſtaſia* 66
*Apoſtata* 66
*Appellatio reorum* 479
*Approbatio Confeſſarii* 686
*Archiepiſcopus, v. Epiſcopus.*
*Ars notoria* 111
*Artifices* 99
*Aſpectus obſcœni* 223. *& ſeq.*
*Aſſecuratio* 324
*Aſtrologia v. Divinatio.*
*Attritio* 648
*Franc. Pintheren. de ſufficientia attritionis.*
*Avaritia* 512
*Aurigarum obligatio* 291
*Avus erga nepotes* 191

B

*Baptiſmus* 547. *Forma* 551. *Miniſter* 553. *Subjectum* 556. *Conditio* 558. *Ceremoniæ* 560. *Patrini* 562.
*C. Lug. Reſponſ. l* 1. *Didac. Ant. Franceſ. Forum conſcientiæ Bard. ſelect. moral. lib.* 10. *quæſt & ſeqq.*
*Bellum* 215 *& ſeq.*
*Beneficiati quoad fructus beneficiorum* 439. *Horæ Canonicæ, Miſſa, &c.*
*Theoph. Raym. lucubratio ex bonis Eccl. &c.*
*Beneficium* 403. *Collatio* 405. *Suſceptio* 408. *Pluralitas* 410. *Amiſſio* 413. *Permutatio* 415.
*C. Lug. Reſponſ. moral. lib.* 5. *Hurtad. reſolut. mor.*

*mor.to.2 tr.1. Boss.to.1.tit.8.de pluralitate,&c. Fragos.to.2. disp.20. de potestate conferendi, &c. Didac. Ant. Frances forum conscientiæ. Pacis Iordani elucubrat. to. 3. Bard. select. mor.lib.3. Baunii to. 3. Pellicion.quæst.50. de his pensat.quoad plural. And. Vallens.Franc. Hallier de sacra elect.Tarreda de benef.*

*Bestialitas* 231

*Bigamia facit irregularem.v.irregularitas.*

*Blasphemia v. irreligiositas.*

*Anton.Ricciull.de person.status reprobi.*

*Bona hostibus erepta v. bellum.*

*Bona inventa. v. restitutio.*

*Bulla Pontificum.*

*Maurit.de Greg. expositio omn. Bullar.*

*Bulla cœnæ v. censura.Excommunicatio.*

*Fragos.to.2.lib.disp.3.Didac.Ant.Frances. forum conscientiæ.*

*Bulla cruciatæ*

*Hurtad. resol.mor.to.2.tr.9. Fragos.to.2.disp. 7. Franc. Bard. Andr. Mendo. Marcus Serio. to. 8.*

C

*Calix quando execretur. v. Missa.*

*Calumnia v. detractatio.*

*Cambium* 311

*Ant. Merenda Onnate to.3.tr.24.*

*Canonicatus v. beneficium.*

*Cantiones obscœnæ* 225

*Captivis Christianis an liceat remigare in triremibus*

*bus Turcarum* 108
*Carceris effractio v. Reus.*
*Carnis humanæ esus v. gula.*
*Carthusianus edens carnes v. vota religiosa.*
*quando liceat propter infirmitatem* 204
*Castitatis votum* 393
*Angel. Mar. Verricel. quæst. mor. tr. 4.*
*Casuum reservatio* 695
*Casus reservati Clement. VIII.* 702
*Boss. to. 1. Titul. 4. de absol. à reservatis, & in tract. de Iubil. Moron. respons. 85. quoad regulares 86. 87. de reservatis Episcop. 95. & 96. Fragos. tom. 2. libr. 1. & disp. 19. de reservatis Episcop. Bard. select. moral. libr. 6. Iacob. Mancin. prax. visitat. infr. pagin. 2. pract. 3.*
*Celebrare Missam v. Missa.*
*Censura Ecclesiastica* 794. *& seq. Quotuplex qui ferre possint. causæ, absolutio.*
*Io. Martinon. tom. 5. disp. 59. Card. Lug. respons. libr. 2. Boss. tom. 1. tit. 4. de absol. à censuris Less. prælect. Theol. in addit. ad 3. pag. quæst. 21. & seq. Bard. select. moral. libr. 6. 7. Bauny. tom. 2. Alphons. de Leon. Thesaur. Gesuald. de Bononi. to. 2. Leand. à S. Sacrament. to. 2.*
*Census* 308. *Redimibilis ex parte emptoris per Bullam Pii V. est illicitus.*
*Moron. Respons. 1. circa pecuniam numeratam. Onnate to. 3. tract. 2.*
*Charitas Dei* 70. *Proximi* 73.
*Chiromantia. v. Divinatio* 104. *Superstitio* 102.

*Chi-*

*Chirurgorum obligatio.* 11. 483. *& seq.*
*Chorea* 225
*Boss. to.3 tit.7. Ferrantin. Theoret. disp.q.65. Anton.Ricciul.*
*Circumstantiæ peccatorum. v. confessio, peccatum.*
*Clausura v, Moniales*
*Clericus* 403
*Clerici negotiari non possunt* 445. *Clericorum status* 403. *v. Beneficium, Habitus & artes Clericorum* 444
*Andr. Saussay Panoplia clericalis*
*Clericorum percussores* 823
*Codicillus* 331
*Cœmiterium quando violetur* 631
*Cognatio* 776
*Collatiuncula die jejunii v. jejunium.*
*Commodatum* 289
*Communio v. Eucharistia.*
*Commutatio votorum v. votum.*
*Comœdiæ turpes* 225
*Boss. to.3. tit.8. Anton. Ricciull.*
*Concionem audiendi obligatio* 178
*Conciones Hæreticorum* 62
*Parochianus obediens de audiendo verbo Dei.*
*Contionatorum obligatio* 87
*Concubinarius* 91. *& seq. v. Luxuria.*
*Anton. Ricciull.*
*Conductio & Conductor* 313. *v. locatio.*
*Confessarius quomodo agat cum reis* 480
*Confessarii* 701. *Approbatio* 686. *Iurisdictio* 689. *Obligatio* 787. *Scientia, &c.* 708
*Vincent. Tancred. quæst. mor. tr.1. Vrban. à con-*

*concept. Hurtad. resolut. 34. to.2. tr.12. de confessario approbato. Boss. de Iubil. Privil. de approbat. & elect. confess. Baucio select. Cas. ubi praxis confessariorum, Gaspar Loart. Instit. Confess.*

*Confessarii sollicitantes v. sollicitantes in confessione.*

*Confessio v. pœnitentia 644. & seq. Confessarii Sigillum, &c. 712. Præceptum confitendi 722.*

*Confirmatio* 565

*C. Lug. Resp. lib. 1. dub. 6. & seqq. Basil Pontius de Confirm. Bard. select. mor. lib. 10. q. 4. & seqq.*

*Conjugium mutua obligatio* 199

*Conjugalis actus* 761

*Conscientia 1. Dubia 4. & seq. scrupulosa 14. & seq. v. opinio.*

*Franc. Lug. in decursu prævio ad Theol. mor. Boss to. 1. tit. 1. Ovied in p. a. 5. Caramuel. Theol. mor. lib. 3. Io. Raccasul. to. 1. Martin. Bresser. de conscientia. Theoph. Alarii Canones conscientiæ, Matt. Homem. Leitom.*

*Consilium* 18

*Contemptus formalis* 507

*Contractus* 278

*Pet. de Onnate tribus bonis. Boss. to. 1. tit. 3. de defectu sollennit. Bard select. mor. lib. 1. Bauny to. 3. Theoph. Alar. Can. consc. tr. 1. Stephanus à S. Gregorio.*

*Contritio. v. pœnitentia.*

*Contumelia* 358

*Cooperatio peccato alterius v. scandalum.*

*Cooperantes ad damnum alterius v. restitutio.*
*Correptio fraterna* 84
*Hieron. Ferrant. Theor. disp. 2. Didac. Garzia.*
*Crapula* 521
*Curatela v. Tutela*
*Curiositas* 514

D

*Dæmonis invocatio v. superstitio.*
*Damnum v. restitutio.*
*Debitum conjugale* 761
*Decalogi præceptum* 101
*Thom. Tambur. Caram. Theol. mor. lib. 2. Io. Raccosul. to. 2. Gesualdi de Bononito 3. Marcus Sorio to. 3.*
*Decimæ.*
*Vincent. Tancredi de Relig. lib. 2.*
*Degradatio* 835
*Delectatio morosa* 490. 493
*Depositio* 835
*Depositum* 289. & seq.
*Derisio* 527
*Desiderium malum* 490. & seq.
*Desperatio* 69
*Detractio* 358
*Teoph. Rayn. de calumnia.*
*Discipulorum obligatio* 201. & seq.
*Dispensandi potestas* 170. *v. votum. Iuramentũ, &c.*
*Boss. de Iubil. privil.*
*Dispensationes S. Pœnitentiariæ* 45
*Theoph. Alar. Can. conse tr. 6.*
*Dispensatio in observatione Festorum* 175

*Dispensationes super impedimentis matrimonii* 791
*Divinatio v. superstitio* 102
*Divinationes quomodo examinandæ in cõfessione* 117
*Divortium* 765
*Dolus* 514
*Dominorum obligatio* 196
*Theoph. Alar. Can. consc. tr. 4.*
*Donatio hæreditatis* 382. *& seq.*
*Dubitatio* 357
*Dubium v. conscientia.*
*Duellum.* 214. *Quis possit absolvere duellantes. v. censura* 6.
*Gregor. Carafa de duello.*

E

*Ebrietas* 523
*Ecclesia quoad celebrationem Missæ* 628. *v. Missa.*
*Theoph. Alar. Can. consc. tr. 2.*
*Ecclesiæ violatio* 631
*Ecclesiasticus v. Clericus beneficiatus, &c.*
*Eleemosyna* 76
*Emphyteusis* 316. *& seq.*
*Onnate to. 3. tr. 31.*
*Emptio v. venditio.*
*Episcopus tenetur residere* 412. *v. Prælatus*
*Ant. Girond. 2. Tom. Didac. Ant. Francesforum conscientiæ. Pacis Iordani elucubrat. to. 1. Pellicion. illust. q. 6. de facultate. Carol. Antonell. de Regim. Eccl. Episcop. Pauli Piasecii praxis Episc. Pauli Squillant. de obligat. & privil. Episcop. Petri Marchant. baculus Pastoralis de potestate Episc. in Regul. Mainard. de juri-*

*juribus Episc. Andr. Saussay panoplia Episc.*
*Evagatio mentis* 529
*Eucharistia* 521. *Materia* 573. *& seq. Forma* 586. *Christus sub speciebus* 588. *Causa* 590. *Minister* 595. *Suscipiens* 600. *Dispositio ibid. & seq. obligatio sumendi* 612.
*C. Lug. Resp. l* 1. *dub.* 15. *Sfort Pallav. assert. Theol. l.* 6. *August. Bernal de Sacram. Tambur. method expedit. commun. Petr. Anell. Persic. de off. Sacerd. lib.* 3. *de ministranda Euchar. Iac. Mancin. prax. visit. infirm. practica* 78
*Examinatores Synodales*
*Hurt. to.* 2. *tr.* 12. *resol. mor. Hieron. Verner. de Exam. Episc & aliorum, &c.*
*Excommunicatio. Effectus. Non reservata* 818. *Reservata Episcopis* 820. *Reservata Pontifici extra Bullam Cœnæ* 821. *Percussoris Clericorum* 823. *Bulla Cœnæ* 827. *v. censura* 794.
*Executores Testamenti* 341. *& seq.* 632
*Execratio*
*Extrema unctio* 625. *& seq.*
*Io. Martinon. to.* 1. *disp.* 65. *Iac. Mancin. prax. visit. infirm. pract.* 9.

F

*Fallacia* 513
*Fama læsio* 355
*Detractio* 358 *Restitutio famæ* 269. 367.
*Iac. Mancin. prax. visit. infirm. de restit. famæ*
*Famulus erga Dominum* 197. *& seq.*
*Festorum observatio* 172. *& seq. quæ excusent ab ea* 175. *quæ*

175. *quæ præcipiantur diebus festis* 177.
*Vincent. Tancred. de Relig. lib. 3. tr. 1.*
*Feudum* 317
*Onnate to. 3. tr. 32.*
*Fidei commissum. v. Testamentum.*
*Fidejussio* 325
*Fides, quænam credenda* 53. *quando præceptum obliget & quomodo* 56. & *seq.*
*Hurtad. resol. to. 1. tr. 5.*
*Filii v. Liberi.*
*Hurtad. resol. to. 2. tr. 6. de obed. subditorum.*
*Fornicatio* 227. *Sponsæ* 747.
*Boss. to. 3. cit. 12. de malitia fornic.*
*Forum v. Iudicium.*
*Frater erga fratres* 193. & *seq.*
*Fraus* 514
*Fructus industriæ* 259
*Furem nocturnum occidere* 209
*Furtum* 236. & *seq.* *Quantitas & furta minata* 237 & *seq.* *Domesticorum furta* 240. *v. restitutio.*

G

*Gaudere de malo* 492
*Gloria vana v. vana gloria* 509
*Gula* 521

H

*Habitus clericalis. v. clericus.*
*Hæreditatis renunciatio* 337. *qui possint institui hæredes* 348.
*Hæresis* 66. *Hæreticorum libri* 67. 827. *Hæreticorum Conciones & Sacra audire* 62. & *seq.*

*Boss.*

*Boss. de Iubil. Franc. Bordon. sacrum tribunal. &c. Fragos. to. 2. disp. 13. Iac. Mancin. pract. visit. infirm. p. 2. pract. 5. Ignat. Lup. in edit. S. Inquisit. Didac. Garzias de oblig. denunc. haret. Sebast. Sabell. de tribun. inquis. Theoph. Rayn. de prohib. librorum.*

*Histriones.*
*Anton. Ricciul.*

*Homicidium.* 203. *v. occisio.*

*Honor v fama.*

*Hora canonica* 418. *qua obligatio* 423. *Excusatio* 427. *modus recitandi* 430. *& seq.*
*Fragos. to. 2. disp. 22. Vincent. Tancred. de Relig. tr 3. lib 4. Quintan. singul. de Sacram. to. 1. tr. 8. Io Raccaful. to. 1. Bard. select. mor. lib. 8. Baucio select. cas. q. 37.*

*Hypocrisis* 510. *& seq.*

*Hypotheca* 326

I

*Iactantia* 510

*Idololatria v. superstitio.*

*Iejunium naturale* 605

*Iejunium Ecclesiasticum* 371. *Excusatio* 376. *& seq.*
*Hurt. resol. to. 2. tr. 10. 11. Card. Lug. Resp. lib. 2. dub. 6. de Tabacco & Chocolatica. Boss. de Iubil Privil. Pasqual prax. jejun.*

*Ignorantia* 37
*Franc. Lug. in decursu pravio ad Theol. mor.*

*Illegitimus v. Spurius*
*Vincent. Tancred. de Relig. lib. 4. tr. 1. Marius Italia. Thom. del. bene.*

*Impe-*

*Impedimenta matrimonii.* 769. & *seq.*
*Imprecari aliis demonem* 134
*Incestus* 228
*Indulgentia* 675. & *seq. quotuplex* 682.
*Martinon. to.* 5. *disp.* 63. *C. Lug. de pœnitent.*
*Fragos. to.* 2. *disp.* 4. *Gesuald. de Bononiis to.* 2.
*Infamia v. detractio* 358. *Suiipsius* 366.
*Infideles* 24
*Infidelitas* 64
*Inimicorum dilectio* 75
*Injuria* 243. *formalis ibid. Corpori illata* 264. *v. restitutio. v. occisio. Mutilatio. Detractio.*
*Innocentem occidere* 211. & *seq.*
*Inobedientia v. obedientia*
*Inquietudo cordis* 513
*Inquisitio Iudicis* 450
*Inquisitionis tribunal v hæresis.*
*Intentio in Sacramentis* 536
*Interdictum* 836. & *seq. vid. Censura.*
*Invidia* 518. & *seq.*
*Ira* 525
*Irregularitas* 840. *v. censura.*
*Ios. Gibalinus, Franc. Ant. Glianes Summa.*
*Iac. Manc. in prax. visit. infirm. de irregularit. ex mort. accelerat. pract.* 10.
*Irreligiositas* 118. *secundum præceptum Decalogi.*
*Vincent. Tancred. de Relig. tr.* 2. *lib.* 1.
*Irritatio votorum* 166. *v. votum.*
*Iubilæum* 628. & *seq.*
*Boss. de tripl. Iubilæi privilegio. Moron. Respons.*
*Fragos. to.* 2. *disp.* 5. 6. *Pasqual. prax. Iubil.*
*Quintan. singul. de Sacrament. to.* 1. *Bard. select.*

mor. lib. 5. Bernardin. Bened de Iubil. extraord. Gesuald de Bononiis to. 2.
Iudei & Iudaismus 65
Iudex 448. circa torturam 452. Sententiam 455. & seq.
Pacis Iordani Elucubrat. to. 2. de re judiciali. Pet. Pa. Guazz. in ad defensam animarum. Iudicum. Io. Paul. Xammar. de off. Iud.
Iudicium legitimum 446
Iudicium temerarium 355. & seq.
Iuramentum 135. quotuplex 139. quando liceat 140. aequivocatio 142. promissorium 144 & seq. De obligatione, dispensatione &c. 149. & seq.
Hurt. tr. 7. to 2. de restrictione mentali Sfort. Pallav. assert. Theol. lib. 3 c. 2. de restrict. ment. Vincent. Tancred. de Pelig. tr. 4. lib. 1. Theoph. Mar. Can. consc. tr. 3. Theoph. Rayn. de aequivocis.
Iurisdictio confess. 689
Franc Zipaus.
Iustitia. v. restitutio. contractus.
Io. de Castill. de just & jur. Angel. Ma. Verricel quaest. mor. tr. 3. de oblig. Barth. Amic. to. 5.

L

Lacticinia v. Iejunium.
Leones.
Anton. Ricciull.
Lectio obscœnorum 225
Legatum v. Testamentum. Hereditas.
Boss. to. 5. tit. 14.
Legislator an legibus obligetur 24

*Lex* 17. & *seq. quomodo obliget* 22. *quos obliget* 25. & *seq. quomodo implenda* 30 & *seq. quando quis excusetur* 37.
*Boss. de Iubil. privil. an lex obliget Advenas, &c. Caram. Theol. mor. lib.* 1. 2. *de lege naturali & morali. Arriag. to* 4. 10. *Roccaful. to.* 1.
*Libellus famosus v. detractio.*
*Liberi erga parentes* 189
*Hurt. resol. to.* 2. *tr.* 6. *de obed. subdit.*
*Libri Hæreticorum* 67. 827
*Theoph. Rayn. de bonis & malis libris, &c.*
*Litteras alienas aperire* 515. & *seq.*
*Locatio* 313. & *seq.*
*Locator* 315
*Ludus* 317. & *lusor.* 318.
*Anton. Ricciull.*
*Luxuria & sextum præceptum ac nonum* 222. & *seq. ejus species* 227. *ejus filia* 517.
*Boss. tom.* 3 *tit.* 11. *de distinct. peccatorum luxuria. Angel Ma. Verricel. quæst. mor. tr.* 4.

## M

*Magia v. Superstitio.*
*Maledictio* 528. 85. 134. 520.
*Malefactorem occidere* 207
*Maleficium v superstitio.*
*Maritus v. conjugum mutua obligatio.*
*Mater erga filios* 192
*Matrimonium* 753. *usus* 757. *Divortium* 765. *v. sponsalia* 741. *impedimenta* 769. *Dirimentia* 774. *invalidum revalidatur* 789, *dispensationes* 791.
*Martinon. to* 5. *disp.* 69. & *seq. Raph. Aversa*

decord. & matrim. C. Lug. Resp. l. b. 1. dub. 35. Bard select mor. lib. 10 q. 15. & seqq.
Medicorum obligatio 10. 483
Mendacium in confessione 664
Mercatorum obligatio 485
Meretrix 427
Anton. Ricciul.
Metus 38. 779
Franc. Lug. in decursu prævio ad Theol. mor.
Militum peccata v. bellum.
Minister Sacramentorum 536
Misericordia 79. & seq.
Missa quatenus Sacramentum v. Sacramentum Eucharistiæ.
Missa quoad Sacerdotes locũ, tempus, &c. 616. & seq. fructus Sacrificii 621. requisita 634.
Hurtad. resol mor. to 1 tr. 2. de oblig celebrandi. Franc de Lugo de Sacram. C. Lugo respon. lib. 1 dub 10. Quint. de Sacram. to. 1. tr. 7. Tamburr. de celebrat. Miss. Petr. Anell. Persic. Bard. select. mor. lib. 10 q. 9.
Missa quoad obligationem audiendi 178. ubi audienda 181 quæ excusent ab audiendo 187.
Molitorũ obligatio quoad res ipsis commenuatas 191
Mollities v. Pollutio.
Moniales an teneantur ad horas canonicas 419
Ios. Gibalin. de clausura, &c.
Monopolia 302
Montes pietatis v. usura 295
Moribundi absolutio 738
Boss. to. 1. tit. 5. de absol. Angel. Mar. Verricel. quæst. mor. tr. 6.

Mu-

*Mutilatio suiipsius* 206. *quid restituendum pro mutilatione* 264.
*Mutuum* 202
*Onnate to.3.tr.29.*

N

*Necromantia* 105. *v. superstitio* 102. *Divinatio* 104.
*Negotiatio* 307
*Notarii officium* 467
*Nuptiarum solemnitates quando prohibita* 769

O

*Obduratio cordis* 513
*Obedientia erga parentes v. subditi.*
*Hurt ad resol. to.2.tr.6.*
*Obedientia votum* 364
*Obligatio v. justitia.*
*Occasio proxima peccandi* 96. 605
*Ferran. in Theoreto disp. 1. de scandalo.*
*Occisio suiipsius* 203. *Malefactoris & aggressoris* 207. 208. *Innocentis* 211. *quid restituendum* 265.
*Odium* 70. *Odium Dei* 72
*Oleum benedictum* 625
*Opificum obligatio* 485
*Opinio* 7. *& seq. v. conscientia.*
*Boss.to.1 append.ad tit.1. de opinionum praxi.*
*Bard.select.mor.lib11 .de opinion.Candidi Philalethi tac.Manc prax.visit.infirm.p.2.pract.*
*1. Ang.Mar.Verricel.quæst.mor.tract.1.2.*
*Ordines militares qui sint Religiosi* 382
*Ordinis Sacramentum* 732. *requisita* 737. *castitas suscipientis* 155. *Munera & officia ordinatorum* 740.

*Martinon. to.5. disp. 6. & seq Aversa de ord. C.Lug.Resp.lib.1.dub.30.& seq.Bernal.deSacram. Boss.to.1. tit.3. de titulo pro suscip. Sacram.ord.Bard.select.mor. lib 10 q.14. Philiber. Marchin.Franc.Hallier.de sacra elect. ad ord.*

*Ornatus mulierum v. scandalum.*

*Oscula* 224. *v. Luxuria.*

P

*Pactum cum damone v. superstitio.*

*Parentes erga filios* 191 *quoad hæreditatem* 194.

*Parochus erga suos* 200. *Parochus religiosus* 383 *Fragos.to.2. disp.21. Barbos. de off. & potest. Paroch. Pellicion q.7. de facultate, &c. Marcus Serio to.1.*

*Pastores v. Prælatus Fragos.to.2. disp.24. Didac. Ant. Frances Pastorale.*

*Patrini v. confirmatio, baptismus.*

*Patronatus jus* 407

*Paupertas religiosa* 389 *& seq.*

*Peccatum* 487. *quotuplex* 497. *numerus* 468. *mortale & veniale* 501. *& seq.*

*Peccata capitalia* 508. *v. actus humani. Conscientia. Ovied in 1.2.tr.6.*

*Peccato alterius cooperari* 96. *v. scandalum.*

*Pecunia adulterina* 313

*Pensio* 417

*Percussor clerici* 823. *v. excommunicatio.*

*Peregrini* 25 *& seq.*

*Perjurium v. Iuramentum* 140. *& seq.*

*Pharmacopœorum obligatio* 483. & *seq.*
*Philtrum* 115
*Physiognomia v. Divinatio.*
*Pignus* 326. & *seq.*
*Pingere* 174. *v. Festorum observatio.*
*Piscari* 197
*Pœnitentia* 744 *contritio* 647. *confessio & ejus integritas* 653. *aliæ conditiones* 673. *invalida & iteranda* 665. *satisfactio* 667. *Minister* 685.
*Præceptum confitendi* 747. *sigillum* 712.
*Io. Martinon. to.* 5. *C. Lug. Respons. lib.* 1. *Sfort. Pallav. assert. Theol. lib.* 8. *Luis Turrian. Bard. select. mor lib* 10. *q.* 13. *Iac. Mancin. prax. visit. infirm. p.* 1. & *p.* 2. *pract* 4. *de confessione non integra. Mart. Perez. Io Bapt. Marin.*
*Pollutio* 230. *an procurari possit* 232.
*Boss. to.* 3 *tit* 12.
*Possessor malæ & bonæ fidei* 257. & *seq.*
*Hurt. resol. to.* 2. *tr.* 8.
*Præcepta* 17. & *seq. v. lex.*
*Præceptæ Decalogi v. Decalogus.*
*Præceptæ Ecclesiæ* 371
*Io. Roccaful. to.* 2. *Ant. de Quintanad. Gesuald. de Bononiis to.* 3. *Marc. Serio to.* 3. *Leand. à S. Sacram. to.* 2.
*Præceptores ergæ discipulos* 201
*Prælati* 86
*Boss. to.* 1. *tit.* 6 *de facult. Abbatum, &c. Frag. to.* 2. *disp* 15. & *seqq. de obligat. diversorum Prælatorum & disp.* 24. *Didac. Ant. Francesforum consc.*
*Præscriptio v. Possessor.*

*Præsumptio* 309
*Precarium* 289
*Procuratorum officium* 468. & *seq.*
*Prodigalitas* 512
*Proditio* 514
*Professio fidei* 58.59. *v. Religiosus*
*Moron. respons.* 82 *de profess invalida.*
*Promissio* 280
*Pupillus* 195. & *seq.* 280. 329.
*Pusillanimitas* 511

R

*Rancor v. acedia.*
*Rabtus* 228
*Referentis officium* 467
*Regularibus data privilegia* 185. & *seqq.*
*Laurent. de Peyrin. de privileg. regular. Brunt. Cassaingh de privileg. Io. Franc. Giracus de regim. regul. C. Lugo respons. lib* 3. *Frances Cespedes de exempt. regul. Didac. Ant. Franc. forum consc. de privil. regul. Moron. respons. de consuetud. contra regulas regularium. Franc. Bordon. resol. regul.* 2. *tomis. Fulgent. de Ovied. de rep. regul. Iac. Raggy de regim. regular. Io. Nic. Lucid. de Illegit. regul. Hyacinth. Donat prax. rerum regul. Io. Caram. Theol. regul Sanctor à Melside pœnis regular. inflig. Pellizar. manual.*
*Religiosus status* 381. *professio* 384. *obligationes* 386. *vota* 389. *qui possint fieri religiosi* 397. *ejecti & fugitivi* 400. & *seqq.*
*Vincent. Tancred. de virt. relig. Io. Raccasul.* 20. 2. *de Consil. Evang.*

*Reliquias permutare an liceat v. Simonia* 123. *falsas proponere v. superstitio* 102.
*Remissio debitorum* 283. *v. donatio.*
*Renunciatio hæreditatis* 337. *v. Hæreditas.*
*Repressalia v. bellum.*
*Reservatio casuum* 695
*Resignatio beneficiorum* 414 *& seq.*
*Restitutio* 243. *cooperantes* 245. *& seq. quomodo teneantur singuli* 249. *impediens lucrum alienum* 251. *cui restituendum* 252. *quid restituendum* 257. *pro injuriis* 261. *& seq. pro offensa corporis* 264. *pro stupro* 267. *pro adulterio* 268. *pro fama* 269. *de circumstantiis & ordine restit.* 271 *& seq. Quæ excusent à restit.* 274. *& seq. famæ restitutio* 367.
*Bossius to.* 3 *tit.* 13. *de restit. ex causa homicidii. Iac. Manc. prax. visit. infirm. pract.* 6. *Theoph. Alar. tr.* 1. *Canon. consc. Stephan. à S. Gregorio.*
*Restrictio mentalis v. juramentum.*
*Reus v. juramentum. Iudex, fortuna, &c. quando fateri teneatur* 478. *fugæ pœna* 478.
*Hurtad. resol. to.* 2. *tr.* 6. *Iac. Manc. prax. visit. infirm. h.* 2. *pract.* 2. *Pet. Pau. Guazz. tr. mor. ad defens. anim. reorum.*

S

*Sacerdotum obligatio v. Missa* 616
*Hieron. Verner. de Exam. eorum, qui Sacram administ.*
*And. Saussay Panoplia Sacerdotalis.*
*Sacramentalia* 545. *& seq*
*Sacramentum* 531. *Materia & forma* 533. *Minister*

ster 536. & seq. Suscipiens 542. & seq.
Franc. de Aravio in S. Th. Guil. Mercer. in 3. p. Martinon. to. 4. & 5. 10. de Dicastillo to. 1. 2. 3. Franc. Lug. August. Bernal. Amic. to. 7. 8. Sfort. Pallav. assert. Theol. lib. 6. Quintanad. singul. Sacram. Less prælect Theol. in 3. p. q. 66. Petr. de Ochagavia de Sacram. Baunii to. 1. Trullench. to. 3. Fabrit. Surian. Gesuald. de Bononiis to. 1. Ysambert. in 3. p to. 2. & 3. Baunii to. 1. Aversa. tribus tomis Leand à S. Sacram. to. 1. Adam Opatovius de Sacram.

Sacrificium v Missa.

Sacrilegium 120. per actum venereum 229.
Vincent. Tancred. de Relig. tr. 2. libr 3.

Satisfactio 668. & seq.
Hurt. resol. mor. to. 2. tr ult.

Scandalum 88. Passivum 91. & seq. cooperari alterius peccato 96. & seq.
Bard. select mor. 9. Ferrantin. Theoret. disp. 1.

Scrupulus 14. v. conscientia.
Angel. Mar. Verricell quæst mor. tr. 5.

Secreta alterius legere in litteris, &c. 514. & seq.

Secretarii officium 467

Sententia probabilis v. opinio 7

Sepultura Ecclesiastica quis privetur v. Excommunicatio, Interdictum, &c.
Moron. Respon. 51. 52 de sepult familiarium & de funeris expensis. Bordon. to. 2. Resol 51. quoad regulares. Franc. Samuell. prax servanda in sepult. Catholici Iac. Mancin. prax. visit. infirm. additio operis.

Servilia opera 172. & seq. v. Festorum observatio.

*Sigillum confessionis* 712. & *seq*.
*Simonia* 123. *ejus pœna* 128. *obligatio restituendi* 129.
*Vinc. Tancred de Relig. tr. 2. lib. 4. Onnate to. 3. tr. 23.*
*Societas Iesu* 341. 350. *v. Religiosus.*
*C. Lug. Resp. lib. 4.*
*Societatis contractus* 322. & *seq.*
*Leonard. Duard. de Societatibus. Onnate to. 3. tr. 28.*
*Sodomia* 231
*Boss. tom. 3. tit. 11.*
*Sollicitantes in confessione.*
*Hurtad. resol. to. 1. tr. 4. Boss. de Iubilæi privilegiis.*
*Fragos. to. 2. disp. 14.*
*Soror erga fratres, &c.* 193
*Sortes divisoriæ, divinatoriæ,* 109
*Spectatio turpium comœdiarum* 225
*Spes* 68. & *seq.*
*Sponsalia* 714. *eorum obligatio* 747 *dissolutio* 749.
*Boss to. 1. tit. 8. de restit. dissolutis sponsalibus.*
*Sponsio* 317
*Spurius* 192
*Io Nic. Lucid. Illegitim. regularium, &c.*
*Status religiosus* 381. *v. religiosus.*
*Stuprum* 227. *quid restituendum pro stupro* 267. & *seq.*
*Subditi quomodo teneantur obedire* 196. & *seq. v. liberi. famuli &c. Religiosi, &c.*
*Hurtad. resol mor. to. 1. tr. 3. Theoph. Alar. Canon. consc. tr. 4.*
*Superbia* 508. & *seq.*

*Superiores erga subditos* 196. *& seq.*
*Superstitio* 102. *& seq.*
*Vinc. Tancred. de Relig. tr. 2. lib. 1. Franc. Torreblan. Angel. Mar. Verricel. quæst. mor. tr. 8. de Alchimia. Theoph Rayn in tr. de calumnia.*
*Suspensio* 829. *eadem in particulari* 833
*Suspicio* 357
*Susurratio* 519. *v. Detractio* 358
*Sartor* 480
*Sutor* *ibid.*
*Symbolum Apostolicum* 54
*Io. Roccaful prax. Theol. mor. tom. 1.*

T

*Tabacum v. jejunium.*
*Tabellio* 467. *& seq.*
*Tactus obscœni* 224
*Temporum computatio*
*Boss. to. 1. tit. 2.*
*Tentatio Dei* 118. *& seq.*
*Testamentum* 331. *Executores* 342. *qui testari possint* 394 *& seq.*
*Boss. to. 1. tit 9. de testam. temp. pest. 10. parentum inter liberos* 11. *militari* 12. *ad pias causas. idem to. 3. tit. 1. 2. de defectu solennitatum. Bard. select moral. lib. 2. Iac. Mancin. prax. visit. infirm. pract. 5.*
*Testis* 471
*Hurt. resol. to. 2. tr. 6.*
*Thesauri* 256. *v. restitutio cui facienda* 252.
*Torpor* 529. *v. acedia.*
*Tortura* 452
*Tristitia de bono alterius* 519. *v. Invidia.*

*Tutela* 328. & *seq.*
*Tutorum obligatio* 195. & *seq.* 328. & *seq.*

V

*Vagi v. Peregrini.*
*Vana gloria* 509
*Vana observatio* III. *v. superstitio.*
*Vasallus* 317. *v. Feudum.*
*Vectigalium fraudatione an oriatur obligatio restituendi* 262.
*Venditio* 299 & *seq.*
*Franc. Bard. select mor. lib.* 1. *Onnate to.* 3. *disp.* 72. & *seq.*
*Veneficium* 115
*Venenum vendere an liceat* 100
*Verba obscœna* 225
*Vindicta* 526. *v. Ira.*
*Violentia* 513
*Virginitatis servanda gratia an liceat se occidere* 204. *an injustum aggressorem* 219. *vitam abbreviare* 205. *v. occisio.*
*Voluntarium v. conscientia, ignorantia, metus.*
*Votum quid, &c.* 151. *Deliberatio* 152 *Materia* 156. *obligatio* 158. & *seq. quomodo tollatur* 163. *Irritatio voti* 164. & *seq. Dispensatio* 170. *Religiosorum vota* 389. & *seq.*
*Boss. de Iubil privil. quoad dispensat. & commut. Vincent. Tancred. quæst moral. tract.* 3. *Theoph. Alar. Can cons. tr.* 3.
*Vsura* 294. & *seq quando committitur occasione emptionis & venditionis* 365. & *seq.*
*Honorat. Leotard. de usuris. Onnate to.* 3. *tr* 30.
*Vxor erga maritum* 199. & *seq.* 768.

# AMICE LECTOR.

*Cum forsan in meliorem tuam, aliorumque directionem, quadraginta quinque damnatas ab Alexandro VII. propositiones desideres, libuit easdem tibi in hâc medullâ annectere.*

---

# DECRETA SANTISS. IN CHRISTO PATRIS AC D. N. D. ALEXANDRI PAPÆ VII.

In Congregationibus generalibus Sanctæ Romanæ & Universalis Inquisitionis habitis.

Feria V. die 24. Septembris 1665.

*In Congregatione generali Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram Sanctiss. D. N. D. Alexandro Divina Providentia Papa VII. ac Eminentissimis, & Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana adversus hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus à Sancta Sede Apostolica specialiter Deputatis.*

SANCTISSIMUS D. N. audivit non sine magno animi sui mœrore, complures opiniones Christianæ Disciplinæ relaxativas, & Animæ-

marum perniciem inferentes, partim antiquatas iterùm ſuſcitari, partim noviter prodire: Et ſummam illam luxuriantium ingeniorum licentiam indies magis excreſcere, per quam in rebus ad conſcientiam pertinentibus modus opinandi irrepſit alienus omninò ab Evangelica ſimplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina, & quem ſi pro recta regula fideles in praxi ſequerentur, ingens eruptura eſſet Chriſtianæ vitæ corruptela. Quare, ne ullo unquam tempore viam ſalutis, quam ſuprema veritas DEUS, cujus verba in æternum permanent, arctam eſſe definivit, in animarum perniciem dilatari, ſeu veriùs perverti contingeret, idem Sanctiſſimus D. N. ut oves ſibi creditas ab ejuſmodi ſpatioſa, lataque, per quam itur ad perditionem, via, pro Paſtorali ſolicitudine in rectam ſemitam evocaret, earundem opinionum examen pluribus in Sacra Theologia Magiſtris, & deinde Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus ſeriò commiſit: Qui tantum negotium ſtrenuè aggreſſi, eique ſedulò incumbentes, & maturè diſcuſſis, uſque ad hanc diem infraſcriptis propoſitionibus, ſuper unaquaque ipſarum ſua ſuffragia SanctitatiSuæ ſingillatim expoſuerunt.

1 Homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum fidei, ſpei, & charitatis ex vi præceptorum Divinorum ad eas virtutes pertinentium.

2 Vir equeſtris ad duellum provocatus poteſt il-

illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3 Sententia asserens, Bullam Cœnæ solùm prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminũ, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, Anno 1629. 18. Julii in Consistorio Sacræ Congregationis Emin. Cardinalium, visa & tolerata est.

4 Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscumque sæculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa.

5 Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non teneris denuntiare si probare non possis.

6 Confessarius, qui in sacramentali Confessione tribuit Pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad Venerem incitat, non censetur sollicitasse in confessione; ac proinde non est denuntiandus.

7 Modus evadendi obligationem denuntiandæ sollicitationis est; Si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest ipsum absolvere absque onere denuntiandi.

8 Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licitè accipere applicando petenti partem etiam specialissimam fructûs ipsimet Celebranti correspondentem, idque post Decretum Urbani VIII.

9 Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.

10 Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis

ficiis ſtipendium accipere, & ſacrificium unum offerre; Neque etiam eſt contra fidelitatem, etiamſi promittam promiſſione etiam juramento firmata, danti ſtipendium, quod pro nullo alio offeram.

11 Peccata in Confeſſione omiſſa, ſeu oblita ob inſtans periculum vitæ, aut ob aliam cauſam, non tenemur in ſequenti confeſſione exprimere.

12 Mendicantes poſſunt abſolvere à caſibus Epiſcopis reſervatis, non obtenta ad id Epiſcoporum facultate.

13 Satisfacit præcepto annuæ Confeſſionis, qui confitetur Regulari Epiſcopo præſentato, ſed ab eo injuſtè reprobato.

14 Qui facit confeſſionem voluntariè nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ.

15 Pœnitens propria auctoritate ſubſtituere ſibi alium poteſt, qui loco ipſius pœnitentiam adimpleat.

16 Qui Beneficium curatum habent, poſſunt ſibi eligere in Confeſſarium ſimplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

17 Eſt licitum Religioſo, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de ſe, vel de ſua Religione ſpargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non ſupperit, uti ſuppetere non videtur, ſi calumniator ſit paratus vel ipſi Religioſo, vel ejus Religioni publicè, & coram graviſſimis Viris prædicta impingere niſi occidatur.

18 Licet interficere falſum Accuſatorem, falſos Teſtes, ac etiam Judicem, à quo iniqua certò immi-

net sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.

19 Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.

20 Restitutio à Pio V. imposita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis, eo quod sit pœna.

21 Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud Beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si Officium per alium recitet.

22 Non est contra Justitiam Beneficia non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia Ecclesiastica pecunia interveniente non exigit illam pro collatione Beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

23 Frangens jejunium Ecclesiæ ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult se subjicere præcepto.

24 Mollities, sodomia, & bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ, ideoque sufficit dicere in Confessione, se procurasse pollutionem.

25 Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis præcepto, dicens commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.

26 Quando litigantes habent pro se opiniones æquè probabiles, potest judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.

27 Si liber sit alicujus junioris, & moderni, debet opi-

opinio censeri probabilis, dùm non constet, rejectam esse à Sede Apostolica tanquam improbabilem.

28 Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem à Principe promulgatam.

Quibus peractis, dum similium Propositionum examini cura, & studium impenderetur, interea idem Sanctissimus re maturè considerata statuit, & decrevit, prædictas Propositiones & unamquamque ipsarum, ut minimum, tanquam scandalosas, esse damnandas, & prohibendas, sicut eas damnat, ac prohibet: ita ut quicumque illas, aut conjunctim aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputativè publicè, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, à qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice, absolvi.

Insuper districtè in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Christi fidelibus cujuscumque conditionis, dignitatis ac status, etiam speciali, & specialissimâ notâ dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

*Joannes Lupus, Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis* Not. *&c.*

Loco (†) Sigilli.

An-

*Anno à Nativitate D. N. IESV CHRISTI milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo quinto, Indictione tertia, die verò 2. menſis Octobris, Pontificatus autem Sanctiſſ. in Chriſto Patris D. N. D. Alexandri, Divina Providentia Papæ VII. anno undecimo, ſupradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Cancellariæ Apoſtolicæ, ac in acie Campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Vrbis per me Carolum Melanũ, ejusdem Sanctiſſ. D. N. Papæ & Sanctiſſimæ Inquiſitionis Curſorem.*

---

# FERIA QUINTA, DIE DECIMA OCTAVA Martii Anno 1666.

*In Congregatione generali Sanctæ Romanæ, & Vniverſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis coram Sanctiſſ. D. N. D. Alexandro Divina Providentia Papa VII. ac Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis DD. S. R. E Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana adverſus hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus à Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter Deputatis.*

SANCTISSIMUS D. N. poſt latum Decretum die XXIV. Septembris proximè elapſi, quo viginti octo Propoſitiones damnatæ fuerunt; exa-

examinatis sedulò, & accuratè usque ad hanc diem infrascriptis aliis quadragesimum quintum numerum implentibus, per plures in Sacra Theologia Magistros, ac per Eminentissimos & Reverendissimos DD. Cardinales adversus hæreticam pravitatem Generales Inquisitores, eorum suffragio singillatim super unaquaque ipsarum audivit.

*Propositio* 29. In die Jejunii, qui sæpiùs modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.

30 Omnes officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.

31 Excusantur absolutè à præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter unius diei conficiant.

32 Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima obliget.

33 Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quascumque Eleemosynas, quas anteà Beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit.

34 In die Palmarum recitans officium Paschale, satisfacit præcepto.

35 Unico officio potest quis satisfacere duplici præcepto pro die præsenti, & crastino.

36 Regulares possunt in foro conscientiæ uti privilegiis suis, quæ sunt expressè revocata per Concilium Tridentinum.

37 Indulgentiæ concessæ regularibus, & revocatæ

tæ à Paulo V. hodie sunt revalidatæ.

38 Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali confitendi quamprimùm, est consilium, non præceptum.

39 Illa particularia *quamprimùm* intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur.

40 Est probabilis opinio, quæ dicit, esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensûs ulterioris, & pollutionis.

41 Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgò *regalo*, dùm deficiente illa, nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tœdio magno concubinarium, afficerent; & alia famula nimis difficilè inveniretur.

42 Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.

43 Annuum legatum pro Anima relictum, non durat plus quam per decem annos.

44 Quoad forum conscientiæ, Reo correcto, ejusque contumaciâ cessante, cessant censuræ.

45 Libri prohibiti donec expurgentur, possunt retineri, usque dùm adhibita diligentia corrigantur.

Quibus maturè pensatis, idem Sanctissimus statuit, ac decrevit, prædictas Propositiones, & unamquamque ipsarum, ut minimùm, tanquam scan-

scandalosas esse damnandas, & prohibendas, sicut eas damnat, ac prohibet: Ita ut quicumque illas, aut conjunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputativè, publicè, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, à qua non possit (præterquàm in articulo mortis) ab alio quâcumque etiam dignitate fulgente, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice, absolvi.

Insuper districtè in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Christi fidelibus cujuscumque conditionis, dignitatis, ac statûs etiam speciali, & specialissimâ notâ dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

*Ioannes Lupus, Sanctæ Romanæ, & Vniversalis Inquisitionis Notarius.*

Locus (†) Sigilli.

*Anno à Nativitate D.N. IESV CHRISTI millesimo sexcentesimo sexagesimo sexto. Indictione quarta, die verò 23 mensis Martii, Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris D.N.D. Alexandri, Divina Providentia Papæ VII. anno undecimo, supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Vrbis per me Carolum Melanũ, ejusdem Sanctiss. D.N. Papæ & Sanctissimæ Inquisitionis Cursorem.*

FINIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Janoc. Ad decretum 2 Ber. 5. et 6 pr. Aug.

1. o e illicitum in Sacrmtis xferendis seq. opiem pbabilem de vsitate Sacrmti, relicta fatione, nisi id vetet lex, vel rtio, aut grauis damni incurrendi, hinc fubia pbabli intra ulendū o ein collae baptmi, Ordnis Sacerdot. aut Epalis.

2. pbabl existmo judicem poe judicare juxta opiem minus pbablem.

3. Gratian dum pbabile sit ex scriptis, patrum, non a pbabilis finis o excal, nisi aliud agat, seng finter agat.

4. ab infidelle excusabis infidelis, o credy duch opie mis pbi.

5. an pct mortale, qi aum dilectionis dei semel intra in vita elicere, idemnare, o audeny.

6. pbable e nagligens sennis rigorose ge se obligare pcta ch.

7. hunc solum obligat, dolere, justeari, et o deny alia via qua justificari poims.

8. Comedere et bibere usqe ad Satietem obsat voluptem o e pcatū, nō o obsit valetudini, qalicūq pt gatis nealis sij

9. opus justū ob solam voluptem exercitum (aibs fnci.

oi penitus caret culpa ac defectu veniali.

10 o teneny ptem dilgere ac interno et toali.

11. ppto ptem dilgendi sat fre poums ex solo ans extens.

12. Vix in Secularibs inveniet, m in regibs, superfluū statui: et ita vix alqs tenet ad Elmsnam, qd tenet dare ex superfluo statui.

13. si cum debita moderatione, potes alqs gaudo morte de vita alicuius christiani, et de illius morte nali gaudere, illam inefficaci affectu petere et desiderare, o quem ex displicia ps, sola alqd boriale emolmentum.

14 licitum e absolto desiderio cupere mortem patris, o qem et malū patris, sed bonū cupienti, qa nimirū ei obventura e ejusq; hereditas. 15. licitū e filio gaudere de parricidio patrato à seu ebriete effectado spe lucrandę divitiarum inde ex hereditate secutas.

16

16 fides non censetur cadere sub
septum Speciale et dm̃le.

17. Satis e ad̃m fidei semel in vita elicere
18 sã a posse publica gis inseq; Lidem ingenue ẽfiteri,
ut deo et fidei gloriosum sit, ut damnosum ipsi e damno.
19. Voltas ō pt efficere ut assus fidei in se ipso sit magis
firmus, qm̃ mereat pond̃ ẽonum ad assũ impellentiũ
20. hinc pt gis prudẽter repudiare assum, qem habebat
21 assus fidei sugnlis et utilis ad salutem stat Sugnlem.
cum nota solam diabli revelãonis, imo cum formid, qua
gis formidet, ne ō sit locus deus.
22. o nisi fide unius dei nemia videt ne sit medius ō am
explicita remuneratoris.
23. fide latè dicta ex testimonio creãa sm̃l ve motivo
ad justificaem sufficit. 24 Vocaredum in testem men-
cũ levis o et tanta irreverentia ppe gam velit aud̃ poti de ma-
re hoem. 25. Cum cãa licitus e jurare sine aio juranti, sive
res sit levis sive gravis.
26. sig; v̄ sol; v̄ coram alĩs sive in gat; sive pria
sponte sive recreãonis cãa, sive gos ge alio fine jurem
se ō fecisse aliq̃d, gd revera fecit, intigendo intra se
aliq̃d aliud, gd o fecit, v̄ aliam viam ab ea, in qã fecit,
v̄ gd vi aliud additum venum, revera o mentis, nec ẽ iur;.
27. Caa justa utendi his Amptibus ẽ, gties id rerum aud
utile ẽ ad salutem pris, honorem, res familiz tuendas, v̄
ad gemlibet alium virtutis aum, ita ut veritis occultãe
censeatur expedita, et studiosa.
29. urgens metus gravis e caa justa, saermdo adminstrae
simulandi.

28 q. mediante mendac. v minare in Magistrum vestr. publicū quod ē pcēdt cū restrict. mentis stare juramēto, q de mandato legis a multis solet exigi. 29 Rōto 2pō ad interrogatōs, q. 2a. o tenet fateri crimen occultum.

30 Fas ē viro honorato occidere invasorem, q. nisi cadem inferre, si aliter hac ignominia vitari nequit. Idem dicend. si quis impingat alapam v fuste feriat, et post impactam alapam v ictum fugiat.

31. Latrones occidere possem furem p conservac unius aurei.

32 Solum licitū ē defendere de facto occisiva, q. ausert mihi, sd m ad quod in choato Rōem, et q nos possumus speram.

33. Licitum ē tam Heredi qm legatario 2 injuste impedientem, ne v hereditas adeatur v legata solvant, se aliter defendere, sicut et jus Rōti in Cathedra v pbndam 2 eos possem injuste impedientem.

34. Licet procurare abortū ante animam fetui, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infamet.

35 Videt proble de fetum, qui in utero ē carcere dāmali, et hunc dmū incipere eand. Rōne, cum pariter dicendi sit, in nullo abortu homicidium admitti.

36 Furtum furari, q solum in exteriori nec sit, sd m grave.

37 Famuli et ancillae domestici possunt occulte heri sui furari ad compensand. quam majorem judicant salario, q recipiunt.

38. Tenet, q. sub poena mortis restituere, q ablatum ē alicui parua furta, quorum aggregatum est magna summa rerum.

39 q. alium movet aut inducit ad infrendū gr. damnum, 3tio, tenet ad restitutionem istius damni illati.

40. Tractu Mercatura licita ē, m 2pō ejus personae, et cum str. retinendi pure inito cum intuitu lucri.


41 Cum urgente pecun. subsidio pr. sit mutuandū, et nullus sit, q pluris faciat pecuniam, tunc fur. pōt Creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere et eo titulo ab usura excusari.

47 Usura oe, dum ultra sortem exigit, tng. ex benevolentia et gratuite debitu, p. solum si exigat, tng. ex justitia debitu.
43. gloni o nisi veniale sit, detrahendo aut forte magnam sibi roxiam falso crimine elidere.
44. pbable c. o peccare mortl, qui imponit falsi crimen alteri ut sua justitiam et honorem defendat: et si hoc o sit pbable, vix ulla erit pro obligo in Thlia.
45. dare tnle p sortilegio oe simonia, qdo tnle o dat tng. finem p quem exhat tng motivu operandi v efficiendi sortile, v m qdo tnle sit solum gratuita p peccato p sortilegio
46. et ido qge locum ht, nisi tnle sit pcale dubitra motivum dandi sortilegio imo m. si sit finis ipsis rei sortis, sic ut illud pluris estimet, qm res sortis.
47. cum dixit C. Trid. eos alienis pcatis coicande mortale peccare, qui, nisi eos digniores, et Ecclie magis utiles ipsi judicarint, ad Ecclias promoveat, Conc. v. Anno videt hoc: digniores o alios facere velle, nisi dantem ex gendo, sibi o paratos o provo, v ado locue min. pria ponit digniores, ut excludat indignos, o vo dignos, v tandem logis 3tio, qdo sit oeurrs.
48 tam clam videt, fornicatem sum se nulla involvere malia, ed solum ee malam, qa ins dicta, ut trahit ois raoni dissonu videat.
49. mollicies ree qbta oe, unde si deg eamo in dixisset, pcate ee bona, et alqdo obligatoria sub mortl.
50 copula cu 3 jugata, 3 intiente Marito o eadulterium, ade sufficere in confess. dicere se ee fornicatum.
51. famlus, qui submissis humeris scienter juvat herum furem ascendere o fenestr. ad furandum. Valem, et multot. eid. subservit deferendo scalam, agiendo januam, po peccat mortl si id fecit metu notablis detrimti, puta ne a dno male tractet, ne dotem oculis offiat, ne domo expellat.

52. ſpūs ſecundi ſpēs o offas ſub morte. ſpō ſanctos
ſi abſit 3 hyb. 53. ſatisfacit ſpto Eccliæ vc aud. Sacri
q. 2. ejus ſpēs imo 4. ſimul à ſerijs celebrat hauditi
54. q. oſpecitare matut. et laud. ſpūs ſæpe religs hors, ad
nil teneſ, qa major pars trahit ad ſe minores.
55 ſpto Cōiorij annua ſatisfit ſſacrif. ſpriſmi manducaem.
56 Leg ſpecio et Caio, m in his q. gratiſ vivunt, ē nota
ſpūs actionis. 57. ꝓbabile ē ſufficere attritem naleꝫ mō honeſtā.
58. ōtenent ſpōres confeſario inſganti fateri peccati alterius ſecretū
59. licet ſæcularis absolvere dimidiate tritū. ſpēs ſæc. nec
magni ſeueritatis peccatum, qlis vs ſpōtaneꝫ tenere in d. mō tritū.
60 peccati contriti ſpecialiter peccandi ꝑ leg. dei, nec,
aut Eccliæ, etſi emendationis ſpes nulla appareat nec
nga-nec differenda absolutio, mō ore ſpōtaneꝫ ſederet et ꝓponere
61 ꝓbabile absolvi, q. in ꝓx. occaſ. peccandi. verſat emendatu
quam tale vult omittere, q. in mo. discrete et ex ꝓpo
ſito ad ſe ei ingerit. 62 ꝓxima occaſio peccandi eſt
fugienda, q. do eaa alia utilis vel honeſta ſe offert. ea
63 licitum ē ꝓpere directē occaſionem ꝓximam peccandi
bono ſpūs v ꝓprij, nro v ꝓximi.
64 absolutionis capax ē ho, gravitꝫ laboret ignorat.
Mystij fidei, et niſi religiam in culpab. nſcat Myſ
terium Ss. Trinit, et Incarnationis d. N. J. C.
65 et ult. ſufficit illa Mystica ſemel credidiſſe.
Procy ab Alex. VIII. ſuper illa de amore dei, q. vix
teneamur eū eliciere, et ꝓcalo ſilicio. ſnt nro 31 paſſ
ob vix, univs eas ag. 1690. 24 apr.
ad 1690. 2. 10bris
ſit mentio in aſteriſcis, h. p. 715
eſto ama de amore. 1. bonitas objtiva ſufficit in ſcientia objti cārē
tali, ſcaliṽ in ſpōte aīs cū tyla mor. ad hoc ſufficit, ut aīs moraliter
agat in ſinem ultimo in ſpōtaneꝫ. Hunc ho ōtenet amare nec in
ſpe, neq. in decurſu vitæ ſuæ moralis.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN